The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

THEOLOGIA MORALIS

THEORICO - PRACTICA

AUCTORE

AEMILIO BERARDI

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII X PRAELATO DOMESTICO

CANONICO PRAEPOSITO CATHEDRALIS FAVENTINAE

ET S. THEOLOGIAE DOCTORE

WITHDRAWN

The Catholic Theological Union LIBRARY Chicago, Ill.

Vol. V.

Continens tractatus

De Poenitentia, de Extrema Untione, de Ordine Sacro et Irregularitatibus, de Matrimonio et de Censuris.

EX LIBRIS PROVINCIAE PRO STUDIO THEOL. S. S. CORDIS JESU.

240
B483t
v.5

FAVENTIAE

TYP. NOVELLI & CASTELLANI

MCMV

Faventiae die XXII Decembris MCMIII

Publicetur

✠ IOACHIMUS CANTAGALLI Episcopus Faventinus

Iura quae a lege sunt Auctor sibi vindicat

13414

TRACTATUS I.

De Sacramento poenitentiae.

Agendum 1° de essentia sacramenti poenitentiae; 2° de subiecto (ubi de actibus poenitentis, scilicet de contritione, confessione et satisfactione); 3° de ministro atque de partibus ad illum spectantibus (ubi de iurisdictione, de officiis confessarii, de forma et ritu, de sigillo etc.).

Sectio I.

DE ESSENTIA SACRAMENTI POENITENTIAE.

1. ***Quid est*** *poenitentia?* Poenitentia considerari potest ut virtus et ut sacramentum.

I. Ut *virtus* est inclinatio ad rite detestandum peccatum atque ad satisfaciendum Deo pro illo.

Haec virtus est semperque fuit necessaria peccatori necessitate medii ad veniam et salutem aeternam assequendam.

II. Ut *sacramentum* definiri potest: — Sacramentum a Christo Domino institutum ad veniam concedendam, per absolutionem sacerdotis iurisdictione muniti, homini post baptismum in peccatum lapso et rite poenitenti —.

2. ***Essentia huius sacramenti*** *in quo praecise consistit?*

Hodie communius cum schola Thomistica docent non consistere in sola absolutione, bene vero actus poenitentis, nempe contritionem, confessionem et satisfactionem exigi

tamquam veram materiam *ex qua* conficitur sacramentum, atque adeo tamquam partes, et quidem (quoad primas duas) *essentiales* sacramenti ipsius.

Doctrina ista videtur conformis catechismo romano dicenti: « Neque « hi actus quasi materia a S. Synodo appellantur, quia verae materiae « rationem non habeant, sed quia eius generis materia non sint, quae ex- « trinsecus adhibeatur, ut aqua in baptismo et chrisma in confirmatione ».

Sed Scotus eiusque schola docet, essentiam huius sacramenti in sola absolutione reponi debere; praedictos vero actus esse solum quasi materiam *circa quam* versatur sacramentum, et partes *integrales* illius, etsi (secus ac authumabant haeretici), relate ad poenitentiam (quatenus est virtus) atque ad effectum sacramenti (scilicet ad obtinendam remissionem peccatorum), saltem contritio sit essentialis; confessio autem et satisfactionis acceptatio exigantur ex praecepto D. N. I. Christi, qui voluit ut hoc sacramentum ad modum iudicii (quantum fieri potest) administretur.

Hanc Scoti doctrinam aliqui graviori censura afficiunt et dicunt esse erroneam, temerariam et plus quam temerariam.

Sed illam approbant non pauci, inter quos etiam Perrone (*De Poenit. 226*), et D'Annibale (*III 181. 2*), illamque vivide tuetur Ballerini (*II 414 et 447 q. 7 not. a*), qui eo usque procedit ut dubitet an sententia thomistica solidam probabilitatem habeat.

Ecclesia certe Scoti doctrinam nunquam damnavit; imo Concilium Tridentinum sedula cura illam intactam reliquit, inquiens: « Sunt autem quasi materia (*ergo non « materia stricte dicta*) huius sacramenti, ipsius poeni- « tentis actus, nempe contritio, confessio et satisfactio. « Qui, quatenus in poenitente ad integritatem (*ergo non « ad essentiam*) sacramenti, ad plenamque et perfectam « peccatorum remissionem, requiruntur, hac ratione (*non « vero quia sint essentiales ad valorem*) poenitentiae « partes dicuntur ». Verba huiusmodi scotisticae doctrinae positive favere videntur (1).

Scoto autem (inter antiquos) favent theologi gravissi-

(1) Pallavicini (*Storia del Concil. di Trento Tom. III. L.* XII *C.* X) scripsit: « Nè poco fu discusso, in qual modo gli atti del penitente dove-

mi, inter quos citantur S. Bonaventura, Vega, Maior, Canus, et Maldonatus, qui dixit, hanc esse sententiam *veriorem*.

S. Thomas adducitur tamquam antesignanus contra Scotum (unde schola thomistica hoc etiam in puncto scotisticae contraria est). Attamen S. Th. (*Suppl. IX.* 1), tractans quaestionem *utrum confessio possit esse informis*, affirmative respondet, et dicit: « Confessio potest esse « etiam in eo qui non est contritus...., et quamvis tunc « non percipiat absolutionis fructum (*nempe gratiam*), « tamen, recedente fictione, percipere incipiet, sicut etiam « in aliis sacramentis est. Unde *non tenetur iterare con-* « *fessionem qui fictus accedit, sed tenetur postmodum* « *fictionem suam confiteri* ».

Dicunt S. Thomam hic loqui de casu communiter admisso poenitentis obliti bona fide alicuius peccati, de quo ne implicite quidem doleat, dum dolet de aliis ex motivo particulari. Ita (inquam) dicunt; sed hoc esse non potest, quia S. Doctor (ut ex iis, quae sibi obiicit, patet) loquitur de eo qui, dum confitetur, *non habet cor ori conforme, quia corde peccatum tenet* QUOD ORE DAMNAT.

Alii dicunt S. Thomam supponere quod poenitens non teneatur iterare confessionem, quia redeat ad eundem confessarium; at vero id etiam stare nequit, quandoquidem, iuxta S. Doctorem, tota ratio cur poenitens fictus non teneretur iterare confessionem, est quia ille nihilominus peccata sua iam pandidit sacerdoti, et clavibus Ecclesiae se subiecit, et sic satisfecit substantiae confessionis, quamvis non satisfecerit confessionis fini.

« vano dichiararsi parte del Sacramento, senza pregiudicare alla sentenza « di Scoto, alla quale parimente non aveva voluto far pregiudizio il Con- « cilio di Firenze ». Et *Cap. XII* subdit: « Non chiamò (il Concilio) « quegli atti *materia*, ma *quasi materia* del Sacramento, e così venne « piuttosto a confermare la sentenza di Scoto, che non siano veramente « materia.... Più verisimile parrebbe che fosse rincresciuto ai Francescani... « l'affermarsi dal Concilio che queste operazioni del penitente siano parti « del sacramento; volendo Scoto che siano bensì necessarie circostanze « (nel che si allontanò dalla susseguente eresia dei moderni) ma non già « parti. Con tutto ciò non mancano solenni dottori Francescani che cercano « d'esplicare il loro maestro nel senso non contrario al comune, e fra gli « gli altri Andrea Vega... che aveva esposta la sentenza di Scoto sì fat- « tamente che solo in vocaboli potesse aver difficoltà, ma che fosse vera « nella sostanza; cioè sì che Scoto non neghi essere questi atti parte del « sacramento in qualunque modo, ma parti essenziali, ponendoli per sole « *integrali* come parlan le scuole. E noi già vedemmo che il Concilio pro- « cede in ciò con molto rispetto verso l'opinione di Scoto, dichiarando « nel *Cap. 3* e nel *Can. 4* i prenominati atti del penitente non parti del « sacramento, ma della penitenza; ed esplicando nel suddetto *Cap. 3* « che in tanto si chiamano parti della penitenza, in quanto per istituzione « di Dio richieggonsi nel penitente all'*integrità* del sacramento, ed alla « piena e perpetua remissione dei peccati ».

Sic itaque S. Thomas (non tamen eius schola) admittebat (saltem in loco citato, alibi enim aliter loqui videtur), sacramentum poenitentiae sine contritione esse quidem informe sed validum : et sic ille quoque Scotista vel plus quam Scotista erat.

Iuxta hanc Scoti sententiam, melius intelligitur 1° Quomodo confessio sacrilega sit sacramentalis ; eccur enim esse deberet sacramentalis, si, deficiente (et quidem mala fide) dolore essentiali, sacramentum (sicut baptismus sine aqua) nullo modo adesse posset ? Melius intelligitur 2° Cur absolutio possit et debeat dari moribundis sensibus destitutis. Dicunt quod moribundus motu digiti, contorsione oculorum, anxia respiratione etc. semper dabit aliquam tenuem probabilitatem quod talibus signis intendat confessionem facere. Sed quid si in manifesto delirio versetur? Quid si nec digitos nec oculos moveat nec anxie respiret? Quid si in delirio imprecetur, blasphemet etc.? Argute dicit Ballerini (*506 not. b*), praedictam probabilitatem vere adeo tenuem esse posse, ut facile e manibus imo et oculis elabatur. Denique 3° melius intelligitur cur christifideles confessionem facientes intelligant quidem suscipere sed non efficere sacramentum, neque se agere ut Christi ministros ullo modo existiment.

3. *Quid igitur concludendum ? Standumne est cum Thomistis, an vero cum Scotistis ?* Practice tenenda est sententia quae imprimis saluti animarum, et deinde sacramento, magis favet. In casibus particularibus modo una et modo altera sententia melius deservit; et proinde modo cum Thomistis et modo cum Scotistis standum. Agitur, v. g. de instruendo populo? Tunc oportet iuxta doctrinam thomisticam illum edocere, sicut facit catechismus romanus, et dicere quod confessio sine dolore et proposito, vel in qua advertenter peccata reticentur, est tamquam baptismus sine aqua, et proinde invalida atque repetenda. Agitur de hac ipsa confessione, quae consulto sacrilege facta fuerit ? Cum Scotistis consideranda erit ut sacramentalis relate ad sigillum quod de illa quoque servandam erit. Agitur de absolvendis moribundis sensibus destitutis? Tunc pariter standum erit cum Scotistis, et (sicut rituale et theologi docent) moribundi isti sunt absolvendi.

Sectio II.

DE SUBIECTO POENITENTIAE
seu de actibus poenitentis.

4. *Quinam sunt actus poenitentis?* Sunt tres: **contritio, confessio** et **satisfactio.**

Patet ex Tridentino, ex fine poenitentiae, et ex praecepto atque voluntate Domini Nostri Iesu Christi. Enimvero finis poenitentiae est inire aut confirmare pacem cum Deo, quem peccata mortalia inimicum, et venialia aliquantisper aversum nobis reddiderunt. In hunc finem oportet imprimis ut homo peccata sua detestetur, atque ad congruam satisfactionem Deo offenso praebendam sit paratus.

Praeceptum autem et voluntas Iesu Christi est, ut peccator peccata sua Dei ministro accuset. Vide Lugo (*De Poen. II et* III).

CAPUT I.

DE CONTRITIONE.

5. ***Quid est*** *contritio?* A Tridentino definitur: « Animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum « proposito non peccandi de caetero ».

Claritatis gratia, prius de dolore, et postea de proposito agendum est.

ARTICULUS I.

De dolore ac detestatione peccati.

6. ***Substantia contritionis*** *consistitne in dolore, an vero in detestatione? Quid est* ***detestatio?*** *Et quomodo probatur contritionem esse* ***necessariam?***

I. Communior et practice tuta (cum catechismo romano) theologorum sententia docet, *substantiam contritionis reponi debere in detestatione,* quae caeteroquin a dolore (seu a quadam animi tristitia) separari non poterit.

II. *Detestatio* autem confundenda non est cum quadam simplici displicentia, quae efficiat ut peccata sub uno respectu displiceant, et sub alio adhuc placeant; unde homo in substantia adhuc approbet se male egisse. Vera

detestatio adest, quando poenitens peccata commissa ita abominatur, ut intra se dicat: *Vellem illa non commisisse;* quatenus, si illa non potest destruero de facto (quod est impossibile), saltem illa destruat desiderio.

III. *Necessitas contritionis* patet ex Trid. (*XIV.* iv) dicente: « Fuit quovis tempore ad impetrandam veniam « peccatorum hic contritionis actus necessarius, et in ho- « mine post baptismum lapso ita demum praeparat ad « remissionem peccatorum, si cum fiducia divinae miseri- « cordiae et voto praestandi reliqua, coniunctus erit, quae « ad rite suscipiendum hoc sacramentum requiruntur. « Declarat igitur sancta synodus, hanc contritionem non « solum cessationem a peccato et vitae novae propositum « et inchoationem; sed veteris etiam odium continere, « iuxta illud: *Proiicite a vobis omnes iniquitates ve-* « *stras, in quibus praevaricati estis, et facite cor no-* « *vum et spiritum novum.* Et certe qui illos Sanctorum « clamores considerant: *Tibi soli peccavi et malum co-* « *ram te feci: Laboravi in gemitu meo, lavabo per sin-* « *gulas noctes lectum meum: Recogitabo tibi omnes* « *annos meos in amaritudine animae meae,* et alios « huiusmodi generis; facile intelliget, eos ex vehementi « quodam anteactae vitae odio, et ingenti peccatorum dete- « statione manasse ».

7. *Quaenam sunt* ***qualitates doloris?*** Theologi passim docent quod dolor debet esse 1° internus; 2° verus; 3° supernaturalis; 4° summus; 5° universalis. Quae omnia breviter explico.

8. *Quomodo erit* ***internus et verus?***

Internus erit, si poenitens non labiis dumtaxat seu apparentiâ externâ, sed ex corde (nempe ex voluntatis determinatione) peccata sua detestetur.

Notandum quod plurimi poenitentes in hoc deficiunt, et credunt sufficere si formulam contritionis legant aut recitent.

Erit *verus,* si de facto subsistat cum omnibus suis dotibus necessariis (quae hic explicantur); nec sufficeret dolor mere existimatus, si nempe poenitens bona fide crederet se habere sufficientem dolorem, dum reapse illum non haberet.

Si enim dixeris dolorem esse veram materiam sacramenti, non sufficit dolor existimatus, sicut si quis baptizaret cum vino, credendo esse aquam. Quamvis autem diceres dolorem non materiam sed solum dispositionem esse, fateri deberes hanc ipsam dispositionem esse necessariam non putative sed realiter; si enim peccator de facto non retractet peccatum sicut oportet, Deus illi veniam non concedit. Item non sufficeret si poenitens desideraret se habere verum dolorem, aut doleret quod non doleat. Si tamen poenitens non haberet affectum ad ullam culpam, facillimum esset quod ex mero scrupulo crederet se non habere verum dolorem, falso reputans quod dolor debeat esse in sensu, dum sufficit quod sit in voluntate, ut catechismus rom. aperte declarat.

9. *Quomodo debet esse* ***supernaturalis?*** Debet esse supernaturalis dupliciter, nempe *ratione principii* (quatenus non solis naturae viribus sed auxilio divinae gratiae elici debet); et *ratione motivi*, quatenus oportet ut ex motivis lumine fidei cognitis procedat; secus enim non adesset proportio, et Innocentius XI damnavit prop.: « Probabile est sufficere contritionem naturalem, modo « honestam ».

At vero, si dolor de facto eliciatur ex motivis supernaturalibus, auxilium gratiae divinae nunquam deerit, ut fuse demonstrat Suarez (*De Poenit. III.* VII); unde in praxi poenitentes adhortandi erunt quidem ut precibus Dei auxilium implorent, quo adiuti vere poeniteant; sed, poenitentia subsecuta, certi esse poterunt, quod, si dolor fuit supernaturalis ratione motivi, etiam rationem principii supernaturalis fuit; idque quamvis forte divinum auxilium precibus non imploraverint; nec audiendus est Caietanus, qui contra sensit.

10. ***Quaenam sunt motiva*** *huiusmodi supernaturalia?*

Ad quatuor classes reduci valent; quatenus fundari possunt 1° in Dei amore filiali: 2° in Dei amore servili; 3° in timore poenarum et ammissione praemii coelestis; 4° in consideratione turpitudinis peccati. Me explico.

1. Dolor fundatur *in amore filiali* (qui dicitur etiam amor amicitiae et benevolentiae) quando quis, considerando divinas perfectiones (aut aliquam ex perfectionibus iisdem; Cf. Ballerini *Op. th. X.* v *29*), reflectit Deum esse infinite dignum amore propter se ipsum, et proinde dolet quod, loco illum amandi, illum offenderit.

Dolor huiusmodi continet amorem Dei sive explicite, sive implicite. Illum contineret explicite si quis diceret: *Quia Deus est bonitas infinita et omni amore dignus, illum amo, et omnibus aliis rebus praefero; et proinde peccata mea, quibus illum offendi super omnia alia mala detestor.* Implicite vero si quis dicat: *Detestor peccata mea super omnia alia mala quia offendi Deum infinite bonum et omni amore dignum.* Idque profecto

sufficit: si enim poenitens ex motivo amoris movetur, iam virtualiter amat. Cf. Suarez (*De Poenit. IV.* 11).

II. Dolor fundatur *in amore servili* (seu concupiscentiae), quando quis, considerando Deum tamquam *sibi* beneficum aut misericordem, aut obiectum suae aeternae beatitudinis in paradiso, dolet quod, loco illum amandi propter haec beneficia, illum offenderit.

Notandum quod huiusmodi amor servilis facile transit in amorem filialem; si nempe quis consideret beneficentiam et misericordiam Dei non solum tamquam sibi utilem, sed etiam tamquam attributum, quod, independenter ab omni utilitate propria, infinite amabilem Deum reddit.

III. Quomodo dolor fundari possit *in timore poenarum* et ammissione praemii caelestis, clarum est per se, et aliqua declarabuntur infra.

IV. Denique dolor fundatur *in consideratione turpitudinis peccati*, quando quis dolet de peccato non ex motivo charitatis et quia Deum amet (ut supra *h. n. I*), bene vero ex aliis motivis, v. g. propter ingratitudinem contra Deum, inobedientiam, iniuriam etc. Cf. Lugo (*De Poenit. V 142*) et Ballerini (*Op. th. X.* v *38*). Sed hoc etiam melius declarabitur infra (*n. 16*).

11. *Quid ergo de differentia inter contritionem perfectam et imperfectam, sive (ut vulgo dicitur) inter* ***contritionem et attritionem?***

I. Differentia est imprimis *quoad motivum*. Enimvero *contritio* habetur quando dolor concipitur primo ex supradictis motivis et fundatur in amore filiali. *Attritio* autem habetur quando dolor concipitur aliquo ex aliis tribus motivis, et fundatur sive in amore servili, sive in timore poenarum vel amissione praemii, sive in consideratione turpitudinis peccati.

II. Differentia est etiam *quoad effectum*. Contritio enim (cum voto sacramenti, saltem implicito) hominem Deo reconciliat etiam extra sacramentum; scriptum est enim: « Ego diligentes me diligo », et « Charitas operit « multitudinem peccatorum ». Attritio e contra vim huiusmodi non habet, quum scriptum sit: « Qui non diligit « manet in morte »; attamen in sacramento proxime disponit ad iustificationem, et sacramentum tunc infundit charitatem habitualem; unde homo sic fit ex attrito con-

tritus, nec amplius manet in morte, bene vero ope absolutionis iustificatus remanet. Cf. Lugo (*De Poen. V 146*).

12. Haec omnia patent ex Tridentino (*XIV.* IV) dicente: « Docet praeterea (S. Synodus), etsi contritionem « hanc *aliquando* charitate perfectam esse contingat, homi- « nemque Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum « actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi « contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, « non esse adscribendam. Illam vero contritionem imper- « fectam, quae attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis, « peccati consideratione, vel ex gehaennae et poenarum « metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi « excludat, cum spe veniae; declarat... donum Dei esse et « Spiritus Sancti impulsum non adhuc quidem inhabitantis « sed tantum moventis, quo poenitens adiutus viam sibi « ad iustitiam parat. Et, quamvis sine sacramento poeni- « tentiae per se ad iustificationem perducere peccatorem « nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in sacramento poe- « nitentiae impetrandam *disponit*. Hoc enim timore uti- « liter concussi Ninivitae ad Ionae praedicationem, plenam « terroribus poenitentiam egerunt, et misericordiam a « Domino impetrarunt. Quomobrem falso quidam calu- « mniantur catholicos scriptores, quasi tradiderint, sacra- « mentum poenitentiae absque bono motu suscipientium « gratiam conferre ».

13. Equidem nonnulli auctores, speciatim rigoristae (v. g. Merbesius, Concina, Antoine), docuerunt exigi semper contritionem aut saltem attritionem talem, quae amorem initialem verae charitatis (etsi in gradu remisso) includat.

Si per amorem initialem intelligerent amorem concupiscentiae, quo homo convertitur ad Deum tamquam fontem salutis cum spe veniae, id concedendum esset; sed ipsi (ut dixi) veram charitatem seu amorem filialem exigunt, et in hoc falluntur: pro certo siquidem habendum est quod sola attritio sine huiusmodi amore initiali in sacramento sufficit. Veritatem istam plene et copiose demonstrare atque elucidare mihi non est animus. Praecipua tamen argumenta sunt sequentia.

I. Si exigeretur amor initialis verae charitatis, tunc

iam contritio, quae per se sufficit ad iustificandum hominem extra sacramentum, exigeretur; dicente S. Thoma (*Suppl. V.* III): « Quantumcumque parvus sit dolor, dum-« modo ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam « delet ».

II. Sic autem poenitentia esset sacramentum non iam mortuorum; sed vivorum et proinde non solum per accidens sed semper et per se, actu quo administratur, gratiam secundam conferret.

III. Vix perciperetur in quo consisteret absolutio aut denegatio absolutionis. Si enim poenitens per contritionem iam esset solutus, in conscientia et coram Deo absolutio nihil solveret, et denegatio absolutionis nihil ligaret. Sed tunc verba Christi: « Quorum remiseritis peccata, remit-« tentur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt » ad quid reducerentur?

IV. Tridentinum (verbis supra citatis) dicit, *aliquando* contingere quod homo se praesentet iam contritus, et remanserit iustificatus ante sacramentum; sed (si vera esset sententia dictorum theologorum) sic contingere deberet semper. Vim producendi iustificationem ante sacramentum attribuit soli contritioni perfectae, non vero attritioni: attamen de attritione dicit quod *disponit* ad iustificationem in sacramento. Sed quomodo disponit? Nunquid remote, adducendo poenitentem ad contritionem perfectam ante sacramentum? Sed tunc iustificatio non aliquando, bene vero semper (ut modo dicebam), accideret ante sacramentum; quod iterum esset contra id quod prius dixerat. Restat ergo ut loqui intenderit de *dispositione proxima*, quatenus ipsa attritio (quin transierit in contritionem actualem) est dispositio sufficiens ut poenitens absolvi et absolutio contritionem aut charitatem habitualem atque adeo iustificationem producere possit. Vide Lugo (*De Poenit. V 143-147*).

Obiiciunt quod Tridentinum (*Sess. VI Cap. VI*), agens de modo praeparationis ad iustificationem in adultis peccatoribus ante baptismum, inter alia dicit: « Dum peccatores se esse intelligentes, a divinae iustitiae « timore quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam « se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum « propitium fore, illumque tamquam omnis iustitiae fontem diligere inci-« piunt ». Ergo (aiunt) amor initialis omnino exigitur.

Respondeo amorem initialem esse quoque amorem concupiscentiae, dicente S. Thoma (*I. 2 XL.* VIII): « Ex hoc quod per aliquem speramus « nobis posse provenire bona, movemur in ipsum sicut in bonum nostrum, « et sic incipimus ipsum amare ». Quod autem Tridentinum de hoc amore concupiscentiae et imperfecto loqui intenderit, patet quia (ut notat Pallavicini *Storia del Concil. di Trento I.* VII), quum aliqui Patres contenderent ut iis verbis *diligere incipiunt* adderentur haec alia *per actum charitatis*, Concilium additionem istam facere noluit.

Instant quod, referente eodem Pallavicinio, Trident. (*Sess. XIV.* IX) agens de attritione (in textu supra relato *n. 12*), dixit quod ipsa ad gratiam in sacramento impetrandam *disponit*, et noluit ut diceretur *sufficit*, sicut proponebatur. At vero ita se gessit Tridentinum ne crederetur sufficere attritionem absque dicto amore imperfecto, quam antea (in *Sess. VI.*, ut modo vidimus) exigi indicaverat.

IV. Doctrina de sufficentia attritionis sine ullo amore charitatis, traditur a theologis innumeris tam post quam ante Tridentinum (contra paucissimos). Agmen istud ducunt doctores primi subsellii, inter quos S. Thomas, Suarez, Lugo, S. Ligorius etc. etc.; et quidem ita ut doceant hanc doctrinam non iam solum ut probabilem, sed ut certam, et omnino tutam in praxi. Insuper haec doctrina non solum traditur in scholis, sed etiam in catechismis quibus christifideles instruuntur. Sed nunquid potuisset Ecclesia instructionem huiusmodi semper permittere, semperque tacere, si esset falsa, aut propter dubium (in re tanti momenti) periculosa? Vide Scavini (*III 427*) et Ballerini (*Op. th. l. c. 42 et seqq.*).

14. *Circa doctrinam de sufficientia attritionis* ***estne aliquid notandum?***

Notandum 1° aliud esse dicere: *Me poenitet propter infernum*, et aliud dicere: *Si non adesset infernus, peccarem.* In primo casu adest **timor servilis,** qui est bonus atque utilis (ut supra); sed in secundo casu adesset timor **serviliter servilis,** qui (uti patet) perversam voluntatem includeret, et peccaminosum foret.

Idem dic si quis diceret: Si peccando Paradisum non amitterem, aut si peccatum talem vel talem specialem turpitudinem (propter quam doleo) non haberet, peccarem.

Notandum 2° quod quamvis attritio certe sufficiat, tamen fideles adhortandi sunt etiam ad contritionem perfectam; illa enim (praeterquam quod iustificationem adducit etiam extra sacramentum) valde magis placet Deo, maio-

rem meritum habet, et, uno verbo, valde meliorem dispositionem efformat.

Insuper, si multis facilior est attritio, multis e contra facilior est contritio, et propter offensam Dei infinite boni de peccatis propriis facilius dolent, ut, poenitentes interrogando cur doleant, manifeste patet.

15. *Quum aliqua ex dictis motivis sive contritionis sive attritionis cognoscantur etiam solo lumine rationis, explica* ***quotupliciter motiva poenitentiae possint esse supernaturalia?***

Hoc dupliciter accidere potest: nempe 1° si sint supernaturalia *in se*, quatenus solo lumine rationis cognosci nequeant. Huiusmodi autem sunt considerando, v. g. Deum ut auctorem gratiae, redemptionis et beatitudinis supernaturalis; vel considerando peccatum sive quatenus nos gratia, fructu redemptionis, et beatitudine privat; sive quatenus animam ad imaginem Dei factam atque ad statum supernaturalem elevatam foedat; sive quatenus se opponit virtutibus, quibus aeternam beatitudinem assequi possemus. 2° Si sint supernaturalia *quoad modum* ea cognoscendi; considerando quidem, v. g. Deum ut auctorem naturae, providum, sapientissimum, optimum, legislatorem, punitorem etc.; sed non solo lumine rationis, prout faceret homo paganus; bene vero etiam lumine fidei, prout facere solent christiani; quo fidei lumine utique sciunt Deum esse creatorem coeli et terrae, suamque legem dedisse, et praevaricationes sive in inferno, sive in purgatorio, sive etiam in hoc mundo, punire. Dixi *prout facere solent christiani;* non enim timendum est ne christifideles potius lumine rationis (et quia sic doceat Plato, Socrates, Cicero) quam lumine fidei, in huiusmodi motivis considerandis, ducantur.

16. *Quoad attritionem conceptam* ***ex consideratione turpitudinis peccati*** *lumine fidei cognitae, estne aliquid notandum?*

Lugo *(V 142)* censet, istam sufficere solum si turpitudo habeat relationem ad Deum, v. g. propter ingratitudinem, iniuriam etc. contra Deum ipsum; non vero si peccatum consideretur ut turpe propter alias rationes, v. g. quia deturpet animam, vel specialem foeditatem habeat, prout contingit in peccatis carnalibus, iuxta illud: « Homo cum in honore esset « non intellexit, iumentis insipientibus comparatus est et similis factus « est illis ».

Sed Suarez docet, sufficere si peccati turpitudo etiam sine relatione ad Deum consideretur dummodo lumine fidei cognoscatur; dummodo nempe talis turpitudo in intellectum poenitentis ex fidei influxu impressionem faciat. Et haec doctrina practice teneri potest. Ratio est non solum quia Tridentinum de hac relatione ad Deum nihil dicit, sed praecipue quia in catechismis, qui passim adhibentur, de circumstantia ista nihil invenitur; nec (ut supra innuebam) supponi potest quod Ecclesia permittat ut populus christianus circa rem practice necessariam non instruatur, maxime quoad sacramentum cuius usus adeo frequens et tanti momenti est.

Lugo obiicit quod relatio ad Deum exigitur ut peccator ad Deum ipsum convertatur; at vero haec conversio in aliis poenitentis actibus, et maxime in spe et petitione veniae, reperitur; nonne enim fideles ad confessionem accedunt ut cum Deo reconcilientur?

17. *Quid de attritione concepta* ***ex metu purgatorii,*** *vel* ***poenarum temporalium huius mundi?***

Certissimum est, *metum purgatorii* (si res sit de venialibus aut mortalibus aliqs confessis) sufficere.

Aliqui dubia movent circa metum *malorum temporalium huius mundi,* v. g. pestis, terraemotus etc., quamvis lumine fidei dignoscantur ut a Deo vindice inflicta vel infligenda. Sed dubia huiusmodi nullum solidum fundamentum habent, et sunt contra communissimam sententiam theologorum, qui doctrinam de huius metus sufficientia tradunt absolute nulloque iniecto dubio, vel dicunt esse probabilissimam, aut moraliter certam et tutam in praxi; imo plures docent non solum esse certissimam, sed catholicam et de fide, quatenus Trid., agens de attritione, utitur verbo generali *poenarum* et adducit exemplum Ninivitarum, qui ad Ionae praedicationem (clamantis: Adhuc quadraginta dies et Ninive subvertetur) plenam terroribus poenitentiam egerunt. Dubia itaque paucorum theologorum nulla probabili ratione fulcita certitudinem huius doctrinae infringere non possunt, atque ad inanes scrupulos amandanda sunt. Vide Ballerini (*Comp. n. 452 a*).

Dixi *quamvis lumine fidei dignoscantur,* si enim peccator doleret solum propter infamiam vel infirmitatem ex suis peccatis subsecutam, vel propter carcerem, mulctam etc., quin lumine fidei ullatenus duceretur; utique dolor huiusmodi (tamquam undequaque naturalis) deservire non posset (ut vidimus supra *n. 9*). Secus esset (ut notant passim) si peccator ipse huiusmodi infortunia acciperet

lumine fidei tamquam a Deo sibi inflicta ; quatenus fides docet quod propter peccata veniunt adversa.

18. *Quo sensu dolor debet esse* ***summus?***

I. Summus esse potest primo **appretiative ;** idque duobus modis, nempe *modo negativo* et *modo positivo.*

Summus appretiative *modo negativo* contingit quando poenitens non habet actum voluntatis quo paratus sit peccatum committere, si secus tale vel tale incommodum, damnum aut cruciatum subire cogeretur. Absentia huiusmodi voluntatis *quoad peccata mortalia* semper exigitur ; qui enim veliet peccare ad aliquod malum declinandum, iam actu peccaret, et proinde si peccatum esset mortale, iustificationis incapax foret ; unde Christus dicebat : « Qui « amat patrem aut matrem plus quam me, non est me « dignus ».

Si autem ageretur *de peccatis venialibus*, et poenitens doleret de iisdem quia summa facilitate ea evitare potuisset et sic pro nihilo Deum offendit ; tunc eorundem remissionem obtinere posset, etsi simul non esset dispositus ad ea evitanda si magnum incommodum subire cogeretur ; non obstante enim dispositione ista, iam haberet propositum vitae melioris, quo gratiae augmentum obtinere posset. Et idem dic si poenitens, quoad venialia, doleat de uno et non de alio.

II. Summus appretiative *modo positivo* contingit, si poenitens, considerans quod peccatum est summum malum, illud super omnia alia mala positive detestetur. Hoc certe exigitur in contritione perfecta ; scriptum est enim (*Deut. IV*) : « Cum quaesieris Dominum Deum tuum, in- « venies eum ; si tamen ex toto corde tuo quaesieris « eum » ; et solum quaestio esse potest an oporteat ut haec detestatio talis sit *explicite* (etsi solum in generali), an vero ipsum motivum infinitae Dei bonitatis, quo poenitens inducitur ad peccatum detestandum in contritione perfecta, virtualiter id quoque includat ut detestatio ipsa sit super omnia. Sententia quae hanc virtualem inclusionem negat (quam sententiam contra Suarez tuetur Lugo *De Poen. V 21*) mihi magis arridet ; ex eo enim quod quis amet Deum quia est infinite bonus, non sequitur

quod sit paratus ad eum amandum quantum haec ipsa infinita bonitas mereretur; sicut ex eo quod aliquis amicum propter eius bonitatem diligat, non sequitur quod sit paratus ad tale vel tale sacrificium pro ipso subeundum, quamvis illius bonitas id quoque mereretur. Hinc in praxi omnino consulendum est, ut qui actum perfectae charitatis aut contritionis elicere volunt, considerent Deum esse omnibus aliis rebus in quocumque eventu (propter suam infinitam bonitatem) praeferendum, et illius offensam *explicite* super omne malum detestentur etsi solum in generali, ut dixi. Non enim oportet ut mala particularia considerent; imo id nequidem expediret.

Pessime certe se gererent confessarii, si dicerent, v. g.: Essesne tu paratus pro Deo in frusta conscindi, excorticari, comburi, in infernum coniici? Porro ex una parte mala huiusmodi sic in particulari considerata humanam imbecillitatem nimis terrent, maximamque tentationem (quae forte ipsas animas perfectissimas haesitare faceret) efformant: et ex alia non debemus tentare Deum, ut extra casum necessitatis det gratiam, quam dato eventu certe suppeditaturus esset; est enim adiutor in opportunitatibus. Concionatores quoque id sedulo prae oculis habeant.

III. Loquendo autem de attritione, non videtur necessarium ut detestatio peccati concipiatur *modo positivo* super omnia. Vera enim et sufficientissima attritio concipi potest detestando peccata propter poenas (etiam temporales huius mundi, ut supra vidimus); unde exigi nequit ut poenitens detestetur peccata positive super omnia; tunc enim non propter poenas sed super poenas illa detestari deberet. Hinc Suarez (*V.* 1) dixit: « Contritio simpliciter detestatur « peccatum super omne detestabile: attritio vero non sem- « per, vel nunquam perfecte ».

IV. Dolor dicitur summus etiam alio sensu, nempe **intensive,** quatenus nempe voluntas, peccatum detestans, id faciat maxima vi, aut cor maximae afflictioni et compunctioni sensibili subiiciatur, unde poenitens gemitus emittat, lacrymas effundat etc.

Optandum ut dolor talis esset, sic enim contritio certior, et satisfactio abundantior foret; sed omnes fatentur, hoc *non esse necessarium.*

19. *Quo sensu dolor debet esse* ***universalis?***

I. Distinguere oportet imprimis inter peccata mortalia et venialia.

Quoad *mortalia*, subdistinguendum est inter universalitatem relate nedum ad valorem sed etiam ad effectum sacramenti (ut nempe peccator iustificationem obtineat), et universalitatem relate ed solum valorem.

II. Relate ad *sacramenti effectum,* dolor nedum debet non esse positive exclusivus alicuius peccati, sed vi propria *extendi debet* (saltem implicite) *ad omnia peccata* commissa et non adhuc remissa; unde si quis doleret de peccatis quae in mente habet, sed neque explicite neque implicite doleret de alio peccato oblito, iustificationem obtinere nequiret, quia peccatum oblitum nullo modo fuisset retractatum et sic gratiae obicem opponeret, quum unum peccatum mortale sine alio remitti nequeat.

Dixi *saltem implicite*; si enim poenitentis dolor fuerit ex motivo universali conceptus et positive summus, tunc etiam peccatum oblitum sub tali dolore implicite comprehenderetur; qui enim propter offensam Dei aut reatum poenae aeternae peccata, quae in mente habet, detestatur super omnia mala, iam virtute talis motivi cum tanta abominatione considerati, dolet etiam de peccato oblito, in quo eadem offensa et idem reatus reperitur.

Idem dic etsi dolor, ex motivo universali elicitus, non fuerit positive summus, dummodo poenitens ad peccatum oblitum affectum non habeat; tunc enim, ad illud virtualiter retractandum, praedicta abominationis intensitas necessaria non videretur.

III. Relate autem ad *solum sacramenti valorem*, iuxta doctrinam Scoti, sicut sacramentum valeret sine ullo dolore, ita a fortiori cum dolore non universali semper validum esset. Sed hic sequenti modo distinguendum est.

Defectus universalitatis contingere potest mala fide et bona fide. Si primum, Ecclesiae praxis non recipit doctrinam Scoti; unde, si poenitens mala fide retineat affectum alicuius peccati et sic cum formali sacrilegio confessionem faciat, adigitur non solum ad confitendum sacrilegium, sed etiam ad repetendam confessionem; talisque est instructio quae, ad normam catechismi romani, passim populo christiano datur. Si vero defectus universalitatis bona fide contigerit, tunc doctrina Scoti a fere

omnibus theologis admittitur; unde in tali casu poenitens confitendi quidem peccatum (sive accusatum sive oblitum) ad quod dolor extensus non fuit, obligationem remanet; non vero repetendi confessionem aliarum culparum quae cum vera detestatione accusatae fuerunt. Ita sentiunt etiam Suarez (*XX.* IV) et Lugo (*XIV.* VI *89*).

IV. Dices: In praxi casus huiusmodi quando contingit? R. Non solum quando quis doleat de peccato accusato, et de alio (ad quod dolor nullo modo extendatur) oblitus sit; sed etiam quando poenitens, plura mortalia habens, ea omnia confiteatur, sed bona fide de aliquo peccato mortali nec dolorem nec propositum verum concipiat (ut dicit Suarez *l. c.*), quamvis dolorem et propositum de aliis habeat. Id autem certe contingere potest si dolor ex motivo particulari elicitus fuerit; sed nihil vetat quominus hoc accidat etiam si motivum fuisset universale: nonne enim quis potest v. g. propter offensam Dei vel timorem inferni abstinere a multis peccatis, quamvis adhuc non se vicerit quoad aliquam culpam, quam caeteroquin detestari et deserere desideraret? Si hoc contingere potest dum homo aperte deprehendit, quoad illam non vicisse semetipsum, quanto magis accidere poterit si bona fide credat se omnia detestari, confundendo desiderium doloris et propositi cum dolore et proposito ipso? Nonne hic est casus valde practicus multorum habituatorum et recidivorum? Vide etiam Lugo (*l. c. n. 75*).

20. *Quid de* ***universalitate doloris quoad venialia?*** Non solum quoad sacramenti valorem sed etiam quoad illius fructum, non exigi ut dolor sit universalis (sicut non exigitur ut sit summus), iam demostravi supra (*n. 18*) et fusius explicavi *De Recidivis* (*Ed. V n. 183* IV). Attamen etiam quoad venialia dolor debet esse *internus, verus* et *supernaturalis.*

Nunc dicendum est aliquid de nonnullis quaestiunculis, quae circa dolorem a theologis proponuntur.

21. Quaer. I. *An ad verum dolorem concipiendum* ***aliqua temporis diuturnitas exigatur?***

Verus dolor etiam minimo temporis momento (nisi speciales difficultates interveniant, iuxta dicta *Vol. II n. 401*) eiici potest; sed nimia festinatio periculosa est; sic enim de facili erit adeo levis et superficialis, ut, deficiente substantia, ad umbram reducatur.

22. Quaer. II. *Quid* ***de recogitatione singulorum peccatorum*** *ad concipiendum dolorem circa singula?*

Haec recogitatio non est necessaria; et interdum erit damnosa, quamvis interdum valde utilis esse possit.

Poterit esse damnosa, si, attenta peccati materia et poenitentis fragilitate, maxime vero habituali adhaerentia voluntatis et difficultate poenitendi si peccator de illis in particulari recogitet, periculum adsit ne ipse potiusquam peccatum detestetur ei iterum adhaereat.

Segneri (*Confess. istr. C XII*) dixit: « Si in poenitente adeo exi« gua dispositio adsit, ut vix ad valorem sacramenti sufficiat, tunc... pru-

« denter acceptabitur propositum genericum non amplius Deum offendendi, « quin ad propositum particulare non amplius committendi illam culpam, « a qua difficiliter se continet, descendatur ; si enim propositum particu- « lare magis efficax foret, generale sufficiens est ».

23. Quaer. III. *An non solum absolutionem, sed* ***etiam confessionem dolor praecedere debeat?*** Negative. Equidem S. Ligorius in primis editionibus, et in opere cui titulus *Homo Apostolicus,* reputabat id esse necessarium, tum quia dolor debet esse sensibilis fitque talis confessione, tum quia confessio debet esse dolorosa ; unde deducebat quod si poenitens, dolore non praemisso, confessionem fecisset, deberet postea, dolore concepto, subiungere: *de peccatis narratis me accuso.* Sed postea S. Doctor mutavit sententiam, et (*n. 445*) dixit sufficere si dolor post confessionem (dummodo ante absolutionem) eliciatur ; et haec doctrina tamquam vera haberi debet.

Ratio est quia dolor non solum confessione sed etiam aliis signis sensibilis evadere potest (nonne enim sensibilis evadit, dum poenitens, confessione facta, dicit se esse contritum aut contritionis formulam ex corde recitat?); neque probari potest quod confessio praecise debeat esse vero dolore informata ; sed sufficit si fiat non ad modum simplicis narrationis, bene vero cum intentione subiiciendi peccata clavibus Ecclesiae. Aliunde rituale dicit: « Au- « dita confessione.... (confessarius) ad dolorem et contri- « tionem efficacibus verbis adducere conabitur (poenitен- « tem) »; nec dicit quod a poenitente, ad contritionem sic adducto, repetitio confessionis sine sufficienti dolore prius peractae exigi debeat. Haec est sententia communissima ; illamque tenent Suarez et Lugo, qui (*XIV 13*) dicit, contrariam opinionem esse singularem, et habere contra se non solum theologos omnes, sed etiam universalem confessariorum praxim ; unde Baller. (*Comp. n. 447*) rectissime censet, eandem opinionem non esse probabilem, atque ad inanes scrupulos esse amandandam.

24. Quaer. IV. *Quid de dolore, qui* ***longo tempore ante confessionem*** *elicitus fuerit?* Si dicas cum Scotistis, dolorem non esse partem sacramenti, sed simplicem dispositionem ad retractandum peccatum, quod gratiae divinae obicem opponebat, consequenter dicere deberes suffi-

cere dolorem etiam a longo tempore elicitum, dummodo postea neque explicite neque implicite retractatus fuerit; atque ita sentiunt reapse plures auctores, apud Tamburini (*I.* II 5) et S. Lig. (*n. 546*), qui pro hac doctrina citat etiam Suarez, sed non accurate.

Si vero dicas cum Thomistis, dolorem esse veram sacramenti partem, tunc consequenter dicere debebis, esse necessarium ut inter illum et absolutionem unio moralis intercedat; sufficere tamen unionem moralem latam, quia agitur de sacramento instituto ad modum iudicii, cuius actus distantiam admittunt. Sed haec distantia quosque protendi poterit? Ad unum diem: respondent communiter; et S. Ligorius probat etiam sententiam illorum qui illam extendunt ad aliquot dies, dummodo dolor in renovatione intentionis, oratione, recollectione etc. virtualiter perseveret. Sententia exigens hanc unionem moralem est conformis usui Ecclesiae, et proinde in praxi servari debet.

Si tamen dolor elicitus fuerit ex intentione confessionis, videtur satis uniri, quamvis longiori tempore praecesserit, sicut contingit etiam quoad satisfactionem sacramentalem.

25. Quaer. V. *An pro confessione deservire possit* ***dolor, qui, dum elicitus fuit, ad sacramentum non dirigebatur?*** Resp. Affirmative.

Hic casus accideret si quis, concionem aut conscientiae examen faciens, culparum suarum dolorem conciperet, et postea, concepta voluntate sacramentum poenitentiae recipiendi, confessionem faceret, quin doloris actum renovaret.

Hoc in puncto non solum in systemate Scoti, sacramentum censeri deberet validum et efficax, ut per se patet; sed etiam Lugo (*XIII.* IV) aliique plures scholae thomisticae theologi idem sentiunt. Imo Suarez quoque (*XX.* IV) in substantia iisdem adstipulatur; dicit enim satis esse si poenitens actu confessionis det signum doloris praecedentis.

Ratio est quia abhorret omnino a sensu Ecclesiae quod dolor eliciatur a penitente tamquam a Christi ministro et operante nomine Christi; quo solo casu opus esset ut materia et forma adhiberentur cum intentione perficiendi

sacramentum; unde satis est si sacerdos bonam poenitentis dispositionem acceptet, illamque ad sacramenti materiam efformandam (si vera materia dici debeat) elevet et veluti consecret, sicut in aliis quoque sacramentis minister materiam ad esse sacramentale elevat.

Quae cum ita sint, contraria opinio tamquam non solide probabilis merito haberi potest. Vide Ballerini (*Comp. n. 447 q. 7 not. a*).

Adde quod in praxi dolor actu confessionis iam semper renovatur.

26. Quaer. VI. *An qui post absolutionem obtentam* ***peccati abliti reminiscitur*** *illudque statim accusat,* ***novum contritionis actum elicere debeat,*** *ut novam absolutionem obtineat?*

Si dolor elicitus fuerit ex motivo universali (prout ordinarie contingit), neque attenta qualitate peccati (v. g. magni odii, pravi amoris etc.), verendum sit ne poenitens nihilominus illi adhuc adhaereat; tunc novus contritionis actus necessarius non erit. Haec doctrina non solum est communis sed communissima, ut patet ex longissima theologorum serie, quos adducit Baller. (*Comp. n. 448 not. a*). Ratio est quia vix apparet quo ex capite dubitari possit. Revera 1° subsistit dolor, qui (iuxta hypothesim) etiam ad peccatum oblitum extenditur; 2° adest unio moralis inter illum et absolutionem, quum a brevissimo tempore elicitus fuerit; 3° totum dubium reducitur ad hoc quod, dum fuit elicitus, ad secundam absolutionem non dirigebatur; sed dubium istud nihil valet, tum quia probabilissime nequidem oportebat ut ad primam dirigeretur (ut modo vidimus); tum quia poenitens revera illum dirigebat ad habendam absolutionem peccatorum omnium, et sic etiam (implicite) ad habendam hanc secundam absolutionem; tum denique quia nullum est inconveniens si eadem materia pluribus sacramentis deserviat, sicut in praxi nonnunquam contingit ut unica satisfactio imponatur, quae valeat pro confessione presenti et etiam pro antecedenti, commutando aliam datam et non peractam; ut notat Viva (*Curs. Theol. III q. 3 art. 3 n. 8*).

Aliqui obiiciunt quod in materia sacramentorum standum est omnino a parte tuta, et in medium adducunt propositionem damn. ab Innoc. XI, quae dicebat : « Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinio-« nem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore ; nisi id vetet lex « aut conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia « probabili tantum utendum non est in collatione baptismi, ordinis sacer-« dotalis, aut episcopalis ».

Sed haec obiectio nullam vim habet. Ratio est quia 1° In casu nostro non agitur de sola probabilitate, sed de certitudine. 2° Non est necesse ut quodcumque dubium leve, et quodlibet modicissimum periculum irritandi sacramentum, attendatur, ut docet Sanchez (*Dec. I.* IX *35*). 3° Praedicti theologi non solum de valido sed de licito agunt ; et doctrina circa licitum quae habet pro se communissimum suffragium theologorum, etiam primi subselli, non potest esse damnata, nec comprehendi in aliqua propositione damnata, speciatim si, non solum ante sed etiam post damnationem, a theologis sustineatur, maxime vero si ipsi interpretes propositionum damnatarum in hoc conveniant, prout accidit in casu nostro, dicente Viva (*l. c.*): « Peccata oblita, quae immediate post absolutionem revelantur « non indigent novo dolore, ut iterum absolutio super iis conferatur ». 4° Notari potest demum quod plures theologi probatissimi (ut videre est apud Sanchez *l. c. 32*) docent quod christifideles, si accedant ad sacramenta cum dispositionibus probabilibus, non peccant, quum sic sufficientem reverentiam sacramentis exhibeant ; unde deducunt quod obligatio in ministris tuto procedendi non oritur a reverentia sacramenti, sed a damno quod christifidelibus obveniret ; et respicit partem quae a ministris ipsis, non vero partem quae a suscipientibus ponitur. Doctrinam istam (quae tamen hac in parte et sub hoc praecise respectu, mihi non placet, iuxta dicta *Vol. IV n. 814*) non esse confundendam cum propositione damnata, censent plures (Cf. S. Lig. *I 51*, Viva *Curs. Theol. III.* III *9;* Gury *II 437* et Ballerini *n. 447 q. 7 not. a*); haec enim propositio cum errore intolerabili in conclusione admittebat, usum materiae dubiae esse illicitum dumtaxat in baptismo et ordine sacerdotali aut episcopali ; doctrina praedicta e contra dicit id vetari etiam in aliis sacramentis, et solum contendit quod hoc vetitum respiciat partem ponendam a ministro, non vero illam quae a suscipiente ponitur, ut modo dicebam.

Quamvis itaque admitteretur esse solum probabile quod valida sit absolutio peccati obliti absque renovatione doloris, adhuc talis absolutio, iuxta plures, (non obstante propositione damnata) liceret. Quanto magis ergo licebit, quum valida sit non solum probabiliter, sed probabilissime et moraliter certe ?

Quod autem dictum est de casu isto, ad casus similes applicari debet ; nempe 1° Si poenitens post absolutionem accuset materiam dubiam, et confessarius ei imponat ut peccata mox accusata novae absolutioni subiiciat. 2° Si moribundus unum vel alterum peccatum dumtaxat prius accusare potuerit ; et postea, absolutione accepta, peccata reliqua confiteatur.

Non desunt theologi, qui doctrinam istam applicant etiam ad casum poenitentis se reconciliantis, qui scilicet post ultimam confessionem nihil commisit et proinde sine novo dolore accusat dumtaxat peccata in antecedentibus confessionibus accusata. Sed, propter defectum unionis moralis, hoc est contra praxim Ecclesiae et proinde non admittendum.

ARTICULUS II.

De proposito.

27. ***Quid est*** *propositum?* Est voluntas non peccandi de caetero.

28. Quaer. I. *An propositum abstinendi a peccatis debeat esse* ***explicitum?***

Haec quaestio parum ad praxim deservit; poenitentes enim propositum explicitum semper emittere solent. Illam itaque funditus et accurate examinandi animus mihi non est. Dicam nihilominus non unam esse hoc in puncto theologorum sententiam.

Plurimi dicunt quod propositum iam semper est implicitum in dolore et quod proinde non oportet ut explicite eliciatur. Haec doctrina sic absolute enuntiata probanda mihi non videtur; si enim res ita se haberet, eccur Concil. Trident. addidisset illa verba: *cum proposito non peccandi de caetero?* Insuper in praxi contingere potest quod poenitens, postquam peccata sua in globo detestatus fuerit, cogitet de vita futura, simulque, reflectens ad aliquam culpam valde allicientem, haesitet, atque ita (nisi proponat) iam in eo sit ut dolorem retractet. Imo mihi non est clarum quod voluntas peccandi in posterum cum dolore peccati praeteriti simul esse nequeat; non enim agitur de re eadem sub quovis respectu, quum peccatum futurum allicere possit multo facilius quam praeteritum. Nonne facile contingit quod homo, peccati futuri delectatione allectus, non se resolvat ad totaliter abstinendum, et eodem tempore, considerans offensam Dei et malum animae suae, dicat intra se: *Nollem in hoc vitium deflexisse; nollem tot enormitates commisisse; et etiam in posterum me emendare volo, sed non statim, sed paulatim, etc.?* Dispositio huiusmodi possibilissima et non rara mihi videtur.

Quid igitur concludendum? Dicerem. *Si poenitens cogitet de futuro* (intra se dicens: quid faciam in posterum?) tunc propositum explicitum semper exigitur.

Praescindendo ab hoc casu, si dolor fuerit positive summus, tunc propositum implicitum deesse nequibit; si vero ita summus non fuerit (Cf. *n. 18*), speciatim si de peccatis magnae adhaerentiae agatur et dolor in confuso et sine speciali eorundem peccatorum consideratione elicitus fuerit, tunc dubito.

29. Quaer. II. *Toties quoties adest propositum, adestne etiam dolor?* Non semper; interdum enim propositum etiam in impoenitente dari potest. Nonne enim qui homicidium commisit, firmissime proponere potest neminem in posterum se esse occisurum, et nihilominus gaudere de homicidio commisso? Idem dic de eo qui propter impotentiam, senectutem etc. proponat non amplius indulgere libidini, et nihilominus de peccatis prius commissis complacentiam habeat. Idem dic etiam si quis solum ex timore alicuius mali temporalis propositum conciperet. Hinc Leo X damnavit Lutherum dicentem quod ad iustificationem obtinendam sufficit propositum, et dolor non exigitur.

Attamen bene dolor potest esse implicitus in proposito; idque contingit quando quis non propter aliquod humanum motivum, sed propter offensam Dei, aliudve supernaturale motivum, propositum facit; quod tunc odium et detestationem peccati implicite includeret, essetque propositum veri poenitentis, et proinde sine alio dolore explicito sufficeret. Ita Lugo (*XIV 56*).

30. *Si propositum explicite eliciatur, quasnam* ***dotes*** *habere debet?* Debet esse 1° universale; 2° firmum; 3° efficax.

31. *Quomodo erit* ***universale?***

Distinguendum est inter peccata venialia et mortalia. Si agatur de venialibus (quae etiam cum ordinario auxilio gratiae evitari nequeunt totaliter), non exigitur ut propositum sit universale (iuxta dicta *De Recidivis Ed. V n. 183* IV): bene vero id exigitur si agatur de mortalibus.

Attamen, quoad ipsa mortalia, non oportet ut propositum circa singula reflexe concipiatur; imo id (ut supra innui) posset nequidem expedire si poenitens non valde compunctus haberet peccatum aliquod, cui habitualiter multum adhaereret; unde periculum adesset ne, ad illud reflectens, a proposito concipiendo retraheretur, ut cum P. Segneri notant Sporer (*n. 89*), Laymann, Mazzotta etc.

Sufficit itaque quod poenitens « concipiat *generale* « propositum nunquam iterum peccandi mortaliter » (Suarez *XXXII.* II *2*), et quod ab hoc proposito sic in genere facto nullum peccatum positive excludat.

32. *An sufficiat quod propositum referatur ad peccata commissa, an vero positive extendi debeat etiam ad alia peccata possibilia? An scilicet quoad peccata diversa ab accusatis sufficiat quod poenitens voluntatem ea committendi non habeat (sive quia illam nunquam conceperit, sive quia in aliis confessionibus illam deposuerit); an vero exigatur ut ille non solum peccata commissa (qua de re non est dubium),* ***sed etiam alia possibilia actu formali et positivo excludat?***

Suppono imprimis quod circa peccata commissa (sive confessa sive etiam oblita) sufficiens detestatio locum habuerit; et dico quod poenitens peccata quoque diversa a commissis certe deberet positive excludere si *forte de illis cogitaret;* sed, praescindendo ab hoc casu, theologi non conveniunt.

Suarez, aliique plurimi, agentes de proposito, nullo modo indicant quod etiam ad peccata non commissa positive extendi debeat. Lugo e contra, S. Lig., Navarrus, Mazzotta, Tamburini, Croix aliique pauci, dicunt, ad haec etiam sic extendi debere; attamen Croix (*n. 898*) et Lugo (*XIV 88*) dubitanter loquuntur. D'Annibale, Del Vecchio, Dicastillo, Hurtado, Aversa etc. docent aperte, id non esse necessarium.

Hanc ultimam sententiam credo esse veram. Eccur enim aderit necessitas positive excludendi peccata, quae nec in mente nec in voluntate ullatenus sunt? Nunquid peccata, ad quae poenitens nullum affectum unquam habuit, aut illum in praecedentibus confessionibus deposuit, obicem gratiae opponere poterunt?

Aliunde fundamenta contrariae sententiae non sunt solida. Dicunt: Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, « factus est « omnium reus ». Ita plane; sed hoc valeret pro illo qui ad aliquod peccatum affectum haberet; quod non accidit in hypothesi nostra. Recurrunt ad Tridentinum, quod ait: « Contritio est animi dolor et detestatio de « peccato commisso cum proposito non peccandi de caetero »; et, agens de attritione dicit, oportere ut « voluntatem peccandi excludat ». Sed quaenam ratio cogit ut verba ista de peccatis nunquam commissis positive excludendis intelligantur? Nunquid necesse erit excludere quod iam foris est? Verbum *de caetero* nonne accipi poterit pro *de novo?* S. Gregorius dicebat: « Poenitentia est anteacta peccata deflere, et deflenda *iterum* « non committere ». Qui peccata commissa non vult amplius committere nullamque habet voluntatem alia peccata committendi, nonne sufficienter

habet propositum non peccandi de caetero? Adducunt textum Exechielis (*XVIII 21*); « Si autem impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis « suis, quae operatus est, et custodierit omnia praecepta mea,... vita vivet, « et non morietur ». Sed haec verba (*custodierit omnia praecepta mea*) non iam referuntur ad propositum, bene vero significant quod ad vitam aeternam assequendam non sufficit poenitentia, sed exigitur ut post poenitentiam praecepta divina de facto observentur. Adducunt denique textum D. Thomae (*III.* LXXXII *ad 1*) dicentis: « Poenitentia de peccatis mortalibus requirit, quod homo proponat abstinere ab omnibus et singulis ». Sed hic textus non est ad rem: loquitur enim ibi S. Doctor de differentia inter propositum peccatorum mortalium et venialium, et dicit quod, si agatur de mortalibus, exigitur propositum abstinendi ab omnibus (affectus enim ad aliquod mortale obicem gratiae opponeret); sed, si agatur de venialibus, non oportet ut propositum ad omnia extendatur. Quid hoc cum casu nostro, in quo poenitens ad nullum peccatum habet affectum? Idem dic de Laymann, qui pariter in contrarium citatur.

Quum itaque doctrina de positiva extensione propositi ad peccata non commissa solido fundamento destituatur, credo quod, postquam poenitens sincere dixerit se poenitere de peccatis commissis et proponere ea amplius non committere, confessarius acquiescere possit, nec teneatur admonere illum ut etiam ad peccata non commissa propositum extendat; idque maxime si dolor fuisset positive summus et ex motivo universali conceptus in quo omnes conveniunt.

33. *Quomodo propositum erit **firmum**?*

Ad hoc non oportet ut poenitens consideret difficultates, quae in posterum occurrere poterunt (imo saepe id non expedit); neque ut talem ac tantum in se ipso experiatur animi vigorem, ut firmiter sibi persuasum habeat se illas omnes esse superaturum.

Quid ergo exigitur? Exigitur solum ut praedicta generalis voluntas non peccandi *nullum casum positive excludat, neque titubans sit* (si enim poenitens non se resolvit iam non proponit).

34. *Quid si poenitens in posterum se **esse relapsurum praevideret**? Haberetne tunc propositum firmum?*

Theologi dicunt, *solum timorem* relabendi non obstare. An autem obstaret *certa praevisio*, non conveniunt.

Mea sententia est sequens. Praevisio relabendi in peccatum *formale* contingere potest cogitando vel de speciali difficultate, vel solum de naturali mutabilitate voluntatis humanae.

Si poenitens cogitet de *speciali difficultate*, scilicet de circumstantia alliciente vel quomodolibet valde impellente, et dicat intra se: *Pro tali casu paratus sum ad*

peccandum; tunc certe propositum corrueret et poenitens iam actu peccaret. Si vero intra se diceret: *Vellem ut huiusmodi circumstantiae non acciderent: illas declinare volo, si potero; et, si non potero, me Deo commendabo; alia media adhibebo, pro viribus resistere conabor; sed propter magnam fragilitatem meam, praeteritam experientiam, et huiusmodi circumstantiarum multitudinem, valde timeo, imo praevideo, me esse relapsurum: attamen vellem mori prius* etc.; si, inquam, poenitens, hoc modo dispositus esset, iam, non obstante tali praevisione, propositum firmum haberet. Ratio est quia homo sic affectus vere non vult peccare, et praevisio lapsus futuri afficit intellectum, sed non voluntatem; aliunde unusquisque potest quidem disponere de actibus suis praesentibus prout vult; sed non aeque de futuris, propter naturam ipsam voluntatis humanae, quae necessario mutabilis est.

Si autem poenitens lapsum futurum praevideat non iam ex consideratione alicuius circumstantiae impellentis (quae consideratio magnam tentationem hic et nunc efformare potest); sed ex mera experientia *mutabilitatis et inconstantiae voluntatis humanae* atque fragilitatis iam omnibus communis, tunc talis praevisio (maxime si ageretur de tempore longo aut de solis venialibus) multo facilius non infirmabit propositum.

Utcumque, cum certitudine quoque lapsus futuri, propositum nedum firmum sed firmissimum stare potest. Nonne claudus firmissimam habet voluntatem non cadendi, etsi se esse in terram lapsurum certissime praevideat? Cf. *De Occasionariis* (*Ed. V n. 34*).

Hucusque dicta respiciunt casus peccati veri et formalis, sed quid de habituatis in blasphemiis, qui dicunt: *Pater, non possum promittere, quia prorsus impossibile est quod aliqua blasphemia e lingua non elabatur?* Isti edoceri debent, sufficere propositum abstinendi a blasphemiis advertenter prolatis; et quoad alias, quae sine advertentia proferuntur, sufficere propositum quamdam moralem vigilantiam et congrua media adhibendi.

35. *Quomodo propositum erit* ***efficax?*** Ad hoc exigitur ut poenitens *paratus sit adhibere media necessaria*

ad non relabendum. Intellige tamen dummodo 1° media ista ei proponantur, aut quomodolibet de iis cogitet; 2° agatur de mediis vere obligatoriis, cuiusmodi esset fuga occasionis proximae voluntariae; multa media enim sunt solum de consilio, neque verum est quod poenitens teneatur obedire confessario in omnibus, ut ostendit Suarez (*XX.* IV *in fin.*). Cf. *De Occasionariis* (*l. c.*).

CAPUT II.

DE CONFESSIONE.

36. ***Quid est*** *confessio?* Est accusatio peccatorum confessario facta atque ad absolutionem obtinendam directa.

37. *Quaenam sunt* ***dotes bonae confessionis?*** Confessio debet esse brevis, modesta, humilis, maxime vero integra.

38. *Explica quomodo confessio debeat esse* ***brevis, modesta, et humilis?***

I. *Brevis.* Confessiones in longum productae solent efficere ut deficiat tempus pro admonitione, et pro audiendis aliis poenitentibus: insuper possunt esse periculosae confessario et poenitenti (maxime si sit foemina iuvenis): imo etiam apud populum scandalosae, Huius inordinationis causa aliquando est poenitens, et aliquando etiam confessarius, si nempe sermones extranei introducantur etc.

II. *Modesta*, utendo verbis in accusandis peccatis carnalibus, quantum fieri potest, modestioribus et generalioribus, ita ut sufficiant ad speciem intelligendam, absque descriptionibus, quae imaginationi totam rem vivide repraesentant, magnumque periculum inducunt. Confessarius has descriptiones obtruncet dicendo: *intellexi*, et instruat poenitentem quomodo sequentibus vicibus dicere debeat.

III. *Humilis.* Contra confessionis humilitatem solent esse excusationes. Attamen notanda sunt sequentia.

Excusationes illicitae sunt certe si sint falsae. Non tamen confessionem sacrilegam reddunt, nisi eo tendant ut confessarius graviter decipiatur.

Si autem sint verae, tunc sine peccato adhiberi poterunt, ut notat Navarrus (*VI 6*). Imo interdum poenitens teneretur se excusare, si nempe id necessarium esset ut confessarius non credat esse mortale quod fuit veniale; et catechismus rom. absolute dicit quod circumstantiae, quae peccatum *valde minuunt*, sunt declarandae.

Caeterum excusationes levis momenti studiose accumulare non convenit; id enim esset contra confessionis humilitatem, et ipsam contritionem in periculum coniicerent. Adde quod poenitentes saepe saepius, ad has inanes excusationes adducendas, defectus et peccata aliorum in medium adducere solent.

IV. *Integra.* Integritas est dos magis momentosa; et distinguitur inter *materialem* et *formalem*. De utraque singillatim agendum est.

ARTICULUS I.

De integritate materiali.

Praenotandum quod materia confessionis alia est *necessaria* et alia *libera*.

39. *Quaenam est* ***materia necessaria*** *et quaenam* ***libera?***

Materia *necessaria* consistit in illis peccatis et circumstantiis quae ex praecepto Domini nostri I. C. in confessione accusanda sunt, nisi iustae causae obstent.

Materia *libera* consistit in illis peccatis et circumstantiis, quae possunt quidem absolutioni subiici, sed quin vera obligatio adsit.

40. *Explica enucleatius quaenam sit materia necessaria, seu quid in confessione* (*supponendo non adesse iustum impedimentum*) *necessario accusari debeat?*

Necessario accusari debent peccata mortalia post baptismum commissa atque ante nullatenus vel non valide confessa; iuxta eorundem speciem, circumstantias sive speciem mutantes sive ex alio capite necessario accusandas, et numerum.

41. *Peccata accusanda debentne esse* ***formalia?*** Utique; illa enim quae absque cognitione malitiae (prout saepe contingit in peccatis pueritiae), aut sine advertentia ad culpam (prout, ut modo dicebam, aliquando contingit speciatim in blasphemiis), commissa fuerunt, accusare non tenemur; nisi sint voluntaria in causa, v. g. in negligentia emendationis; de qua tamen dicit Ballerini (*Comp. I n. 300 not. a*), « difficulter decerni posse quando gravis « sit reatus negligentiae in iis, qui causam utique retra- « ctant et conatum aliquem adhibent, qui tamen non « semper sit intensus ».

42. *An* ***actus externus,*** *et* ***effectus secutus*** (*si causa culpabiliter apposita fuerit*) *necessario accusari debeat?*

I. Peccata (ut patet ex perpetuo et universali Ecclesiae sensu atque adeo ex traditione divina) accusari debent prout communiter denominantur.

II. Hinc non solum malitia interna, sed etiam (si locum habuerit) *actus externus* (etsi forte malitiae internae, in qua proprie culpa consistit, nihil vel parum addiderit) accusari debent; semper enim peccata verbi, operis et omissionis a peccatis simplicis cogitationis distincta fuerunt; et hac in re non a philosophia, sed a sensu et praxi Ecclesiae (ut dixi) regula sumi debet. Qui itaque calumniam intulit, aut se inebriavit, aut ieiunium omisit, non bene se accusaret dicendo: *intra me statui calumniam inferre*, vel *me inebriare*, vel *ieiunium omittere.*

III. *Effectus secutus* autem ordinarie et per se accusari non debet, quia ab illo ut plurimum peccatum non denominatur. Sic qui scandalum indirectum dedit, non oportet ut dicat quaenam peccata ex scandalo secuta fuerint; et qui neglexit educationem filiorum non tenetur significare quinam effectus in filiis exinde provenerint. Idem dic si quis intemperanter caenaverit praevidens, vel etiam (accusata tamen hac malitia) intendens, pollutionem in somno secuturam; aut si quis procuraverit ut foemina abortum committeret. Malitia, inquam, intentionis accusari deberet; sed, illa accusata, utrum hi effectus secuti fuerint necne, indicare *per se* non oportebit.

Dixi *ordinarie* et *per se;* effectus secutus enim accusari deberet in duobus casibus: 1° Si ab illo peccatum denominetur. Hinc qui vulnus laethale inflixit ex intentione homicidii, et morte secuta confessionem faceret, dicere deberet: *Homicidium commisi;* et idem dic de foemina quae in se ipsa abortum (vere secutum) procurasset. 2° Si indicatio effectus secuti necessaria esset ut confessarius intelligere posset an censura, reservatio, obligatio restitutionis etc. intervenisset.

43. *Cur et quo sensu dixisti peccata debere esse* ***mortalia?*** Quia, ut omnes norunt, peccata venialia sunt materia libera. Sensus autem est quod debent esse mortalia formaliter. Interdum enim ex conscientia erronea peccatum est mortale, licet materialiter esset leve vel nullum; et viceversa potest esset leve formaliter, quamvis materialiter mortale foret.

44. *Explica quandonam peccata censeri debeant* ***nullatenus aut non valide prius confessa?***

I. *Nullatenus confessa,* sunt peccata (etsi forte ex oblivione aut ex alio iusto impedimento) reticita.

II. *Invalide confessa* (et proinde iterum confitenda) essent in sequentibus casibus 1° Si confessarius propter sommum vel surditatem intelligere nequiverit. 2° Si confessarius, propter reservationem, vel cessationem facultatis, vel complicitatem vel quomodolibet propter defectum iurisdictionis, directe absolvere non potuerit. 3° Si confessio sacrilege, aut certe (etsi bona fide) sine dolore et proposito, facta fuerit.

45. Notandum 1° quod post unam confessionem sacrilegam, poenitentes interdum bona fide faciunt alias confessiones legitimas, quamvis ex ignorantia vel inadvertentia illud sacrilegium nunquam accusent; quo casu confessionem quidem sacrilegam, sed non alias repetere debent.

Notandum 2° quod dixi peccata esse iterum confitenda *si certe sine dolore confessio facta fuerit.* Si enim non certitudo sed de re ista dubium tantummodo haberetur, tunc obligatio confessionem iterandi ordinarie non adesset. Quamvis enim (ut mox infra videbimus) statui nequeat regula quod non adsit obligatio accusandi peccata dubie remissa; tamen ad excludendam obligationem in hoc casu adest ratio specialis; dubia enim huiusmodi (ut patet ex innumeris habituatis, recidivis, et occasionariis, qui velleitatem cum voluntate vera facile confundunt) nimis frequenter accidere solent; unde poenitentes semper in eo esse deberent ut confessiones repeterent; quod poenitentibus ipsis, et maxime confessariis, onus intol-

lerabile et infinitis scrupulis obnoxium afferret; multo magis quia etiam de ipsa confessione repetita dubium saepe saepius concipi deberet.

Recolendum est insuper quod (iuxta doctrinam non spernendam) confessio peracta quidem sine dolore sufficienti, sed bona fide, est informis, non vero invalida (Cf. *n. 2*). Ita docet etiam auctor operis *Istruzione pei Confessori novelli* (*I n. 305*).

Attamen poenitentes huiusmodi, si quando in bonum statum certe redigerentur, ad confessionem generalem adhortandi erunt; et in quovis casu, sive ope contritionis perfectae sive ope sacramenti cum certioribus dispositionibus suscepti, sibi consulere deberent, ne, certi de peccatis commissis et incerti de remissione obtenta, aeternae damnationis periculo se exponant.

46. *An adsit obligatio accusandi* ***peccata dubia?*** De hoc argumento dissertatio habebitur infra (*n. 85*).

47. *An et quo sensu peccata accusari debeant* ***in specie?***

Certe adest obligatio accusandi illa in specie, dicente Trid. (*XIV.* v): « Constat enim sacerdotes iudicium hoc « incognita causa exercere non potuisse, neque aequita- « tem quidem illos in poenis iniungendis servare potuisse, « si in genere dumtaxat, et non potius in specie ac sin- « gillatim sua ipsi peccata declarassent ».

De distinctione specifica peccatorum agitur in theologia fundamentali (Tr. *De peccatis*). Hic tamen notanda sunt sequentia.

I. Peccata accusari debent *in specie infima;* unde non sufficit dicere v. g. *Iniustitiam commisi,* sed explicari debet an fuerit furtum, vel calumnia, vel homicidium etc.; et notandae sunt duae propositiones damnatae ab Alex. VII, quae dicebant: 1° « Qui habuit copulam cum « soluta, satisfacit confessionis praecepto, dicens: Commisi « cum soluta grave peccatum contra castitatem, non ex- « plicando copulam ». 2° « Mollities, sodomia et bestiali- « tas sunt peccata eiusdem speciei infimae, ideoque sufficit « dicere in confessione se procurasse pollutionem ».

II. Aliquae tamen *species infimae minutiores* quae a theologis indicantur, a poenitentibus (etiam satis instructis) communiter distingui non solent, et confessariorum praxis est ut circa easdem (quae ad iudicium sacramentale efformandum parum deserviunt) ab interrogationibus facile abstineant; idque videtur esse iuxta intentionem Christi, qui, instituendo hoc sacramentum, utique voluit ut per-

sonis omnibus esset facile accomodatum, quod non verificaretur si peccata non iuxta sensum communem, sed iuxta omnes subtilitates theologicas, indicari deberent; unde Melchior Canus (qui interfuit Concilio Tridentino) bene scripsit (*Relect. de Poenit. P. VI* v. *Equidem*): « Istae « specierum differentiae (mihi credite) ad subtiliores disputationes potius referuntur, quam ad christianas confes- « siones »; idque advertit etiam Génicot (*II 284*). Adde quod, secus, ut plurimum confessiones nimis implicatae redderentur, poenitentes confunderentur, taedio afficerentur, et forsan de confessario ipso (quasi nimis scrupulosus aut curiosus esset) admirarentur. Casus accidit speciatim quoad peccata cordis et oris; poenitentes enim communissime credunt sufficere si species vulgares accusent, explicando in peccatis cordis an de cogitatione turpi, an vero de odio proximi, vel de iudiciis temerariis; et in peccatis oris an de sermonibus turpibus, an vero de blasphemiis, imprecationibus, murmurationibus, calumniis, contumeliis etc., res sit. Hinc credunt satis esse si dicant v. g.: *cogitationes turpes in mente habui*, quin inter delectationem morosam complacentiam peccati commissi, nec non desiderium aut propositum peccati committendi (nisi forte circumstantia aliqua valde extraordinaria locum habeat, v. g. si desiderassent peccare cum persona religiosa) ullam distinctionem faciant. Similiter dicunt: *sermones turpes feci,* quin inter simplicem narrationem obscoenam, iactantiam, et provocationem ad malum distinguant; nisi forte pueros adhuc innocentes in malitiam coniecerint, vel circumstantia (ut mox dicebam) valde extraordinaria intercesserit. Idem dic de copula habita imperfecte seu onanistice, ut puella gravida non remaneat, tunc enim (ad differentiam matrimonii) onanismum a copula perfecta distinguendum non esse censent. Quoad imprecationes distinguunt quidem an fuerint contra parentes vel filios aut personam sacram; non vero an aliquod malum temporale, aut potius mortem, vel infernum imprecati fuerint.

III. Interdum aliquae species accusantur *implicite*. Dicit, v. g. mulier se multis annis fuisse meretricem. Nonne hoc unico verbo dicit implicite quod, praeter forni-

cationes, adulteria quoque commisit, et quod subinde modo viros suis manibus polluit, modo alia peccata imperfecta commisit, v. g. sermonibus, nuditatibus etc.? In meretricibus enim inveteratis haec omnia contingere solent et subintelliguntur; non tamen subintelligeretur quod meretrix etiam cum personis Deo sacris vel cum foeminis carnale commercium habuisset, vel seipsam polluisset, vel sodomitice cognita fuisset, vel pueros innocentes in malitiam coniecisset.

48. *An accusandae sint* ***circumstantiae speciem mutantes?*** Utique, dicente Trid. (*l. c.*): « Etiam eas « circumstantias in confessione explicandas esse, quae spe- « ciem peccati mutant, eo quod sine ipsis peccata ipsa « nec a poenitentibus integre exponantur, nec iudicibus « innotescant, et fieri nequeat ut de gravitate criminum « recte censere possint, et poenam quam oportet pro illis « poenitentibus imponere ». Hinc qui occidit sacerdotem non satis se accusaret dicendo: *Homicidium commisi;* quia circumstantiam sacrilegii non indicaret.

Oportet tamen 1° ut malitia circumstantiae speciem mutantis sit *mortalis*, ut puta, si odium grave contra patrem, matrem, filium, coniugem, aut fratrem haberetur; tunc enim praeter charitatem pietas quoque laederetur graviter; dum e contra si odium grave propinquos remotiores in linea transversa respiceret, peccatum esset quidem grave contra charitatem sed leve contra pietatem. Lugo (*XVI 303-308*).

Oportet 2° ut eadem *malitia apprehensa fuerit*, et quidem tamquam gravis, a poenitente. Notandum quod fere nemo cognoscit malitiam incestus in casu affinitatis ex copula illicita vel publicae honestatis ex sponsalibus. Multi rudes insuper, dum rem habent cum coniugatâ, cognoscunt quidem se mortaliter peccare eo quod habeant rem cum foemina non propria, sed ut plurimum credunt quod circumstantia coniugii in foemina illa, si malitiam superaddat, haec sit levis et parum attendenda (imo facile existimant gravius esse peccare cum puella soluta). Idem dic de incestibus ab iisdem commissis cum consanguineis vel affinibus in gradibus paullo remotioribus; credunt enim

specialem malitiam tunc non esse mortalem. Accidere etiam potest quod quis talem vel talem circumstantiam, quae speciem mutat, bene cognoscat, sed actu peccati ad illam non reflexerit. Hoc autem de facto contingere solet in peccatis commissis in magno aestu passionis quae reflexionem impediat, et in peccatis cogitationis.

Oportet denique 3° ut accusatio perfecta harum circumstantiarum *non reddat confessionem nimis difficilem*, et alienam a sensu communi; unde hic quoque redeunt observationes mox supra (*n. 47 II*) expositae. Hoc autem maxime verificaretur, si, postquam poenitens interrogatus fuerit de circumstantiis speciem mutantibus quoad peccata operis in quodam genere (v. g. contra castitatem), de iisdem iterum quoad peccata oris, iterumque quoad peccata cordis in eodem genere interrogaretur. Cf. Lugo (*l. c. 105*).

49. *An praeter circumstantias speciem mutantes aliae quoque* (*et speciatim* ***simpliciter aggravantes***) *accusari debeant?* De hoc etiam argumento dissertatio habebitur infra.

50. *An et quomodo accusari debeat* ***numerus*** *peccatorum?*

I. Quod indicatio numeri peccatorum aliquo modo exigatur, patet quia 1° ad rectitudinem iudicii deservit; aliud enim est si quis semel et aliud si bis vel quinquies vel decies peccatum (speciatim enorme v. g. homicidium) commiserit. 2° Rituale dicit: « Si poenitens *numerum* et « species et circumstantias peccatorum explicatu necessa- « rias non expressit, eum sacerdos prudenter interroget ». 3° Aliqui adducunt etiam Tridentinum, quatenus (*XIV.* v), postquam dixerit non sufficere ut peccata accusentur in genere, subiunxit accusanda esse in specie et *singillatim*.

II. Quum tamen obligatio declarandi numerum peccatorum in praxi possit confessiones poenitentibus et multo magis confessariis nimis onerosas et difficiles reddere, nimisque frequenter onus eas repetendi (propter numerum non exacte indicatum) inducere: quum insuper finis praecipuus confessionis sit non iam ut poenitens puniatur, bene vero ut remediis, consiliis, et medicina salutari adiuvetur; et quum in hunc finem magis deserviat cognitio

specierum quam numeri peccatorum; hinc theologi notant in genere obligationem circa numerum minus urgere quam circa speciem; sed in concreto circa modum, qui in numero declarando servari debeat, non conveniunt. Opiniones principales sunt sequentes.

51. **Doctrina communior** sic dicit. Vel poenitens recordatur de numero exacto, vel de numero approximativo, vel solum (prout speciatim in habituatis qui a longo tempore confessi fuerint, maxime vero quoad peccata cordis et oris contingere solet) de multitudine confusa. In primo casu numerum exactum; in secundo numerum approximativum indicabit addendo *circiter* (quae particula habet maiorem vel minorem latitudinem, iuxta proportionem numeri expressi; sic, v. g. si dixerit *quinque circiter*, usque ad sex; *decem circiter*, usque ad duodecim; *viginti circiter*, usque ad viginti tres, extendi poterit). In tertio autem casu, tempus et frequentiam meliori modo possibili explicare debebit, dicendo, v. g.: *Integro anno commisi hoc peccatum singulis vel fere singulis diebus*, vel *singulis hebdomadis*, vel *singulis mensibus; semel vel bis circiter in die; decies circiter in hebdomada* etc. Si autem intervalla adfuerint sine peccato, aut cum paucioribus lapsibus, tunc eorundem durationem et gradum diminutionis explicabit. Item, si peccatum modo cum circumstantia mutante speciem, et modo sine illa commissum fuisset, quot vicibus vel qua frequentia uno modo, et quot vicibus vel qua frequentia alio modo intervenerit, significabit.

52. **Secunda sententia** est valde *indulgentior*, et docet quod, in casu multitudinis confusae, *sufficit si poenitens tempus significet.*

De *meretrice* Canus (*l. c.*) scripsit: « Satis erit ita « dicere: Ego decem annis in hoc vitio fui: quoslibet « homines admisi: qualibet hora parata fui etc. ». Et Navarrus (*VI 25*): « Satis esse absque aliquo numero « suum statum sufficienter manifestare, veluti si qua pu- « blica meretrix per decennium parata et exposita ad « fornicandum.... post conversionem confiteretur, exprime- « retque se toto illo temporis spatio in eo statu fuisse; « hoc, inquam, satis est ».

Dixi hanc sententiam esse valde indulgentiorem; unusquisque enim videt, magnas esse posse differentias quoad numerum peccatorum inter meretricem et meretricem; eodem enim temporis tractu quo una pulchra et iuvenis in loco valde populoso peccabit centies, alia deformis et aetate provectior, maxime in loco parum populoso, forte vix decies peccabit.

Si tamen meretrix aliquoties cum viro stricta cognatione sibi coniuncto aut cum sacerdote peccasset, horum peccatorum non solum speciem (ut supra dixi *n. 47 III*) sed etiam numerum (quod ordinarie facile fieri poterit) explicare teneretur.

Quoad *concubinarium*, scripsit Lugo (*XVI 575*): « Illum qui diu concubinam domi habuit, eaque ut propria « uxore usus est, sufficere quod statum et tempus expli- « cet ». Attamen hic quoque magna differentia quoad numerum peccatorum esse potest inter concubinarium et concubinarium; dum enim unus, sive propter indolem sive propter aetatem, ad venerem valde propensus copulam habebit singulis diebus et forsan pluries in die; alius forte vix semel vel iterum in mense illam habebit. Si tamen concubinarius interdum sodomiam perpetrasset, huius peccati non solum speciem sed etiam numerum (propter mox dictam rationem) explicare deberet.

Quoad poenitentem in aliis peccatis (v. g. furti) valde *habituatum*, scripsit Lugo (*l. c. 576*) idem esse dicendum; quod admittit etiam Sporer (*n. 453*), si v. g. fur, diceret: « Fui a quinquennio ita perdite deditus furtis, ut quan- « documque se offert occasio, sicut saepissimae offertur, « surripiam quae possum; et quidem res sacras furatus « sum quinquies ».

Plurimi demum ex iis theologis, qui volunt ut explicetur quot vicibus circiter in die vel in hebdomada peccatum ab habituatis commissum fuerit, concedunt ab hac regula recedi posse et sufficere indicationem solius mali habitus, si de solis turpiloquiis aut turpibus cogitationibus ageretur. Vide Tamburini (*Meth. Conf. II.* 1 *42. 44*).

53. **Tertia sententia** est *adhuc magis indulgentior*, et dicit sufficere si poenitens distinguat an semel, an vero

pluries paccatum commiserit; remanente tamen (N. B.) in confessario facultate illum interrogandi, si ratione imponendi obligationes, vel remedia assignandi, vel etiam poenitentiam determinandi, id necessarium vel expediens fuerit. Ita docent auctores aliqui, quos citat Suarez (*XX.* v).

54. **Quid igitur concludendum?** Mea sententia est sequens.

I. Instructio populo danda, est quod indicari debet peccatorum mortalium numerus sive exactus, sive approximativus addendum verbum *circiter*, prout omnes catechismi docent.

II. Confessarius, deficiente poenitente, tenetur interrogare de numero vel frequentia peccatorum mortalium, per quantum sit necessarium simulque sat facile (attentis circumstantiis) fieri possit. Poenitens autem confessario interroganti sincere respondere debet.

III. Approbo secundam sententiam expositam (*n. 52*), quae dicit sufficere si meretrices, concubinarii et valde habituati accusent tempus, addendo casus insolitos qui forte accidissent.

IV. Sive confessarius interrogaverit sive non, poenitens qui numerum minorem mala fide accusaret, sacrilegam confessionem faceret; si autem bona fide vel ex negligentia non mortali numerum minorem pro maiori expressisset; tunc non equidem sacrilege confessus fuisset; sed, errore detecto, in sequenti confessione peccata in numero expresso non comprehensa accusare deberet. Ratio est quia *directe* clavibus subiecta et absoluta nunquam fuissent. Casus esset v. g. si poenitens dixisset: *blasphemavi bis,* vel *aliquoties,* vel *decem vicibus circiter;* et postea reperiret se blasphemasse *ter,* vel *multoties,* vel *ultra duodecim vices.* (Cf. *n. 51*).

V. Si poenitens bona fide (prout contingere solet in rudibus et pueris) de numero nihil determinasset, vel solum in confuso illum accusasset (dicendo v. g.: *blasphemavi,* vel *pluries turpia feci, furatus sum* etc.); tunc, etsi postea numerum ipsum (se melius examinando) determinare posset, non ideo defectum supplere aut confessarius ad supplendum in sequentibus confessionibus illum adigere

teneretur. Ratio est quia ex una parte obligatio accusandi numerum est minor quam obligatio accusandi speciem, et ex alia ad accusandum numerum cogeretur subire incommodum et verecundiam accusandi speciem bis; idque quamvis in suis confessionibus bona fide, et sine culpa ulla processisset, atque a peccatis omnibus iam *directe* absolutus fuisset. Aliunde, quum casus iste in multis locis (speciatim quoad rudes et pueros, ut dixi) sit adeo frequens, onus intolerabile non solum poenitentibus sed etiam confessariis imponeret; semper enim in eo esse deberent ut confessiones repeterent; quod equidem contra praxim poenitentium et confessariorum est. S. Lig. (*VI 505*) rigidius hoc in puncto loquitur; sed multi alii theologi benignius loquuntur. Cf. P. Segneri (*Conf. istr. II*), et Lugo, qui (*XVI 584*) scripsit: « Propter ignorantiam invincibilem « tunc liber fuit a notitia magis distincta proponenda; et, « absolutione directe habita, liber mansit iam ab ea obli- « gatione circa eadem peccata ».

A fortiori repeti non deberet confessio, si poenitens approximativam numeri indicationem adiecisset (dicendo v. g. *decies circiter*), etsi postea numerum exactum in ea indicatione comprehensum inveniret, ut communissime theologi docent.

55. *Qui accusavit peccatum ut dubium, si postea reperiat esse certum, teneturne illud iterum accusare?* Resp. Affirmative. Patet ex sensu et praxi Ecclesiae; et patet etiam quia rationes in contrarium adductae vim sufficientem minime habent.

56. Enimvero usque ad primam medietatem saeculi XVII nemo dubitabat de obligatione ista, et communis christifidelium sensus erat quod haec peccata essent iterum accusanda. Scripsit Lugo (*De Poen. XVI 92*): « In re morali non est facile recedendum a communi sensu, et nullum « invenio scriptorem pro ea parte (scilicet pro parte negante obligatio- « nem) ». Et Dicastillo (*De Poen. IX 141*) subiunxit: « Peccatum semel « dictum ut dubium, non debere iterum ut certum explicari, *id est inau-* « *ditum in Ecclesia Dei* ».

57. Quum tamen Lugo (*l. c.*) coeperit dubitare de ratione intrinseca, hoc ipso (ut ait Cardenas) aperuit rimulam, quae ad introducendam sententiam hoc etiam in puncto pro libertate ostium evasit. Reapse pro non existentia huius obligationis inter antiquiores steterunt Pellizari, Henrichx, Arriaga, Tamburini, Caramuel, Leander, Sporer, aliique minoris notae theologi.

58. Postea (nempe anno *1693*) damnatum fuit opus Pellizarii donec corrigatur, atque inter correctiones exequendas recensita fuit etiam doctrina de qua agimus; unde editio correcta et emendata iuxta animadversiones sacrae Indicis Congregationis, sine paragrapho, qui eandem doctrinam continebat, in lucem prodiit anno *1754*.

59. Auctores autem primi subsellii tam ante quam post huiusmodi correctionem pro sententia obligationem absolute recognoscente steterunt. Huiusmodi (inter alios) sunt Sanchez, Bonacina, Salmanticenses, Dicastillo, Busembaum, Diana, Cardenas. Potestas, Croix, Roncaglia, Viva, Ferraris, Voit, S. Ligorius, Gousset, Scavini, Del Vecchio, De Varceno etc.

60. Nihilominus plures neoterici (caeteroquin magni nominis), nempe Ballerini, Gury, Lehmkuhl, Bucceroni et Génicot, doctrinam, quae obligationem istam non recognoscit, adhuc saltem probabilem esse censent.

61. Duo itaque magnam mihi vim faciunt. 1° Praedicta damnatio et correctio operis Pellizarii. 2° Sensus communis, qui pro sententia obligante per tot saecula in Ecclesia perseveravit. Aliunde rationibus, quae pro doctrina deobligante adducuntur, satis congrue responderi potest.

62. Rationes istae ad duas reduci valent. Una est quia iam obtenta fuisset absolutio et quidem directe, unde nova absolutio nequit esse necessaria. Altera est quia si poenitens accusavisset numerum dubium, dicendo, v. g.: *decem circiter fornicationes commisi* (quod perinde est ac dicere: *commisi octo fornicationes certas, et quatuor dubias*), et postea pro certo reperiret illas fuisset duodecim, non teneretur (iuxta communissimam et antiquissimam sententiam) easdem ut dubias accusatas et dein certas repertas, iterum in confessione accusare. Ergo a pari etc.

Sed ad primam rationem respondetur quod, non obstante absolutione directe obtenta, bene remanere potest obligatio supplendi defectui integritatis materialis, ut patet exemplo illius qui in confessione nihil aliud dicere potuit quam se esse reum peccati mortalis, quique certe (Cf. seq. *n. 64*) tenetur postea speciem accusare. Unde a fortiori idem dicendum est de poenitente qui peccatum dubie mortale, vel etiam dubie commissum, vel dubie alias iam accusatum, accusaverit. Dixi *a fortiori*; primo enim maior quam secundo poenitentia in prima confessione iam imposita fuisset.

Ad secundam autem rationem respondi potest, differentiam provenire ex eo quod ex una parte minor est obligatio accusandi numerum quam speciem, et ex alia casus nimis frequens est, atque adeo nimis onerosus evadere posset.

63. *Quid si poenitens accusavisset peccatum in dubio an fuerit unius vel alterius speciei, dicendo v. g.: Commisi peccatum contra castitatem, sed non memini an fuerit fornicatio vel adulterium; et postea recordaretur cuiusnam speciei extitisset?* Resp. Accusari deberet denuo; et in hoc consentit etiam Lugo (*l. c. 588*).

64. A fortiori autem accusari deberet, si prius in genere tantummodo accusatum fuisset, dicendo v. g. *Commisi peccatum sed cuiusnam speciei fuerit non recordor.*

65. *Suarez* (*XXII.* IX) *docet quod peccatum dubie confessum postea accusari potest absolute, quin huius-*

modi confessionis dubiae prius peractae mentio fiat. Lugo (XVI 46) subdit quod, si etiam certe confessum fuerit, accusari potest absolute quin de confessione iam facta quidquam dicatur. E contra dicit quod poenitens, ad minuendum rubórem, potest dicere se velle facere confessionem generalem, et sic peccatum post ultimam confessionem commissum miscere cum antiquis, ut confessarius credat quod de peccato olim confesso et iam alias accusato agatur. Id dicunt etiam alii theologi, v. g. Sanchez (Dec. I. x 71), Diana (III 192), Gury (Cas. consc. II 434) etc. Sed quid de doctrinis istis?

Ego doctrinis istis acquiescere non valeo; sunt enim contra praxim christifidelium, et magnam confusionem in confessione inducerent, *dando materiam liberam pro necessaria et necessariam pro libera;* nec obtineretur finis, qui a Christo Domino intentus fuit in exigenda accusatione peccatorum non confusa sed distincta, ut scilicet confessarii iustum iudicium ferre et aequitatem in poenis iniungendis servare possint. Adde quod confessarius non solum est iudex sed etiam medicus, et sic peccatum praesens distingui debet ab antiquo iam accusato et absoluto; illud enim et non istud medela indiget.

Equidem, si ageretur de peccato iam alias dubie vel certe accusato, quod nihilominus nunc absolute, perinde ac si certe novum esset, accusaretur, simplicitati poenitentis indulgendum foret; sed res in se ipsa, quasi prorsus bene peracta fuisset, approbari non posset.

Circa confessionem generalem autem, non equidem peccata post ultimam confessionem commissa distinguere oportebit ab aliis, si praeteritae confessiones invalidae fuerint, aut si poenitens uniformiter vixerit iamque declaraverit quantum temporis ab ultima confessione praeterierit; sed, seclusis his casibus, peccata mortalia non adhuc confessa ab aliis distingui debent.

A fortiori reprobandus esset poenitens, qui (ut confessarius credat quod de peccato antiquo et iam alia vice accusato agatur) illum positive deciperet; et, facta confessione nonnullorum venialium, diceret: *Accuso me de omnibus culpis in tota mea vita commissis, praesertim de tali*

peccato turpi. Et in hoc adversarii quoque conveniunt; sed adducunt rationem ineptam, dicunt enim quod tunc peccatum recens vere commissum non accusaretur, bene vero antiquum falso supponeretur. Sed haec ratio (repeto) non convincit, quandoquidem circumstantia temporis est accidentalis (nisi forte interdum ratione assignationis remediorum), et prorsus inverisimile est quod poenitens, si forte ex errore accusasset peccatum tamquam nudius tertius commissum dum revera illud commisit heri, invalide illud accusaverit, et proinde errore detecto in alia confessione explicare debeat quod non eo die sed sequenti illud commisit. Adde quod, si haec ratio subsisteret, valere deberet etiam pro casu peccati quod accusetur ut recens, dum revera antiquum est, unde tunc quoque confessio invalida esse deberet; idque adversarii non admittunt et sic in contradictionem incidunt. Vera ratio itaque desumenda est semper ex eo, quod aequitas iudicii graviter impediretur, et praxis Ecclesiae est ut peccata non adhuc accusata et pro quibus poenitentia non adhuc imposita fuit cum aliis non confundantur, et sub gravi ab illis distingui debeant.

66. *Utrum poenitens in tali vel tali dignitate aut officio constitutus statum suum occultare possit?*

Dignitatem suam patefacere non tenetur, imo (saltem sine peccato gravi) potest fingere se esse alium, occultando dignitatem aut quomodibet personam suam; confessarius enim habet quidem ius cognoscendi culpam sed non personam; et quamvis Titium pro Caio accipiat, id nihil obstat, quia intendit absolvere praesentem; sicut in baptismo nihil obstaret, si ministro dictum fuisset, infantem esse filium Petri dum revera filius Pauli foret.

Interdum tamen ex dignitate vel statu poenitentis causari possunt in peccato ipso differentiae specificae, v. g. gravis scandali, sacrilegii, et transgressionis proprii officii (ut puta, si parochus peccasset cum parochiana); quibus in casibus circumstantias huiusmodi poenitens patefacere deberet, ut per se patet.

Theologi notant quod si herus peccasset cum ancilla, haec circumstantia (confessario non interrogante) reticeri

posset, quia speciem non mutat. Et idem dicunt de confessario, qui cum propria poenitente peccasset, nisi sacrilegus sacramenti abusus intercessisset. Videndum est tamen ne forte ratione reservationis aliquid huiusmodi patefieri debeat.

67. *Quid de poenitentibus, qui peccata venialia uni confessario, et mortalia alteri confitentur?*

Videndum quo modo id accidat. Si poenitens haberet mortalia simulque venialia, et sola venialia accusaret, certe contra confessionis integritatem delinqueret; si vero accusaret mortalia apud unum et postea venialia apud alterum; vel si quando habet sola venialia, uteretur uno, et quando habet mortalia uteretur alio confessario; tunc confessionis integritas nullum detrimentum pateretur, et (supposita dispositione) absolutiones validae essent.

Ad iudicandum tamen an hic modus agendi quavis culpa levi vel imperfectione careat, perpendendae essent circumstantiae. Lugo (*XVI 58*).

68. *An confessio distincta iuxta species et numerum peccatorum exigatur etiam quando confessarius de peccatis a poenitente commissis sufficientem notitiam extrasacramentalem iam haberet, de iisque hic et nunc recordaretur?*

Negative, quatenus tunc dicere sufficeret: *De peccatis iam tibi notis me accuso.* Gury (*n. 514*).

Aliud esset si de peccatis iisdem notitiam dumtaxat confusam haberet, ut contra Lugo docet S. Lig. (*VI 502*); prius enim confessio sacramentalis (iuxta hypothesim) non adfuisset; et confessio praesens distincta (prout Christus exigit) minime esset, neque illi aequivaleret.

69. *Quid si poenitens sive bene sive male confessionem iam fecisset, sed absolutionem validam adhuc non obtinuisset? Deberetne tunc (ut illam reciperet) confessionem repetere?*

Affirmative certe si ad alium confessarium diverteret. Si vero rediret ad eundem, affirmative pariter casu quo confessarius ne in confuso quidem memoriam haberet de conscientia eius, adeo ut, quoad absolutionem, remedia,

impositionem obligationum etc., sufficiens iudicium efformare nequiret.

Pro casu autem, in quo confessarius memoriam retineret ad hoc iudicium sufficienter efformandum, tunc confessionis aut confessionum repetitio necessaria non erit, quamvis eadem memoria in confuso dumtaxat retineretur. Id certe verum est si idem iudicium perseveret, ut puta, si absolutio experimenti aut remedii causa dilata fuerit; aut si confessio per partes diversis diebus (prout aliquando contingit in confessionibus generalibus) fuerit peracta; aut si poenitens habuerit aliquod peccatum reservatum (quidquid dicat Lugo) et confessarius debuerit prius facultatem obtinere. Ratio est quia onus nimis grave poenitentibus et confessariis imponeretur, si confessiones, durante eodem iudicio, essent repetendae toties quoties confessarius, actu absolutionis aut impositionis poenitentiae, non claram sed confusam dumtaxat confessionis factae memoriam haberet.

Sed quid si iudicium iam fuisset expletum, ut puta, si poenitens aliquod peccatum sacrilege reticuisset, et postea apud suum consuetum confessarium (qui confusam confessionum praeteritarum memoriam retineret et sufficienter iudicare posset) peccatum reticitum accusaret, et deinde diceret: *De aliis peccatis iam alias apud te confessis iterum me accuso?* Haec quaestio difficilis est. Suarez (*XXII.* VI) censet, confessiones esse iterandas, quia invalidae fuerunt et pro casibus huiusmodi nullum grave incommodum ex repetitione oritur. Lugo e contra (*XVI 642*), Croix, aliique opinantur non esse iterandas, quia (quod maxime in sententia Scoti verum est) fuerunt sacramentales. Vide S. Lig. (*VI 502*).

Quidquid sit de hoc, notandum quod confessio interdum potest esse partim distincta et partim confusa; idque contingit in confessionibus generalibus quoad illos qui vitam uniformem iam a multis annis duxerunt (ut *n. 65* dicebam); isti enim accusare possunt distincte, quoad numerum species et circumstantias, peccata in postremo anno commissa, et postea subiungere: *Haec est vita mea, quam, v. g. a decem, aut viginti annis uniformiter duxi.* Caeterum in confessionibus ordinariis acceptari nequiret con-

fessio poenitentis, qui singulis annis ad eundem confessarium rediens, diceret: *Pater, hoc anno peccavi sicut in praecedentibus;* nec valeret si confessarius confusam notitiam confessionis praecedentis haberet; id enim esset contra usum et praxim Ecclesiae, et confessionibus sic in confuso factis ianuam aperiret.

70. *Si poenitens, accusando aliquod peccatum, alicuius circumstantiae speciem mutantis oblitus fuisset, possetne tunc solam circumstantiam patefacere, quin peccatum iam accusatum denuo accusaret?*

Ut plurimum impossibile erit, sine nova peccati accusatione, circumstantiam in sua specie infima explicare; et tunc oportebit omnino peccatum denuo accusare.

Dixisti, v. g.: *rem habui cum muliere*, et ex oblivione tacuisti quod violentiam ei intuleris. Si postea diceres: *iniustitiam commisi*, aut *cuidam personae vim intuli*, speciem infimam iniustitiae aut violentiae non explicares; et sic omnino dicere cogereris: *per vim rem habui cum muliere*. Idem dic si persona sacra fornicationem commisisset; si enim fornicationem accusans sacrilegium reticuisset, non satisfaceret dicendo: *sacrilegium commisi*, sic enim sacrilegii species infima non explicaretur. Aliud exemplum esset si quis se accusasset de odio, aut de contumelia, aut de percussione, non explicando se id fecisse contra patrem; non enim sufficeret si postea diceret: *contra patrem meum graviter deliqui*.

Interdum tamen circumstantia sine nova peccati accusatione in sua specie infima explicari potest, et tunc non est necesse ut peccatum ipsum denuo accusetur.

Exemplum dant in eo qui aut sub gravi voverit aut iuraverit abstinere ab ebrietate; si enim ebrietatem accusans violationem voti aut iuramenti ex oblivione reticuisset, postea dicere posset: *violavi votum*, aut *iuramentum in re gravi*, quandoquidem huiusmodi violationes ex diversis rebus, quae sub iuramento aut voto (simplici) comprehenduntur, speciem non sumunt.

Aliud exemplum valde practicum dari potest in scandalo *indirecto*, quod a diversis peccatis, a quibus causatum fuit, non specificatur; unde, accusatis his peccatis in se ipsis sine indicatione scandali, sufficit si postea accusetur scandalum (cum suis circumstantiis mutantibus speciem, si adsint, ut puta, si pater filiis aut parochus parochianis scandalum dedisset), quin oporteat ut explicetur quaenam fuerint peccata illa (iam accusata) ex quibus scandalum derivavit. Idque verum esset non solum si ex oblivione, sed etiam si advertenter in accusatione peccatorum circumstantia scandali omitteretur, dummodo (N. B.) in una eademque confessione, prius peccata dicerentur, et postea scandalum accusaretur.

Notat Lugo (*XVI 661*) quod si quis, ex fine inducendi foeminam ad peccatum ope pecuniae, furtum commisisset, et cum ea reapse peccasset, accusato furto et fornicatione, id satis esset, quamvis de illa intentione in furto habita nihil dixisset; accusando enim fornicationem, subintelligi-

13414

tur quod intentio praecesserit et media adhibita fuerint; unde furtum accusari quidem debet, sed solum ut furtum, non vero ut medium ad fornicationem directum.

71. *Quid si poenitens, ad tegendum aliquid non necessario exponendum, mendacia adhibuisset?*

Videndum an decepisset graviter confessarium dicendo minus. Do exempla.

I. Vicarius (non habituatus sed misero casu) peccavit cum sorore parochi, et confessionem faciens apud parochum ipsum, mendaciter tales immiscet loci, temporis et qualitatis complicis circumstantias, ut parochus suspicari nequeat quod de eius sorore agatur. Dicit, v. g.: *In domo cuiusdam amici mei cum quadam foemina in fornicationem misere lapsus sum.* Lugo (*XVI 53*) sentire videtur, hanc confessionem esse invalidam, quia non peccatum commissum sed aliud chimericum accusaretur.

Sed potius dicendum quod poenitens iam fassus est se esse reum fornicationis (et haec est substantia); quod autem fornicatio acciderit hic aut illic, heri aut nudius tertius, cum Rosa aut cum Antonia, hae sunt circumstantiae accidentales, et confessarii absolvunt a peccato absolute, non vero sub conditione quod talis vel talis, sive loci sive temporis sive nominis personae, circumstantia sit vera; secus enim (ut supra dicebam) si etiam bona fide aliqua circumstantia falsa irrepsisset, confessio invalida esset, quod repugnat. Dicerem itaque, huiusmodi mendacia confessionem invalidam non reddere, et proinde peccatum denuo confitendi obligationem non subsistere.

II. Titius furatus est quinquaginta, et commisit simplicem fornicationem. In confessione autem dicit; *Furatus sum centum, et rem habui cum foemina Deo dicata, aut consanguinea, aut coniugata.* Ita se accusans male se gerit; sed, si crederet hanc confessionem fieri posse absque peccato saltem gravi, dicerem, confessionem esse validam, quia plus dixit, et plus continet minus. Idque maxime verum esse debet, si circumstantia falsa ad tegendam personam complicis confessario curiose interroganti exposita fuisset. Cf. Suarez (*XXII.* x).

III. Caius furatus est scutata centum, et in confessione dixit illa fuisse nonaginta dumtaxat. Si dixisset: *magnam pecuniae summam furatus sum*, bene confessus fuisset; tunc enim confessarius nullo modo deceptus fuisset, et absolvisset directe a furto commisso, quidquid sit de exacta summae ablatae quantitate. Sed in casu exposito Caius deceptisset in materia gravi confessarium, quandoquidem decem scutata (quae in confessione occultantur) sunt materia gravis. Si Caius ex oblivione, errore et bona fide sic dixisset, confessio quidem valida fuisset, sed absolutio ad illa decem scutata directe extendi non potuisset.

Aliqui dubium movent, an tunc (ad reparandum errorem) sufficeret accusare furtum decem scutatorum; an vero oporteret explicare quod simul cum illis alia nonaginta ablata fuerunt, de quibus confessio iam facta et absolutio directe obtenta fuisset. Ratio dubitandi est quia secus duo furta (unum 90, et aliud 10 scutatorum) accusarentur, dum non subsistunt, et furtum 10) scutatorum vere commissum nunquam accusaretur. Sed hoc videtur sophisma: dum enim poenitens bona fide accusavit furtum nonaginta scutatorum, delictum suum in substantia fassus fuisset (aliud esset si abstulisset centum et dixisset: *furatus sum decem*), et solum irrepsisset error accidentalis; ad quem reparandum non videretur adigendus, ut

STUDIO TEOLOGICO

(cum rubore forsan non exiguo) accusaret iterum id, quod iam in substantia accusavit; et parum referret, si secundus confessarius crederet quod de furto separato ageretur, et ignoraret quod de parte furti maioris iam accusati res sit.

IV. Livius, qui cum sorore peccavit, dixit: *peccavi cum consanguinea*, et confessario de gradu interroganti respondit: *peccavi cum prima consobrina*. In hoc casu Livius confessarium decepisset graviter, unde confessionem repetere teneretur. Sed quid si peccasset cum secunda consobrina, et dixisset se peccasse cum tertia? Tunc deceptio fuisset levis, et proinde confessionem repetere non deberet.

ARTICULUS II.

De integritate formali, seu de confessione plus vel minus dimidiata, quae iustis de causis interdum licet.

72. *Quaenam hoc in puncto sunt* ***principia generalia?***

Principium I. Ab integritate materiali confessionis excusat *impotentia physica* (ut patet ex rituali circa moribundos), et *impotentia moralis*, seu difficultas gravis (ut patet ex praxi generali et doctrina communissima theologorum).

Oportet tamen ut haec difficultas sit *extrinseca*, difficultas enim ipsi confessioni intrinseca, scilicet erubescentia (quamvis esset gravissima) certe non excusaret.

Ad impotentiam moralem reducitur *usus medii extraordinarii;* si nempe poenitens cogeretur uti medio insueto, incommodo, periculoso etc. (v. g. interprete); idque verum esse dicunt, quamvis per accidens tale medium alicubi incommodum minime esset.

Principium II. Ut integritas formalis liceat, oportet ut poenitens aut dicta impotentia laboret perpetuo: aut habeat necessitatem confessionem peragendi, ea impotentia seu difficultate durante, nec possit alium confessarium adire, apud quem sine eadem difficultate integre confiteri valeat.

Principium III. Curandum ut quanto minus fieri possit integritas materialis detrimentum patiatur.

Principium IV. Poenitens, qui in confessione, iusta de causa, aliquod peccatum vel aliquam circumstantiam

per se accusandam reticuerit, debet postea (si causa cesset) in sequenti confessione defectum reparare.

Patet ex *prop. XI* ab Alex. VII damnata, quae dicebat: « Peccata in confessione omissa, seu oblita, ob « instans periculum vitae aut ob aliam causam, non tene- « mur in sequenti confessione exprimere ».

73. *Ex his principiis quaenam* ***conclusiones practicae*** *deducuntur?*

I. Infirmus seu *moribundus* excusatur ab integritate materiali 1° Si mors iam iam imminere videatur. 2° Si propter examen aut confessionem nimis defatigaretur, nec facile per intervalla confessionem peragere posset. 3° Si viaticum iam fuisset ei delatum et populus praesens admiraretur si confessio tunc nimis in longum protraheretur. 4° Si confessarius confessionem integram audire nollet, v. g. tempore pestis, (attamen non facile periculum contrahendi pestem erit adeo magnum ut sacerdotibus confessionem integram non audire licitum sit; qua de re vide *Casus consc. an. 1881*). 5° Si moribundus deseri nequiret ab assistentibus, qui confessionem audituri essent (tunc sufficeret si de aliqua levi culpa, v. g. de impatientia et de aliis peccatis in genere se accusaret). 6° Denique si esset loquela impeditus (quo casu satis esset, si aliquo modo se peccatorem accusaret et compunctionem ostenderet).

II. Instante *naufragio* vel imminente *praelio*, et quovis alio casu in quo nec tempus nec modus suppeteret confessionem secretam peragendi, sufficeret si, presente sacerdote, venia et absolutio peteretur.

III. *Ignarus idiomatis* interprete uti non tenetur. S. C. C. (*28 Febb. 1633*). Attamen si eo uti vellet, non esset prohibendus, sed interpres de sigillo admoneri deberet. S. C. P. F. (*19 Iul. 1838*).

IV. *Labili memoria laborans*, peccata in examine reperta scribere non tenetur. S. Lig. (*n. 471*). Nec valet ratio, quod qui tenetur ad finem tenetur ad media; ut enim supra dicebam, hoc de mediis ordinariis intelligi debet.

V. Correptus *apoplexi in lingua*, quamvis manus liberas ad scribendum haberet, ad confessionem per nutus, non vero in scriptis peragendam teneretur.

Idem dic de valde *balbutiente*, qui deberet confiteri, prouti posset, verbis ; non vero aliter, quamvis balbuties esset talis ac tanta, ut integritas materialis magnum detrimentum pateretur. Ratio est ut supra.

VI. *Surdo-mutus* debet confiteri per nutus : et si scribere didicisset non ideo scriptura uti teneretur. Ratio est semper eadem. Adde quod si surdo-mutus teneretur uti scriptura, deberet quoque confessarius illum interrogare in scriptis, si forte non satis se explicaret et nutus non sufficerent ; quandoquidem integritas confessionis non solum poenitentem sed etiam confessarium obligat. Sed confessarius ad hoc non tenetur. Ergo ne poenitens quidem. Ita sentiunt multi ; et Gury (*503 q. 7*) dicit, hanc esse sententiam communiorem.

Quidam tamen surdo-mutorum in magno Galliae collegio Institutor, mihi scribit praxim esse contrariam : surdo-mutos scilicet solitos esse confessionem facere in scriptis, et hanc consuetudinem omnino censeri obligatoriam.

VII. Causa excusans esset *necessitas recipiendi absolutionem statim, simulque impossibilitas integrandi confessionem*. Practice hic casus accidit speciatim quando detegitur necessitas faciendi confessionem generalem, et poenitens (absolutione indigens) hic et nunc illam facere nequit, v. g. quia debet domum redire, aut nimis verecundatur immorari tamdiu in confessionali.

Idem dic si (dum poenitens absolutione indiget) *confessarius nequeat immorari quantum opus esset* : maxime si vocaretur pro moribundo.

Quid si indigeret se cito expedire, quia *magnus concursus* adest et multi poenitentes expectant? Innoc. XI damnavit sequentem propositionem : « Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos, ratione magni « concursus poenitentium, qualis, v. g. potest contingere « in die magnae alicuius festivitatis aut indulgentiae ». Attamen haec damnatio cum mica salis intelligi debet : respicit enim casum in quo confessarius propter dictum concursum *passim* dimidiet confessiones, audiendo dumtaxat unum vel alterum peccatum a singulis poenitentibus, et illico dando absolutionem. Talis profecto est sensus propo-

sitionis damnatae, ut videre est apud Sporer (*n. 466*). Si autem, dum magna poenitentium affluentia adest, occurreret aliquis confessione generali et longa indigens, bene posset confessarius imponere ei ut alia vice rediret, simulque cum absolvere, si tunc absolutione indigeret, ut dixi; idque a fortiori admittendum esset, si poenitens absque gravi nota immorari nequiret, aut si alii poenitentes expectantes fremere et clamorem facere inciperent. Vide P. Segneri (*Conf. istr. II*), Roncaglia (*XIX.* III *3*), S. Lig. (*n. 485*) et Viva (*prop. cit.*).

VIII. Alia causa est, *fractio sigilli;* si nempe sacerdos confessionem faciens aliquod suum peccatum vel peccati circumstantiam absque fractione sigilli accusare nequiret.

IX. Aliquando causa esse posset *reservatio;* si nempe poenitens, habens peccata reservata, nequiret hic et nunc accedere ad superiorem et indigeret absolvi ab inferiore; cui posset non reservata accusare et reticere reservata (apud Superiorem postea accusanda). S. Lig. (*266 q. 2*).

X. Alia causa esse potest *periculum peccandi;* si nempe poenitens cum solido fundamento praevideret quod occasione accusationis talis vel talis culpae ruiturus esset in peccatum ipse, aut confessarius. Casus esset si puella cogeretur confiteri apud sacerdotem valde fragilem qui illam tentasset, et inter alia peccata haberet etiam accusanda desideria, quibus consensit, rem habendi cum persona sacra.

XI. Theologi addunt alios casus, v. g. si iure formidari deberet *de quolibet alio abusu a parte confessarii;* v. g. ne fracturus esset sigillum, aut usurus notitia in confessione habita cum gravi damno aut molestia poenitentis.

XII. Quid si poenitens peccatum vel circumstantiam peccati accusare nequiret, quin confessarius *in cognitionem complicis* deveniret?

Theologi docent imprimis, adesse obligationem inquirendi alium confessarium, cui complex sit ignotus, si sat facile inveniri possit. Si autem sit impossibile vel difficile vel incommodum illum invenire, tunc plures docent pec-

catum reticeri non solum posse sed debere, quia complex ius habet ne apud sacerdotem qui illum cognoscit famam amittat. Alii vero communius cum Suarez (*XXXIV*), Lugo (*XVI*. XII) et S. Lig. (*n. 489*) docent, peccatum esse accusandum. Sed sententiae istae non satis distinguunt; et ego sequenti modo dicendum esse existimarem.

74. Si agatur de *casibus in quibus complici non intersit* si etiam talis vel talis sacerdos eius peccatum cognoscat, aut id quidem aliqualiter aegre ferat, sed non multum; tunc practice non est imponenda obligatio quaerendi confessarium cui complex sit ignotus; et peccatum integre accusari debet.

Hoc patet a communi poenitentium praxi; uxores enim de onanismo vel sodomia perpetrata cum marito; fratres de peccatis carnalibus commissis cum propriis fratribus et sororibus; cognatae, ancillae, adamantes, et socii de peccatis commissis cum cognatis, heris, adamantibus, et sociis; matresfamilias de furtis perpetratis cum marito et filiis: collegiales, religiosi, moniales de peccatis commissis cum collegiali, religioso, moniali etc. se accusant, nec credunt debere esse sollicitos de quaerendo confessario minus sibi commodo, qui in complicis cognitionem vel suspectum devenire nequeat, aut posse (et multo minus debere) huiusmodi peccata in confessione occultare. Persuasio adeo generalis in re tam practica a mero errore provenire nequit. Adde quod, si complices ius haberent ne eorum peccata apud parochos vel sacerdotes, a quibus dignoscuntur, in confessione accusarentur, tunc etiam hi parochi vel sacerdotes delinquerent, faciendo interogationes ex quibus complices cognoscere possent. Sed interrogationes istae fiunt, qua re nihil frequentius. Nunquid hoc etiam mero errori tribuendum erit? Aliunde, si semel huiusmodi doctrina ponerctur (quae, si ad huiusce generis casus extendatur, certe improbabilis et falsa est), confessionibus dimidiatis ianua latissima aperiretur, idque maxime ubi christifideles, propter penuriam sacerdotum et aliarum ecclesiarum distantiam, apud illos dumtaxat, qui illorum familias bene cognoscunt, confiteri possunt. Quid dicam de primis Ecclesiae saeculis, quando apud solum parochum confessio fieri poterat? Casum habemus etiam in novis sponsis, qui matrimonium eo mane contracturi, confiteri solent apud parochum eos ambos cognoscentem. Nunquid poterunt reticere peccata invicem perpetrata; aut parochus de peccatis istis interrogationes facere nequibit?

75. Si autem agatur de casibus, in *quibus complex, propter criminis enormitatem aliasve specialissimas circumstantias, valde aegre ferat* quod talis vel talis confessarius eius crimen resciat (prout facile contingeret si de incestu inter patrem et filiam, vel de peccato commisso cum sacerdote confessarii amico res esset); tunc certe aliqua obligatio communiter recognoscitur declinandi dictum

confessarium et alium quaerendi. Intellige dummodo absque gravi incommodo sic fieri posset.

Incommodum istud subsisteret 1° Si casus esset frequens et poenitens haberet suum stabilem confessarium, quem proinde derelinquere cogeretur. 2° Si ei grave esset conscientiam suam alteri aperire. 3° Si consilio et auxilio sui ordinarii confessarii, aut utcumque sacerdotis cui complex cognitus sit, indigeret. 4° Si ad alium confessarium absque admiratione et dicteriis vel quolibet alio notabili incommodo divertere nequiret. 5° Si suum accessum ad alium confessarium proprio confessario stabili (diffidentiam et suspectus concepturo) occultare non posset. 6° Si non adesset tempus quaerendi alium confessarium, et poenitens gravi de causa absolutionem statim desideraret, prout contingere potest non solum in periculo mortis, sed etiam vergente ad finem quindena paschali, aut occurrente aliqua indulgentia extraordinaria, aut urgente (ex quovis capite) necessitate communicandi, aut si poenitens in statu peccati mortalis constitutus adhuc sine absolutione remanere cogeretur tempore notabili. Aliqui dicunt uno vel altero die; sed ex circumstantiis hoc dimetiri deberet.

76. Supposita autem huiusmodi difficultate quaerendi alium confessarium, *poteritne poenitens dictum peccatum vel circumstantiam reticere?* R. Quamvis loquamur de casu, in quo complex valde aegre hanc manifestationem laturus esset, deberet nihilominus poenitens peccatum integre accusare, si de consuetudine, si nempe de peccato difficilis emendationis, et proinde non de una sed de pluribus confessionibus ageretur, et multo magis si poenitens in periculo mortis versaretur; quisnam enim, secus agendo (et peccata adeo gravia non accusando), quietus remaneret?

Si vero de unica confessione ageretur, et peccatum, quod reticeretur in confessione praesenti, accusari posset in sequenti; tunc opinio illorum, qui dicunt huiusmodi reticentiam esse licitam, adoptari posset; quandoquidem Suarez (*XXXIV.* II. II) dicit: « Non possumus negare quin « opinio illa probabilis sit, cum habeat auctores graves « et rationes probabiles »; idque speciatim si persona complex non seductrix sed seducta fuisset; maxime vero si quasi per vim cecidisset.

Passim dicunt, taceri quidem posse circumstantiam, sed accusandum esse peccatum; ut nempe integritas confessionis salvetur quantum fieri potest. At vero practice id difficile erit; confessarius enim pro integritate confessionis et pro remediis assignandis statim interrogabit de circumstantiis, et sic poenitens in tricis versabitur, ut

notat Lugo (*XVI 528*). Peccatum itaque poterit reticeri omnino, multo magis quia secus poenitens cogeretur bis illud accusare.

77. Caeterum si poenitens potest et tenetur (ut plurimum) accusare peccatum quamvis confessarius in cognitionem complicis deveniat; tamen *discretionem habere* debet, ne ad omnes loci confessarios (prout quaedam stultissimae mulieres facere solent) rem deferat; aut confessionem repetat apud diversum confessarium quando peccatum iam absolutum fuit; aut da ea re (complice id valde aegre ferente) se accuset quamvis a parte sua poenitens ipse nihil aut leviter deliquisset, de accusandis enim peccatis venialibus aut mere materialibus obligatio non adest.

ARTICULUS III.

De materia sufficienti vel non sufficienti.

78. *An peccatum* ***accusatum in genere*** *sit materia sufficiens?* Distinguendum est inter validum et licitum.

Quoad validum pro certo haberi debet quod in casu necessitatis confessio illorum poenitentium, qui nihil aliud significare possint nisi se esse peccatores et indigere absolutione (prout contingere potest in moribundis loquela destitutis, in naufragis, in militibus instante praelio etc.), certe est sufficiens, remanente postea obligatione confessionis distinctae, si a periculo salvi evaserint.

Ex hoc autem Ballerini deducit quod specificatio non est de essentia in materia confessionis, sed solum de praecepto; unde deducit insuper, quod, supposita bona fide, super confessione generica etiam extra casus necessitatis, absolutio sit valida; quia essentia non est mutabilis, et quod est de essentia in casibus ordinariis, in casibus quoque necessitatis de essentia est; idque patet etiam ab aliis sacramentis; nunquid enim, v. g. dum materia baptismi est aqua, quando aqua haberi nequeat et casus necessitatis, urgeat, adhiberi poterit vinum? Hinc, si poenitens recordaretur se commisisse peccatum, sed oblitus fuisset cuius-

nam speciei fuisset, valeret absolutio, etsi aliquod aliud peccatum sive veniale sive alias accusatum absolutioni subiicere posset et non subiiceret. Idem dic de poenitentibus qui, non habentes peccata ab ultima confessione commissa, de peccatis vitae praeteritae in genere et prorsus in confuso se accusent. Dubitat quidem Suarez, sed leviter; et dicit tantummodo *esse melius* addere aliquod peccatum in specie. Cf. *De Recidivis* (*Ed. V n. 188 in not.*).

Quoad licitum, duo sunt certa: 1° peccata mortalia accusari debere in specie, si haec specificatio possibilis sit; 2° etiam peccata venialia ab ultima confessione commissa accusanda esse in specie, si poenitens eorundem absolutionem obtinere velit; quamvis enim de solis venialibus agatur, praxis Ecclesiae est ut in specie accusentur, et confessio mere generica ne de illis quidem acceptetur.

An autem qui solum in genere reminiscitur se mortaliter peccasse, debeat addere aliquod peccatum saltem veniale aut vitae praeteritae; vel qui ab ultima confessione nullum peccatum certum (ne veniale quidem), sed solas imperfectiones aut venialia dubia commiserit, debeat pariter (si vult absolutionem) aliquod peccatum vitae praeteritae in specie declarandum absolutioni subiicere; an vero sufficiat si in genere dicat se accusare etiam de peccatis omnibus quae in vita sua commiserit; de hoc (inquam) theologi non conveniunt, sed sententia, quae obligationem istam non recognoscit, et dictae confessionis vel additionis genericae sufficientiam admittit, probabilis mihi videtur. Vide *De Recidivis* (*l. c.*) et Lehmkuhl (*II 263*).

79. *An peccata* ***sine advertentia*** *ad culpam commissa, vel utcumque materialia, aut non vera sed* existimata *(ita ut poenitens credat se debere accusare peccata, etsi revera non peccaverit) sint materia sufficiens?*

Peccata materialia esse materiam sufficientem, hodie communissime negant. In praxi tamen quando poenitens sponte sua non dicit se tale peccatum sine ulla advertentia commisisse (quamvis ageretur de peccatis valde levibus) non oportet ut confessarius timeat ne forte advertentia defuerit, et hac de re inquisitiones faciat: quod enim quaelibet (etsi confusa) advertentia vere defuerit,

quodque poenitens tranquilla prorsus conscientia malum fecerit, difficile est. (Cf. *De Recidivis n. 184*). Adde quod S. Bonaventura aliique theologi antiqui docebant, peccata etiam materialia esse materiam sufficientem confessionis. Cf. *l. c. 185.*

Quoad peccata non vera sed existimata, Viva (*De Poen. II.* IV) docet, illa esse posse materiam necessariam (si nempe poenitens existimet esse accusanda); neque esse conveniens quod ex una parte poenitens teneatur confiteri peccatum, et ex alia absolutio sit invalida.

80. *An peccatum* ***dubium*** *(propter incertitudinem an fuerit commissum, vel an veri peccati rationem habuerit) sit materia sufficiens?* Esset certe materia sufficiens si poenitens nullum aliud peccatum haberet. Secluso autem hoc casu (caeteroquin chimerico), theologi communius dicunt addendam esse accusationem alicuius peccati (saltem venialis aut vitae praeteritae) certi: sed non desunt auctores magni nominis, qui dicunt obligationem huiusmodi non subsistere; et posse confessarium absolutionem conditionatam concedere. Fatentur tamen melius esse si dicta accusatio procuretur, et sic absolutio absque conditione concedatur.

Certe (meo sensu) confessarius non debet esse molestus poenitenti; neque mihi arridet praxis (caeteroquin communissima) extorquendi confessionem turpium peccatorum; et utcumque, si materiam certam facile obtinere nequeat, tunc peccatum illud dubium pro materia sufficienti habeat et absolutionem concedat, quae (iuxta Viva, ut supra) valida et fructuosa esset, quamvis peccatum de facto non subsisteret.

81. *An mere* ***imperfectiones*** *sint materia sufficiens?* In theoria respondendum esset negative; imperfectiones enim sunt contra consilia, non vero contra praecepta, et ideo non sunt peccata.

Sed in praxi quando poenitentes de imperfectione aliqua se accusant (v. g. quod aliquo mane orationes omiserint) palam faciunt se credidisse peccare; et quod proinde ex conscientia erronea verum peccatum (quamvis levissimum) commiserint.

ARTICULUS IV.

De examine conscientiae.

82. *Examen conscientiae confessioni* ***estne semper praemittendum?*** Qui de specie et numero peccatorum bene recordantur, ad examen conscientiae non tenentur; et idem dic de iis qui solum venialia habeant. Ad examen igitur tenentur ii dumtaxat, qui (nisi illud faciant) periculum grave subeunt, ne materiam necessariam ex oblivione reticeant. Porro qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media; idque sub gravi, quandoquidem confessionis integritas sub gravi obligat. In praxi tamen vix unquam accidit ut confessio ex defectu examinis sit sacrilega et ex hoc capite repetenda, ut Ballerini (*n. 506*) notat.

83. *Examen istud* ***quale esse debet?*** 1° Necessitati proportionatum; 2° diligens; 3° discretum.

Necessitati proportionatum; attenta scilicet multitudine peccatorum, tempore a quo quis non est confessus etc.

Diligens. Tridentinum (*XIV.* v) dicit: « Post dili« gentem sui discussionem ». Attamen negligentia levis, aut saltem ut levis apprehensa (quamvis propter illam aliquod peccatum mortale omissum fuisset), levem culpam constitueret.

Discretum. Ad examen quam maxime onerosum, molestum et taediosum (quamvis ad omnia exacte accusanda necessarium videretur) non datur obligatio; secus enim hoc sacramentum nimis grave et odiosum evaderet. Exigitur quidem ut examen sit diligens, sed non plus quam humanum et discretum.

Hinc meretrices aliique magni peccatores, si longi temporis confessionem facere debeant, speciatim circa culparum numerum, et peccata cordis, non subtiliter se examinare tenentur.

Idem dic de iis, qui, propter memoriae debilitatem, vel naturalem mentis confusionem, aliasve causas, non nisi valde difficiliter se melius examinare possent.

In his casibus non est bona regula dicere: si hic poenitens cogitaret adhuc de suis peccatis, aliquod aliud peccatum inveniret, vel peccatorum numerum melius computare posset. Lugo (*XVI 590. 594*).

Item (ut notat Canus *l. c.*) non est bona regula dicere quod christifideles tenentur facere quidquid possunt ne peccatorum obliviscantur. Nunquid enim toties quoties peccant, peccatum scribere debent sicut scribuntur debita in libro administrationis? Nunquid idiotae debebunt signum apponere, sicut faciebat quidam rusticus, qui toties quoties blasphemabat, in quodam loculo fabam ponebat, et in paschate, ad accusandum numerum blasphemiarum in anno prolatarum, fabas numerabat?

84. ***Quonam modo*** *practice examen fieri potest?*

Ad examen bene peragendum (quoad illos qui longi temporis confessionem facere debent et plura diversarum specierum mortalia commiserunt), modus aptior est ut praecepta Dei et Ecclesiae atque obligationes proprii status percurrant.

Aliqui suggerunt ut etiam vitia capitalia considerentur; sed haec consideratio vix quidquam praeter confusionem et repetitiones producere solet.

Quoad illos autem, qui a brevi tempore sunt confessi, aut una vel altera dumtaxat peccatorum specie peccare solent, sufficit si circa haec peccata consueta se examinent; aut considerent summatim quidnam contra Deum, proximum, et se ipsos commiserint.

Dissertatio I.

DE PECCATIS DUBIIS.

85. I. Nihil considerari debent dubia, quae (rem bene considerando) ita soluta fuerint, ut iam certitudo moralis habeatur vel haberi debeat.

Casum habes 1° si rationes graves sint solum pro una parte, dum pro alia quaedam tantummodo formido in nulla vel levi positiva ratione fundata remaneat. 2° Si coniecturae et praesumptiones iam quomodo res se habeat sufficienter cognoscere faciant. De consensu, v. g. tentationi praestito dubitat Petrus qui solet, et Paulus qui non solet consentire. Praesumi debebit quod vere peccaverit Petrus, et e contra quod non peccaverit Paulus, qui, si contra solitum consensisset, longe maiori conscientiae remorsui obnoxius fuisset et sui lapsus memoriam retinuisset. Sic etiam de peracta accusatione peccati antiqui praesumendum erit si poenitens vel timoratae conscientiae semper fuisset, vel confessionem generalem apud sacerdotem peritum et zelantem peregisset, et maxime si pluries. Hinc ad accusanda peccata dubia *non obligantur scrupulosi*, nedum quia praesumptio esset in eorum favorem, sed etiam quia talis obligatio nocumentum eis undequaque allatura esset; unde iam impotentia moralis, quae (ut supra dixi *n. 72*) a confessione excusat, constitueretur.

A fortiori nihil considerari debent dubia stulta prorsus. Casum habes si dubium de licito solum post factum subortum fuisset; vel si poenitens ante factum quidem dubitasset, sed postea dubium prorsus deposuisset, et cum certa conscientia de licito (sive recta sive erronea) ad factum processisset.

II. Exclusis itaque his casibus, et supponendo quod agatur de vero et rationabili dubio persistente in materia gravi, et in persona non scrupulosa, notandum est quod dubium esse potest 1° an peccatum fuerit commissum; 2° an fuerit mortale; 3° an fuerit confessum.

A). Casus dubii *an peccatum fuerit commissum*, accidit speciatim quando poenitens (qui tentationibus modo consentit et modo non consentit) reminiscatur de turpibus cogitationibus habitis, sed (v. g. quia sit labilis memoriae, vel longum tempus praeterierit) non reminiscatur utrum consenserit vel non consenserit.

B). Casus dubii *an peccatum* (certe commissum) *fuerit veniale aut mortale,* accidit speciatim 1° quando poenitens in materia de re gravi dubitat an adfuerit plena advertentia et plenus consensus. 2° Quando ad actum processit cum conscientia dubia, scilicet cum dubio de mortali, et tunc (prout practice contingere solet) crediderit minus peccare quam si certe cognovisset esse mortale, simulque nesciat distinguere an (ita confuse agendo) venialiter an vero mortaliter deliquerit. 3° Idem dic de quibusdam dictaminibus formidinem relinquentibus et non plene satisfacientibus.

C). Casus dubii *an peccatum* (certe commissum et certe mortale) *fuerit confessum*, accidit quando poenitens vel dubitat an illud accusaverit in praecedenti confessione (quia forsan commissum fuit postea) vel dubitat an confessio in qua illud accusavit fuerit valida.

III. Dubium autem an peccatum fuerit commissum, fuerit mortale vel fuerit confessum, potest esse **positivum** et **negativum.**

A). Positivum est quando adsunt rationes graves pro et contra, quae si essent aequalis vel fere aequalis ponderis, dubium strictum, secus dubium latum constituerent; sed in utroque casu nedum dubitandi sed etiam opinandi ratio adesset, unde aliqui peccatum hoc modo dubium appellant *probabile.*

B). Negativum est quando tam pro quam contra vel nullae vel leves tantummodo rationes adsunt; quo casu dicitur adesse motivum dubitandi, sed non opinandi, non secus ac in dubio an stellae in coelo numero pari vel impari sint.

Exemplum pro casu dubii negativi *an peccatum* (*verum et formale*) *fuerit commissum.* Titius, postquam iam inde a prima communione sine usu sacramentorum vixis-

set, in senectute sua ad Deum conversus, dubitabat de obligatione confitendi pollutiones quibus in iuventute ante matrimonium indulgebat, sed ita ut prorsus nesciret an omnes vel non omnes peccata formalia fuissent; non enim recordatur an post an vero ante matrimonium didicerit pollutiones esse vetitas. Alia autem exempla frequentissima habemus in personis labilis memoriae, quae (ut supra) non recordantur an consenserint, et sciunt solum quod aliquando consentiunt, et aliquando non consentiunt tentationibus, quas caeteroquin certe habuerunt.

Exemplum pro casu dubii negativi *an peccatum fuerit confessum* Caius non recordatur utrum tale vel tale peccatum (quod caeteroquin certe commisit) post, an vero ante praecedentem confessionem commiserit, et consequenter utrum adhuc accusandum an vero iam accusatum sit.

IV. Omnes conveniunt (nemine prorsus excepto) quod adsit obligatio accusandi peccata dubia casu quo negative dubitetur de peracta confessione peccati certe commissi; unde Ballerini (*Op. th. Tr. X n. 397*) dicit: « Si dubium « est negativum, scilicet non habes probabiles rationes « credendi te illud (peccatum) confessum fuisse, ex om- « nium sententia teneris confiteri ».

V. In aliis casibus, hodie theologi communius docent, nullam iam accusandi peccata sive positive sive etiam negative dubia extare obligationem.

Sed meo sensu, theoria ista est erronea, et, dum probabilitate extrinseca gaudet, intrinseca destituitur, atque adeo (rationes intrinsecas respiciendo) veritas stat pro doctrina quae obligationem ponit.

Argumenta sunt sequentia. 1° Doctrina de obligatione accusandi peccata dubia radicem habet in dogmate catholico et fundatur in rationibus theologicis validissimis. 2° Fundatur in Concilio Tridentino. 3° Ab Ecclesia semper tradita fuit populo christiano. 4° Fundatur in consuetudine christifidelium, cuius non reperitur initium. 5° Confirmatur ab obligatione accusandi numerum dubium. 6° Confirmatur etiam ex nonnullis decretis S. C. S. Officii. 7° Praeceptum accusandi peccata dubia est non solum probabile, sed certum. 8° Ex ipsa doctrina opposita, pro obligatione

ista rationes eruuntur. 9° Confirmatur auctoritate plurium theologorum. 10° Confirmatur denique ex consectariis et quibusdam aliis rationibus.

Argumenta ista, uti patet, sunt evolvenda, declaranda et probanda. Sed praemoneo me id facere quia de doctrina currenti non sum persuasus, et de re valde practica agitur. Non tamen praetendo ut confessarii doctrinam quae a me defenditur sequantur (nisi de illa prorsus persuasus evadant) donec in libris et scholis doctrina opposita tradatur. Meus finis est sincere procedere, atque exponere rationes, quibus fieri poterit ut theoria (et consequenter etiam praxis) paullatim et quasi sponte sua mutetur.

His praemissis, argumenta summatim indicata sequenti modo evolvo.

Argumentum I.

Doctrina de obligatione accusandi peccata dubia radicem habet in dogmate catholico, et fundatur in rationibus theologicis validissimis.

86. Enimvero nos indigemus remissione peccatorum non solum si certa, sed etiam si dubia sint. Aliis verbis: Qui est dubius peccati mortalis commissi, necesse habet implorare et obtinere a Deo veniam; si enim illud vere commisisset, nec veniam obtinuisset, damnaretur. Idque verum est generaliter, nempe sive peccatum dubie commissum, sive dubie mortale, sive dubie confessum fuisset.

87. Sed quomodo obtinetur venia peccatorum? Dogma catholicum est quod, si agatur de peccatis quae nos a Dei gratia et salute aeterna excludunt (scilicet mortalibus), Christus Dominus statuit necessariam esse confessionem, Aliis verbis: In antiquo testamento satis erat contritio, sed in novo exigitur confessio; unde scripsit S. Ambrosius: « Non potest quis iustificari a peccatis, nisi confes-
« sus fuerit peccata ». Et Suarez subiunxit: « Quod est
« de necessitate contritionis, est etiam de necessitate con-
« fessionis » (*De Poenit. D. XXXII Sect.* IX). Dogma istud fundatur in verbis Christi (Matt. *XVI*): « Tibi
« dabo claves regni coelorum etc. », et (Ioan. *XX 23*):
« Quorum remiseritis peccata remittuntur eis et quorum
« retinueritis retenta sunt ». Hinc enim ex sensu Ecclesiae (Cf. Perrone *De Poen. 2. 112 et 132*) sequitur 1° virtute clavium tantummodo peccatoribus coelum aperiri; 2° in

hunc finem exigi cuiuslibet peccati mortalis confessionem; 3° peccata retineri non solum quando expresse repelluntur indigni, sed etiam (ut ait a Lapide Ioan. *l. c.*) quando peccatores non se praesentant, aut (quod in idem recidit) peccata non accusant. Deleri peccata lethalia ope solius contritionis sine ordine ad claves, authumavit Petrus Oxomensis, sed tamquam haereticus a Sixto IX damnatus fuit, eiusque cathedra combusta. (Perrone *l. c. 156*).

88. Fatendum quod lex de peccatis effective accusandis suas habet exceptiones; quamvis enim credi possit quod D. N. I. C. de exceptionibus locutus non fuerit et multo minus illas determinaverit; tamen ex praesumpta illius intentione deduci debent. Exceptiones istae sunt pro casibus impotentiae sive physicae sive moralis, ad quam ignorantia quoque et oblivio pertinet; et tunc vel formalis tantummodo confessionis integritas (ut supra explicavi) vel contritio perfecta sufficit. Ut tamen contritio sufficiat, cum confessionis voto (sive explicito sive saltem implicito) coniungi debet, et haec etiam est doctrina certissima et proxima fidei, ut recte dicit Perrone (*Vol. II n. 23*) atque ex Tridentino (ut mox infra videbimus) infertur.

89. Sed nunquid inter exceptiones poni debent etiam peccata dubia? Quoad scrupulosos (ut supra dicebam) affirmandum; sed quoad alios, negandum prorsus ob sequentes rationes.

I. Peccata dubia indigent remissione sicut alia, et (quin ullam impotentiae excusationem praeseferant) accusari possunt sicut alia.

II. Ut plurimum etiam remedio indigent; et profecto non solum morbi certi, sed etiam morbi dubii (si sint graves) medico exponuntur.

III. Casus peccati dubii est frequens longe plus quam prima fronte apparet. Saepe saepius enim dubitari potest sive quod adfuerit advertentia ad malitiam; sive quod adfuerit advertentia ad malitiae ipsius gravitatem; sive quod haec advertentia fuerit plena itemque plenus fuerit consensus. Multa quippe peccata committuntur in aestu passionis, vel ex habitu contracto, vel praeviis quibusdam dictaminibus; quae, si interdum excusant prorsus a pec-

cato (1), multo frequentius dubium relinquunt. Hoc autem accidere solet etiam in rebus magni momenti (v. g. in materia iustitiae, luxuriae, munerum proprii status etc.), imo interdum accidere potest etiam in rebus gravissimis, magnisque delictis. Adde innumera dubia imaginaria (dum scilicet revera poenitens non iam dubius sed satis certus est deliquisse); heu quam saepe enim poenitentes, in rebus de quibus accusandis magis verecundantur, ad effugiendam earundem confessionem, hallucinarentur sibique blandirentur se non esse certos quod plena advertentia vel plenus consensus interfuerit, et sic peccatum fuisse dubie mortale atque adeo non accusandum! Nimis verum est effatum: *Facile creditur quod credere dulce est.* Nihil dico de rudibus qui nesciunt distinguere quando peccatum sit mortale et quando veniale, et sic fere semper in casu peccati dubii versarentur. Nonne autem sic reticentiae peccatorum ianua latisima aperiretur, et de confessione quasi actum esset? Nunquid talis esse potuit intentio Christi? Utique huiusmodi malus effectus hucusque non accidit; sed cur? Quia doctrina quae populo datur hucusque fuit quod peccata dubia accusari debent.

IV. Si peccata dubia accusandi obligatio non adesset, sequeretur quod illi omnes qui habent sola venialia simul cum mortalibus dubiis, nunquam tenerentur confiteri nec in vita nec in morte, sed licite omnino sola contritione sibi prospicere possent.

V. Doctrina huiusmodi admitteret sufficientiam contritionis sine voto confessionis; ita scilicet ut christifideles ita se gerentes ne materialiter quidem peccarent. Hoc autem quomodo conformiter dogmati catholico sustineri possit, non percipio.

90. Hae profecto rationes mihi videntur validissimae

---

(1) Enimvero passiones vehementes mentem obnubilant, et S. Lig. (*V 35*) scripsit: « Potest autem intellectus rapi a delectabilitate obiecti « oblati, ut nihil malitiae moralis in illo advertat ». Habitus pariter efficere potest ut sine advertentia, et veluti machinaliter procedatur. Neque dicas quod aderit semper reatus in causa; recte enim dixit Ballerini (*Op. th. VI.* II *25*): « In praxi vix reperies homines ad hoc advertere ». Vide etiam Lehmkuhl (*I 235. 236*).

et omnino convincentes ad concludendum quod peccata dubia (in personis non scrupulosis) vere pertinent ad integritatem confessionis, et quod inter exceptiones, quae ab illa excusant, non sunt ponenda.

91. Hinc Lugo (*XVI.* II *67*) scripsit : « Hoc sacramentum in lege nova institutum est per modum tribunalis, « in quo Deus reliquit vicarios suos, ad quos recurrere « debent christiani pro remissione peccatorum obtinenda eo « modo, quo in lege antiqua ad ipsum Deum immediate re- « currere tenebantur per contritionem, et eo modo quo ad « ipsum Deum recurrerent si visibile aliquod tribunal in « terris erigeret, in quo visibiliter peccatores lapsos sibi re- « conciliaret, et eis veniam peccatorum concederet; nam cum « sacerdotes vicarii Dei et Christi fuerint constituti, eorum « tribunal ad easdem causas debet extendi ad quas exten- « deretur tribunal Dei, si ipse immediate in hoc tribunali « sederet.... Porro *ad tribunal Dei, si ipse immediate « huic iudicio praeesset, cogerentur recurrere non solum « ii qui certe peccata haberent, sed etiam qui dubia :* « ii enim omnes cogerentur ad illud visibile tribunal ac- « cedere, qui ante legem gratiae tenebantur accedere ad « tribunal invisibile Dei, procurando veniam peccati per « remedium contritionis ; ad quam quidem contritionem « habendam tenebantur ii etiam qui peccata dubia habe- « bant ; et hoc non solum in mortis articulo constituti, ne « se exponerent periculo damnationis aeternae, sed etiam « in vita, eo modo quo alii, qui peccata certa habebant, « debebant etiam aliquando in vita de illis conteri, ut re- « dirent in gratiam et amicitiam Dei ; *ergo de primo ad « ultimum (cum hoc tribunal sacerdotum succedat loco « Divini Tribunalis, ad quod illi etiam, qui peccata « dubia habebant, deberent accedere) consequens est quod « ad hoc etiam sacramentum cum iisdem peccatis dubiis « accedere teneantur* ».

Argumentum II.

Doctrina de obligatione accusandi peccata mortalia dubia fundatur in Tridentino, ex quo necessario deducitur.

92. Tridentinum (*Sess. XIV C.* v) distinguit inter peccata venialia et mortalia.

De venialibus dicit: « Venialia, quibus a Dei gratia « non excludimur, taceri citra culpam multisque aliis re- « mediis expiari possunt ».

De mortalibus autem dicit: « Integram peccatorum « confessionem.... iure divino necessariam existere, quia « D. N. I. Christus.... sacerdotes sui ipsius vicarios reli- « quit.... ad quos omnia mortalia crimina deferantur...., « qui pro potestate clavium remissionis aut retentionis « peccatorum sententiam pronuncient... Cum universa mor- « talia peccata homines irae filios et Dei inimicos reddant; « necesse est omnium etiam veniam, cum aperta confes- « sione a Deo quaerere ».

Prius autem (*C. IV*) de contritione dixit: « Recon- « ciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod « in illa includitur, non esse adscribendam ».

Quod revera ex huiusmodi verbis deducendum sit, peccata mortalia esse materiam necessariam confessionis, quamvis sint dubia, patet 1° quia Tridentinum excepit solum peccata venialia, quae nos a Dei gratia non excludunt. Circa autem peccata mortalia quae nos filios irae et Dei inimicos reddunt, quum dicat, unicum remedium eorundem veniam obtinendi, ex ipso Christi decreto, esse absolutionem sacerdotis vicarii sui, praevia confessione; contritionem autem valere posse solum cum voto (saltem implicito) confessionis; iam manifestum est quod haec omnia applicanda sunt etiam ad mortalia dubia, quorum etiam veniam obtinendi necessitatem habemus.

Argumentum III.

Haec doctrina ab Ecclesia populo christiano semper tradita fuit.

93. Catechismus romanus non solum (cohaerenter Concilio Tridentino) dixit quod *mortifera peccata singula enumeranda sunt*, quia *non potest quis iustificari a peccato nisi confessus fuerit peccatum;* et quod *venialia sine culpa praetermitti possunt*, quia *nos a Dei gratia non divellunt*, et *multis aliis rationibus expiari possunt;* non solum (repeto) haec dixit, ex quibus obligatio accusandi peccata dubia logice (ut supra) deducitur; sed de his ipsis peccatis dubiis verba fecit in terminis, illaque accusandi (qua de re tunc nemo dubitabat) obligationem adesse aperte supposuit, inquiens: « Curandum est ut « confessio nuda, simplex et aperta sit..., ea enim con- « fessio esse debet, quae nos tales sacerdoti aperiat, qua- « les nos ipsos novimus, **certaque pro certis ac dubia « pro dubiis** demonstret ».

Unusquisque autem novit quod catechismus romanus est iuxta sensum Concilii Tridentini, atque a Summo Pontifice Clemente XIII datus fuit pro regula (et quidem obligatoria), iuxta quam parochi et catechistae populum instruere debent, ut ex bulla eiusdem Pontificis eidem catechismo praemissa manifeste patet.

Consequenter eadem doctrina invenitur passim in catechismis dioecesanis, qui usque ad saeculum XIX editi fuerunt. Speciminis gratia sequentes cito.

94. **In Italia.** Catechismus Mediolani. « D. *Quando è intera l'accusa « dei peccati?* R. L'accusa dei peccati è intera quando ci accusiamo di « tutti i peccati mortali certi ed anche dubbii, tali quali ce li sentiamo « nella coscienza dopo un diligente esame ».

Venetiarum. « *Se fossi in dubbio se qualche peccato sia mortale « o veniale?* R. Dovreste confessarlo qualunque volta non siate sicuro « che sia veniale, ed altrimenti fareste un sacrilegio. — D. *Se fossi in « dubbio d'aver commesso qualche peccato?* R. Dovreste confessarlo come « dubbio, altrimenti la confessione sarebbe un sacrilegio, se ciò faceste a « posta. — D. *Se fossi in dubbio d'aver confessato o nò un peccato mor- « tale?* R. Dovreste confessarlo così in dubbio, perchè chi è certo di aver « commesso un peccato mortale, deve ancora esser certo di averlo con- « fessato ».

Taurini. « D. *Chi ha fatto un peccato, nè sa se sia mortale o ve- « niale, è obbligato a confessarlo?* R. Signor sì: debbonsi confessare

« tutti i peccati mortali ; i certi come certi, e quelli dei quali si dubita, « si debbono confessare come dubbii, e dichiararli al confessore in quel « modo che li conosciamo. — D. *Chi dubita se abbia già confessato un « peccato mortale, che sa d'aver commesso, dev'egli confessarlo un'altra « volta ?* R. Signor sì : deve confessarlo ».

Novariae. « D. *Che devesi fare riguardo ai peccati, dei quali dubi- « tiamo se siano mortali o veniali ?* R. Si devono confessare come dubbii. « — *E se uno dubita d'aver fatto un peccato o nò?* R. Dichiari il dubbio « come sta ».

Florentiae. In Dioecesi Florentina, et passim in aliis dioecesibus Hetruriae, adhibetur Catechismus ad usum scholarum piarum, ubi dicitur : « D. *Chi dopo un diligente esame, non può trovare il numero preciso, o « stà in dubbio di qualche peccato, come deve spiegarsi col confessore ?* « R. Deve dire al confessore il peccato dubbio come lo conosce, ed il « numero all' incirca ».

Casalis. « D. *Che vuol dire intiera ?* R. Che si debbono dire tutti i « peccati commessi, almeno i mortali, o che dubitiamo che siano tali. — « D. *Che vuol dire sincera ?* R. Che bisogna confessare i peccati quali « sono senza scusarli, o diminuirli, o accrescerli ; e confessare i peccati « certi come certi, i dubbii come dubbii ».

Arcirealis. Idem dicit ad verbum.

Bononiae. Catechismus Mellinii (ad usum scholarum), explicando quod confessio debet esset integra, dicit : *Intera, palesando tutto ciò di cui ri- morda la coscienza.* Nonne autem conscientia remordet graviter etiam de peccatis mortalibus dubiis ?

In dioecesi nostra Faventina. « D. *Chi dubita se abbia commesso un « peccato mortale, o se sia mortale, o se l'abbia confessato, deve con- « fessare questo dubbio ?* R. Deve dire il peccato certo come certo, e il « dubbio come dubbio, commesso o confessato, per confessarli tutti come « stanno sulla coscienza ».

95. **In Gallia.** Grenoble. « D. *Si l'on doute que l'on a commis un « tel péché, que doit-on faire ?* R. Il faut l'accuser comme douteux ».

Metz. « D. *Comment faut-il déclarer les péchés, qu' on n' est pas « certain d'avoir commis ?* R. Il faut les déclarer comme douteux, et dire, « par exemple : je doute si j' ai commis tel péché ».

Langres. « D. *Doit-on se confesser des péchés veniels ?* R. Si l' on « *était sûr* qu'un péché n'est que véniel, on ne serait par tenu de s' en « confesser ».

Lyon. « D. *Que faut-il faire quand on doute si un péché est mortel « ou véniel ?* R. Il faut s' en accuser ».

96. **In Belgio.** Malines. « D. *Doit-on confesser un péché lorsqu'on « doute s' il est mortel ?* R. Oui ; car en ne confessant pas, on s' expose « à omettre un peché mortel, et la prudence exige que dans le doute on « prenne le parti le plus sûr. — D. *Quand on doute si l'on a commis un « péché mortel, faut-il parler de ce doute dans la confession ?* R. Oui, « il faut s'accuser de ce péché mortel, en ajoutant que l' on doute si on « l' a commis ».

97. **In Hispania.** Barcelona. « D. *Como se han de confesar los pe- « cados ?* R. Con humildat et claridat, los ciertos como ciertos, los dudo- « dos como dudodos, del modo que estan en la concientia ».

98. **In Helvetia.** Lausanne. « D. *Si l'on doute d'avoir commis un « péché mortel, comment faut-il s' en accuser ?* R. Il faut declarer ce « doute au confesseur ».

99. **In America.** Costa Rica et Vera Cruz. « D. *Que debemos hacer « cuando ignoramos si un pecado es venial o mortal?* In tal caso debe- « mos confesarlo ».

100. Haec ipsa doctrina traditur passim in instructionibus ad populum.

Hoc patet 1° ex notitiis quas habere potui; quum enim in plurimis catechismis ad doctrinam christianam pueris tradendam destinatis, quaesitum circa peccata dubia non invenerim, de instructione quae populo datur informationes coepi, et mihi responsum fuit, quod quamvis parvus catechismus quaesitum illud praetereat, tamen populus de hac obligatione edocetur. Sic. v. g. de toto imperio Austriaco quidam fide dignissimus mihi scripsit, tam in ecclesiis quam in scholis, *universaliter* tradi doctrinam quod peccata dubia accusari debent.

Patet 2° ex libris catechisticis ad usum concionatorum et parochorum conscriptis. Cito aliquos (versione latina).

De Harbe S. I. (*V. III p.* III *C. 6*) : « Si versemur in dubio an « peccatum commissum sit mortale vel veniale, obligationem habemus illud « accusandi ». Excipit solum scrupulosos iudicio confessarii. De hoc auctore dicit *La Civiltà Cattolica* (*2 Maii 1885*) : « Ci piace in questo (cate- « chismo) il rigore teologico, per cui non confonde le opinioni (anche « lodevoli) col domma, e i consigli (anche utili) col precetto ». Mihi autem scriptum fuit quod Concilium Nationale Fuldae (habitum *an. 1893*) decrevit quod in omnibus Germaniae dioecesibus huius auctoris catechismus adhibendus sit.

Rainerî : « Integritas confessionis consistit in declarandis distincte « omnibus peccatis mortalibus, etiam dubiis.

P. Bougeant S. I. (*P. III pag. 297*) : « Quando dubitamus an id « quod fecimus sit vel non sit peccatum mortale, tenemur illud confiteri, « dummodo dubium sit rationabile, fundatum scilicet in ratione aliqua : « si enim esset scrupulus, non oporteret in illo immorari; sed si dubium « nostrum fundamentum aliquod habeat, nec illud per nos ipsos resolvere « possimus, illud patefacere confessario eiusque iudicio subiicere oportet. » Illud reticendo, novum peccatum committeremus et confessionem sacrile- « gam faceremus ».

P. S. Boriglioni fundator congregationis doctrinae christianae (*v. II pag. 360*) : D. *Quomodo oportet accusare peccata?...* « Indicando meliori « modo possibili ad minus peccata, quae sunt aut dubitamus quod sint « mortalia ».

In libro, cui titulus : *La gioventù istruita secondo il metodo dei preti della congregazione della dottrina cristiana*, ad quaesitum : *V' è obbligo di confessarsi d' un peccato mortale, del quale dubitiamo se l'abbiamo commesso o nò?* Respondetur : *Sì, vi è obbligo ; ma si deve dire il dubbio che abbiamo di averlo commesso o nò.*

Idem dic de libro qui inscribitur : *La science du confesseur, ou conférences ecclesiast, sur le sacrement de la pénitence, par une société*

des prêtres Français réfugiés en Allemagne An. 1796-1802. (Notandum quod haec societas componebatur ex sacerdotibus plus quam *sexaginta*, qui *a diversis Galliae dioecesibus* tunc in Germaniam migraverunt). En quod dicitur in hoc libro : « On doit déclarer les péchés douteux, soit qu' on « doute si on a commis la faut, soit qu'on doute si elle est mortelle, soit « qu' on doute si on l' a déjà confessée. It faut dire les choses comme « elles sont. Il n' y a qu'un moyen de décharger sa conscience, puisqu'on « ne peut pas dire que la conscience ne reproche rien, quand on doute si « l'on n'a pas offensé Dieu mortellement, ou si l'on a rempli l'obligation « de s' en confesser ».

Explication du catéchisme de Rodez: « Le sentiment le plus commun « est qu'on est obligé de les confesser (les péchés douteux). non toute- « fois comme certains, mais comme douteux ».

In Catechismo Germanico (auctore Wilmers S. I. *An. 1880*): « Si quis « dubitat an aliquod, quod est peccatum grave, fecerit ; vel an quod fecit « sit peccatum grave : vel utrum peccatum grave commissum iam confes- « sus fuerit, generalis regula tenenda est, talia peccata dubia confitenda « esse ».

Argumentum IV.

Haec doctrina confirmatur ex universali christifidelium sensu, atque ex praxi et traditione cuius initium non reperitur.

101. Ut colligere potui ab epistolis nedum ex Europa sed etiam ex America mihi scriptis, christifideles nedum solent accusare peccata mortalia dubia, sed in ea sunt persuasione ut omnino illa accusare debeant, secus tranquilli nullatenus remanerent, et de confessione male peracta remorsum haberent.

Nec aliter esse potest; si enim a propriis parochis et concionatoribus edocentur, non ex consilio tantummodo (sicut contingit quoad venialia), sed ex obligatione esse accusanda, quomodo obligationem istam non adesse credere poterunt ?

Quae cum ita sint, nunquam intellligere potui cur quidam auctores dicant, christifideles solitos esse quidem accusare peccata dubia, sed solum ad maiorem tranquillitatem animique satisfactionem habendam; non vero quia ad id se obligatos esse existiment.

102. Quod autem praxis christifidelium accusandi peccata dubia cum persuasione obligationis fundetur in *traditione antiquissima*, cuius initium non reperitur, patet ex theologis antiquissimis (ut mox infra videbimus). Doctrina autem, quae uniformiter et absque haesitatione ulla ab iisdem tradebatur, certe tunc non poterat esse nova; sed

in traditione adhuc valde antiquiori fundamentum habere debuit. Lugo (*De Poenit. XVI 67*) scripsit: « Potissi-
« mum fundamentum huius doctrinae desumendum est ex
« usu et praxi totius Ecclesiae, cuius initium non agno-
« scitur; quare credendum est ab ipsis Apostolis proma-
« nasse, qui vim et *obligationem* inclusam in huius sacra-
« menti institutione melius potuerunt intelligere ».

Argumentum V.

Deductum ab obligatione accusandi numerum dubium.

103. In catechismis dioecesanis passim quaeritur, quomodo se gerere debeat poenitens, qui de peccatorum suorum numero exacto non recordatur? Respondetur autem non iam quod sufficiat ut accusetur numerus qua parte est certus, sed quod accusandus est numerus etiam qua parte est dubius. Vide catechismos *di Schüller* (qui Romae adhibetur), *di Bologna, di Milano, di Lodi, di Piacenza, di Firenze, di Perugia, di Grenoble, di Barcellona, di Malines* etc. etc.

Sed peccata quae includuntur in numero dubio, nonne sunt peccata dubia?

Insuper si accusari debent peccata dubia quando coniunguntur cum aliis certis eiusdem speciei, nonne a fortiori accusanda erunt quando cum illis non coniunguntur? Maior quippe est obligatio accusandi speciem quam numerum.

Argumentum VI.

Eadem doctrina confirmatur etiam ex nonnullis Decretis S. C. S. O.

104. Haec decreta respiciunt casum haereticorum, qui recepto in haeresi baptismate dubii valoris, ad fidem catholicam convertuntur. De his autem S. C. decernit non solum sub conditione esse rebaptizandos, sed etiam debere

confiteri sacramentaliter peccata in haeresi non confessa (1), quamvis probabiliter per secundum baptismum remissa fuissent. En tenor decretorum.

« In conversione haereticorum inquirendum est primo de validitate « baptismi in haeresi suscepti.... Si autem investigatione peracta adhuc « probabile dubium de baptismi validitate supersit, tunc sub conditione « iteratur.... Si baptismus sit sub conditione iterandus, hoc ordine proce- « dendum erit : *a)* Abiuratio, seu fidei professio. *b)* Baptismus conditio- « natus. *c) Confessio sacramentalis cum absolutione conditionata* ». Ita S. C. S. O. *20 Iul. 1859* (apud Collect. S. C. P. F. *n. 1689*).

« Inter decreta primae synodi provincialis Westmonasteriensis, ubi « sermo est de abiuratione protestantium adultorum et de baptisimate sub « conditione eis conferendo, additur: *Confessio etiam sacramentalis sem-* « *per in tali casu est exigenda*. Quaeritur an debeat, iuxta synodi pro- « vincialis decretum a S. Sede probatum, confessio sacramentalis a neo- « conversis in Anglia exigi, et an debeat esse integra? R. Affirmative ; « et dandum est decretum latum *die 17 Iun. anni 1715* ». Ita S. C. S. O. *17 Dec. 1868* (*l. c. n. 955*).

Decretum autem *17 Iun. an. 1715* est sequens : « Carolum Ferdi- « nandum *(a secta lutcrana conversum)* esse rebaptizandum sub condi- « tione, et, collato baptismo, eius praeteritae vitae peccata *confiteatur*, et « ab iis *sub conditione absolvatur* » (*l. c. n. 644*).

105. Manifestum est quod hic agitur de peccatis dubiis, scilicet certe quidem commissis sed dubie per secundum baptismum remissis, quum enim (iuxta hypothesim) non sciatur an secundum baptismum sit validum vel invalidum (propter incertitudinem primi), iam sciri non potest utrum in eodem secundo fuerint vel non fuerint remissa. Si autem huiusmodi peccata sunt accusanda, iam a pari idem dici debet si dubitetur utrum in alia confessione accusata et absoluta fuerint. Excipe nisi propter nimiam frequentiam casus (prout si dubitaretur de dolore sufficienti) impotentia moralis constitueretur, et sic integritas formalis sufficeret. Vide etiam Acta S. Sedis (*IV pag. 320*).

(1) Nulla questio esse posset de peccatis *confessis* ante novum baptismum (prout accideret si catholicus adultus ad cautelam baptizaretur) ; si enim primum baptismum fuisset validum, tunc per confessiones a catholico ipso peractas ; si vero fuisset invalidum, tunc per ipsum novum baptisma remissa fuissent. Questio itaque refertur ad haereticos, qui confessione non utuntur, casu quo convertantur atque denuo baptizentur.

Argumentum VII.

Rationes hucusque expositae fundant nedum probabilitatem sed certitudinem quod praeceptum accusandi peccata dubia vere existit.

106. Patet praecipue quia agitur de doctrina, quae tamquam vere observanda populo christiano ab Ecclesia traditur semperque tradita fuit.

Patet etiam ex theologis summae auctoritatis et vere primi subsellii. Audiantur aliqui.

Lugo (*De Poen. XVI.* II *74*): « In praesenti non dubitari de praecepto ; nam praeceptum est confitendi peccata certa et dubia ; unde qui « scit se habere peccata dubia, *non dubitat de praecepto, etsi dubitet de « peccatis* ». Sanchez (*Dec. I.* X *66*): « Eo ipso quod dubium est an peccatum sit mortale, *est certum illius confitendi praeceptum,* id testante « usu Ecclesiae, ut colligitur ex doctoribus antiquis et neotericis, qui « tamquam rem certam unanimi consensu hoc praeceptum ita intelligunt ». Salmanticen. (*Tr. VI.* VIII *35*): « Constanter asserendum est, sacramentum « poenitentiae fuisse a Christo institutum cum hoc praecepto et sub hac « obligatione (accusandi peccata dubia) ». Croix (*n. 610*): « Praeceptum con« fitendi dubia iam *non debet censeri dubium, sed satis certum* ». Suarez (*De Sacr. XXXII Sect.* IX): « Negatur ergo illa consequentia : Dubitat « an peccaverit mortaliter, ergo dubitat an confiteri debeat huiusmodi du« bium : nam potius hoc ipso quod dubitat de mortali, *certum est* illud « dubium esse dicendum in confessione ».

Argumentum VIII.

Quod ex ipsa doctrina opposita desumi potest.

PROPOSITIO I.

Doctrina opposita, quae dicit non adesse obligationem accusandi peccata dubia, fuit prorsus inaudita in Ecclesia Dei usque ad saeculum XVI.

107. Quoad peccata *negative dubia,* prima vestigia inveniuntur apud Coninck, Laymann et Praepositum (in principio saeculi XVII). De hoc testes sunt Lugo, Salmanticenses et Diana.

Lugo (*De Poenit. Disp. XVI n. 63*) dixit quod, exceptis dictis tribus theologis « omnes alii docent peccata mortalia dubia esse necessario con-

« fitenda, sive dubium sit de substantia actionis an fuerit facta, sive an « fuerit mortalis, sive an fuerit iam illud peccatum in confessione dictum ». Salmanticenses (*Tr. VI C.* VIII *n. 37*) scripserunt : « Solum paucis ab « hinc annis ab uno aut altero auctore punctum hoc in controversiam re- « vocatum est : ab antiquis vero tamquam certum suppositum et absolute « probatum fuit, peccata ista dubia eo modo quo in conscientia habentur « (scilicet ut dubia) esse necessario in confessione aperienda ». Et Diana (*Tr. III R. 131*) ad quaestionem : *An peccata dubia sint materia necessaria confessionis?* Respondit : « Hanc difficultatem non invenio apud « antiquos doctores in dubium positam : solum de illa coeperunt dubitare « aliqui recentiores ; et, quod peius est, negativam sententiam docuerunt ».

108. Quoad peccata autem *dubia in genere* (scilicet sive negative sive positive), primum vestigium invenitur (sub initio saeculi XVI) apud Lutherum, qui inter suos articulos hunc quoque habet : « Non esse confitenda omnia « mortalia, sed ea tantum quae sunt manifeste mortalia ». De hac Lutheri doctrina scripsit Bellarminus (*L. III De Poenil. C. I*) : « Dubitari solet quid per manifesta pec- « cata quae sola ad confessionem pertinere voluit, Lutherus « intellixerit : non enim defuerunt qui eum excusare vel- « lent. Aut igitur manifesta peccata occultis opposuit, aut « dubiis, aut omnino incognitis ipsi peccatori. De omnino « incognitis non potuit esse locutus, ea siquidem ne ca- « tholici quidem volunt esse confitenda. De occultis non « se esse locutum testatur ipse in assertione *Art. VIII;* « quare *id solum restat ut de dubiis intellexerit; qui « certe non parvus est error* ». Et Io. Eckius, qui ap- pellatur Lutheri malleus, (*De Poen. IX.* XI) dixit : « Hunc « esse *errorem in veritatem catholicam* ». Denique Io. Frischerus martyr (*Art. VIII*) subiunxit : « Caecum et « insanum esse, qui *ob unius Lutheri sententiam* velit « tanto discrimini se exponere, quatenus ea peccata, quae « vel novit vel dubitat esse lethalia, sacerdoti non aperiat ».

Et sane, neque ineunte saeculo XVI neque saeculis praecedentibus auctores doctrinam huiusmodi habebant, sed e contra docebant quod peccata dubia (minime exclusis dubiis positivis) sunt accusanda. Speciminis gratia audiantur sequentes.

109. **Saec. XIII.** S. Thomas (*in 4° D. 21 q. 2 A. 3 ad 3°*) : « Quando « aliquis dubitat de aliquo peccato an sit mortale, tenetur illud confiteri « dubitatione manente : quia qui aliquid committit vel omittit, in quo « dubitat esse mortale peccatum, peccat mortaliter discrimini se commit-

« tens ; et similiter periculo se committit qui de hoc quod dubitat esse « mortale negligit confiteri. Non tamen debet asserere illud esse mortale, « sed cum dubitatione loqui et iudicium sacerdotis expectare: cuius est « discernere inter lepram et lepram »

S. Bonaventura (*IV Dist. XXI q. 2*): « Quando (quis) dubitat utrum « sit mortale, dicendum quod, sicut dubitat, ita dubitando debet confiteri ».

Albertus magnus (*D. XVII a. 64*): « Non tememur ad confessionem « venialium....; tamen incipimus *obligari*, quando non bene certum est « quid veniale, quid mortale a parte nostra (fuerit) ».

De Ales (*4 p. q. 18 m. 4 a. 2* § *5*): « In casu tamen contingit quod « homo tenetur ea (venialia) confiteri ; ut quando dubium est de aliquo « utrum sit veniale vel mortale ; unde nisi poeniteat, sicut de mortali, « committit se discrimini ; et ideo *debet* confiteri sicut habet in con- « scientia ».

110. **Saec. XV.** S. Antoninus (*De Poen. XIX de Confess.* § *8*): « Ea autem de quibus dubitat utrum in ipsis peccaverit mortaliter, secun- « dum D. Thomam, *tenetur* confiteri : alias periculo se committit et *mor-* « *taliter peccat*.... Et intelligitur de dubio probabili....; secus est de dubio « scrupuli ».

Summa Angelica (v. *Confessio n. 34*): « Si probabiliter dubitat de « aliquo an sit peccatum veniale vel mortale, *tenetur* confiteri....; aliter « si non confitetur, peccat mortaliter, quia se exponit periculo ».

111. **Saec. XVI.** De Card. Bellarmino recole eius verba mox supra allata (*n. 108*).

Card. Caietanus (v. *Confessio*): « Integra (debet esse confessio) quan- « tum ad peccata mortalia alias non confessa, tam certa quam dubia ».

Card. Toletus (*Instruct. Sacerd. L. III C.* VII *n. 6*): « Qui dubius « est de aliquo an sit mortale, *debet* confiteri; alias confessio non est in- « tegra ».

Summa Aurea (v. *Confessio*): « Sit integra (confessio) quantum ad « mortalia certa et dubia ».

A Victoria (*n. 130*): « Satis est confiteri peccata certa et dubia : sed « non de scrupulis, qui sint veri scrupuli ».

Navarrus (*Enchir. C. IX n. 11*): « Nihil valet illa (confessio) quae « non est integra, et quod prudens et sciens omiserit confiteri aliquod « peccatum mortale, vel quod ipse probabiliter dubitabat an esset tale ». Et in C. *Si quis autem* (*n. 77 De Poen. D. 7*) dixit : « teneri quempiam « dubium de confessione alicuius peccati fateri, etsi magis opinetur se id « fassum esse, dummodo illa opinio ad fidem et credulitatem usque non « pertingat ».

Adrianus (*in 4° de Sacr. confess. I p. q. 4 in 3 confir.*): « Illo casu « (dubii an peccata sint venialia vel mortalia) *tenemur* ea confiteri, non « quia venialia, sed propter discrimen et dubium an sint mortalia ».

Azorius (*I Inst. L. XI C.* IV *q. 3*): « Quoniam in dubiis quod tutius « est eligere oportet ne quis se peccati periculo obiiciat, ... si quis du- « bitet praebuerit necne consensum peccato lethali, eo ipso confiteri *debet,* « cum sacram confessionem coram sacerdote facit ».

Sayrus (*Clav. reg. L. I C.* XIII *n. 4*): « Qui de peccato suo dubitat « an sit mortale vel veniale, *tenetur* ipsum confiteri, propter dubium quod « de illo habet, ex Navarro, Adriano et communi ».

112. Dixi theologos istos *non excludere dubia positiva;* idque patet quia loquuntur indistinctim, et neque

in verbis adductis neque in contextu ullatenus indicant quod ad sola dubia negativa sermonem restringant. Imo, quum passim pro ratione adducant *periculum*, ex hoc ipso palam faciunt quod ad dubia quoque positiva doctrinam extendunt, *periculum enim in dubiis non solum negativis, sed etiam positivis subsistit.*

Hoc itaque in puncto verissime scripsit Concina (*De Sacr. Poen. Diss. IV De Confessione*): « Neque Bellar- « minum, neque S. Thomam, neque aliquem antiquorum « similes distinctiunculas (*dubii positivi et negativi*), quae « veritatem obnubilant et auferunt reipsa obligationem « confitendi quaecumque peccata sive positive sive negative « dubia, adhibuisse. Sed tam Bellarminus quam S. Thomas « et caeteri omnes simplici sermone declararunt omnia « mortalia dubia esse confitenda, missis cavillatoriis di- « stinctionibus. Exceptis scrupolosis, qui dubium pro levi « coniectura aut nescientia accipere solent, vel ipsi idiotae « bono sensu praediti sciunt quando dubitant. Idcirco omnes « antiqui *ante natum probabilismum* absolute pronuntia- « runt peccata dubia esse confitenda ».

Reapse auctores qui circa finem saeculi XVI docere coeperunt esse distinguendum inter peccata positive et negative dubia, theologos antiquiores supra relatos (ut videre est v. g. apud Sanchez *Dec. I.* x *76*) minime citarunt; et Croix (*De Poen. n. 609*) rei evidentia victus dicere coactus fuit: « Antiquorum plerique loquuntur aequaliter de positive « dubiis ». Caute igitur legendi sunt iidem auctores dum dicunt ipsam doctrinam esse communem; communis quippe poterat evasisse inter theologos proprii saeculi, sed reapse paullo antea, usque ad saeculum XVI, prorsus aut fere prorsus inaudita erat, unde usque ad idem saeculum doctrina de obligatione accusandi peccata dubia semper tradita fuit.

113. Ex hoc autem quid concludendum? Rectissime dicit Croix (*n. 610*): « Tenendum est hoc quod dixerunt « antiqui....; praesumendum est enim illos se voluntatem « Christi magis rescire...., praesertim *cum videatur acce-* « *dere a primis saeculis communis sensus et praxis fi-* « *delium* »

PROPOSITIO II.

Obiectiones, quae pro excludenda obligatione accusandi peccata dubia adducuntur, validae non sunt.

114. Obiiciunt I. *Peccata dubia neque contritionis motivum, neque confessionis et absolutionis materiam, neque satisfactionis obiectum, neque iudicii sacramentalis fundamentum esse possunt; forsan enim nihil sunt.*

Respondetur. Peccata dubia possunt 1° esse motivum contritionis, quia locum relinquunt timori; 2° esse materia confessionis, illa accusando ut dubia; 3° esse materia absolutionis (nempe absolutionis conditionatae si alia materia certa deesset); 4° esse obiectum poenitentiae sacramentalis, sive vindicativae et vere satisfactoriae si peccatum reapse subsistat, sive saltem praeservativae et medicinalis; ex una parte enim in hoc sacramento satisfactio non est essentialis, et ex alia medicina contra morbos non solum certos, sed etiam suspectos tantummodo, dirigi potest, quo solo sensu verum est effatum: *quod ignorat medicina non curat.* Denique 5° peccata dubia possunt esse fundamentum iudicii sacramentalis; ad sacerdotem enim spectat discernere inter lepram et lepram; et, quamvis ille quoque in dubio remaneret an poenitens graviter deliquisset, posset semper iudicare, absolutionem (supposita eiusdem peccati dubii detestatione) esse concedendam.

Aliunde necessarium est ut sacramentum poenitentiae non solum pro evitanda damnatione aeterna, sed etiam pro evitando illius periculo, deserviat; et nihil aequius (ut notat Sfortia Pallavicini apud Diana *R. 131 a. 17*) quam quod, pro tali ac tanto periculo evitando, quis conteri, confiteri, et aliquid poenitentiae peragere debeat.

Sedulo etiam notandum quod Christus Dominus voluit quidem ut forma iudicii in hoc sacramento administrando servaretur, sed hoc intelligendum ut fieret solum per quantum fieri potest; principalius enim respexit salutem animarum: unde iam certa doctrina est quod, v. g. ad consulendum aeternae saluti moribundi sensibus destituti, ei dari deberet absolutio, quamvis tunc de forma iudiciali nihil vel fere nihil esset.

115. Obiiciunt II. *In iudiciis delictum non praesumitur nisi probetur; et, delicto non probato, accusatus pro innocente habetur, nullaque poena affici potest.*

Respondetur. Regulae istae valent quidem pro foro externo, in quo de vindicta et punitione (atque adeo de re odiosa) agitur; sed non possunt applicari ad forum sacramentale, in quo agitur de providendo aeternae poenitentis saluti; quae utique exigit ut qui habent peccata dubia, non iam tamquam absolute innocentes, bene vero tamquam hoc sacramento indigentes habeantur, atque ad cautelam absolvantur.

116. Obiiciunt III. *Peccata dubia non esse accusanda patet ex Tridentino, quia, ubi agit de confessione (Sess. XIV C.* v), *1° De peccatis dubiis verba non facit. 2° Dicit accusanda esse peccata quorum conscientia habetur, et de quibus poenitens meminit, seu quae memoriae ei occurrunt; sed expressiones istae peccatis dubiis applicari nequeunt; conscientia enim, ut ait S. Bernardus, est cordis scientia, unde ubi non est scientia (sed solum dubium) non potest esse conscientia. Similiter de re dubia nequit dici quod memoriae occurrat etc. 3° Significat nihil aliud exigi quam ut accusentur peccata per quantum oportet ad causam cognoscendam et aequitatem in poenis iniungendis servandam; sed in hunc finem peccata dubia accusare non oportet.*

Respondetur ad I.^{um} Tridentinum de peccatis dubiis verba non fecit explicite, concedo; sed ratio fuit quia haec doctrina non pertinebat ad illas principales, quas contra Novatores ad modum dogmatis definire volebat. Nihilominus implicite significavit illa esse accusanda; itque patet ex dictis supra (*n. 92. 93*).

Ad II.^{um} De peccatis quoque dubiis habetur conscientia. Lugo (*D. XVI.* II *71*) dicit: « Licet horum peccatorum « non sit scientia, ea tamen iam sunt in conscientia; quia « communiter dividi solet conscientia in conscientiam cer- « tam, dubiam, probabilem etc. Conscientia ergo dubia « conscientia est: unde qui habet dubium de peccato com- « misso, dicitur habere remorsum conscientiae: ergo iam « est illud peccatum aliqua ratione in eius conscientia, « non ut certum sed ut dubium, quod sufficit ut talis homo « non possit absolute dicere: *Nihil mihi conscius sum* ».

Similiter bene dici potest quod peccata dubia memoriae

occurrunt, eorumque aliquo modo reminiscimur; unde dicimus v. g.: De tali vel tali re recordor in dubio vel habeo reminiscentiam dubiam aut memoriam confusam etc. Hoc patet etiam ex antithesi, dum Tridentinum peccatis quae poenitentis memoriae occurrunt, opponit peccata oblita et occulta, inquiens: « Reliqua autem peccata, quae diligenter cogi- « tanti non occurrunt, in universum in eadem confessione « inclusa esse intelliguntur, pro quibus fideliter cum Pro- « pheta dicimus: Ab occultis meis munda me, Domine ». Enimvero peccata dubia nec oblita nec occulta absolute dici possunt.

Adde quod, si Tridentinum de sola conscientia et memoria certa intelligi deberet, tunc nequidem numerum dubium accusare teneremur.

Ad III.^{um} Tridentinum duo dicit: 1° Accusanda esse confessario illa omnia quorum venia a Domino obtinere oportet, ne damnationis aeternae periculo exponamur. 2° Confessarium incognita causa iudicium ferre non posse, et proinde non sufficere confessionem genericam etc.

Ex his autem non iam sequitur peccata dubia non esse accusanda, bene vero sequitur 1° accusari debere, quia illa quoque periculo damnationis nos exponunt; 2° Accusari debere non tamquam certa sed tamquam dubia, ut scilicet confessarius non decipiatur, sed tunc quoque quantum possibile est causae cognitionem habeat.

Firmum itaque remanet quod ex verbis Tridentini deducitur, accusanda esse peccata dubia; idque confirmatur ex eo quod Tridentinum ipsum, iuxta doctrinam quae semper in Ecclesia adhibita fuit, interpretari debet.

117. Obiiciunt IV. *Votum confessionis exigitur quidem absolute pro peccatis certis, sed pro dubiis exigitur solum conditionaliter, si nempe in posterum certa evasura essent. Donec enim remanent dubia, sunt materia libera, non secus ac peccata venialia, de quorum confessione non est necesse ut ullum votum habeatur.*

Respondetur. Iam demonstratum est supra (*Arg. I et VII*) quod peccata dubia sunt, non iam materia libera (ut peccata venialia, bene vero materia necessaria sicut contritionis ita etiam confessionis, de iisque confitendis verum

praeceptum adest; unde, si forte de iisdem, propter impotentiam vel ignorantiam, confessio non peragatur, oportet ut contritio, cum voto (saltem implicito) confessionis, locum habeat.

118. Obiiciunt V. *Sicut in dubio de debito contracto, vel de voto emisso, vel de censura aut reservatione incursa, nulla adest obligatio, sive quia tunc melior est conditio possidentis suam libertatem (quae sicut aderat ante dubium ita propter solum dubium subsecutum non amittitur), sive quia in dubio odia sunt restringenda, sive denique quia non convenit ut obligatio excedat fines dubii, ut scilicet onus certum imponatur propter debitum incertum, et debitor dubius sicut debitor certus eidem oneri absque differentia subiiciatur: ita in dubio de peccato commisso, nulla (propter easdem rationes) obligatio subsistere potest.*

Respondetur. Non semper verum est quod dubia nullatenus ligent libertatem; non obstantibus enim rationibus et casibus expositis, obligant non solum saepe saepius ut cautelae adhibeantur, sed etiam aliquando ut stetur a parte tuta; quia nempe lex sive naturalis sive divina in quibusdam circumstantiis exigit, ut neque nosmetipsos neque proximum sive temporaliter sive spiritualiter periculis exponamus, sed tutiorem partem eligamus. Hoc autem accidit etiam in casu nostro; peccata enim mortalia dubia damnationis aeternae periculo nos exponunt, et Christus exigit ut in confessione accusentur. Non itaque verum est quod christifideles peccata dubia habentes suam libertatem possideant, sed subiiciuntur vinculo legis, quae est non iam dubia sed certa, unde effatum *in dubio odia sunt restringenda* in casu nihil valere potest; nec tamen ideo poenitentes obligantur ultra fines dubii et quin fiat differentia inter illos et alios qui peccata certa habent; peccata enim dubia non tamquam certa sed tamquam dubia accusari, atque adeo multo mitiori satisfactioni subiici debent.

119. Obiiciunt VI. *Agitur de lege dubia; est enim in contrarium auctoritas multorum theologorum, qui obligationem istam non adesse docent.*

Respondetur I. Ecclesia proponit semperque proposuit populo christiano legem istam non iam tamquam dubiam atque adeo nullam obligationem inducentem, bene vero tamquam certam et vere obligatoriam. Hoc autem nonne sufficere debet ut opposita theologorum doctrina tamquam erronea sit consideranda?

II. Pondus auctoritatis extrinsecae ultra pondus auctoritatis intrinsecae valere nequit, S. Lig. (*Praef. ad lect.*) dixit, rationes esse auctoritati praeponendas, et Ballerini (ad Gury *Vol. I n. 52*) subiunxit: « Eatenus Doctorum auctoritas vim habet, quatenus censeri possit aut debeat eos « ad aliquam sententiam tenendam permotos gravi quapiam ratione fuisse. Quo circa si forte deprehendas illos « debili aut etiam prorsus falso fundamento innixos aliquid

« asseruisse, eorum auctoritas nihil sane momenti assertis « addit ».

III. Iam demonstravi quod haec doctrina coepit introduci saeculo XVI, et tunc erat contra traditionem et praxim Ecclesiae, atque adeo contra certum praeceptum D. N. I. Christi. Sed, si talis erat saeculo XVI, iam (non obstante serie theologorum qui eidem subscripserunt) talis erit etiam nunc. Nunquid enim theologi praecepta Christi destruere possunt, aut intentio Christi fuit ut iuxta futura illorum placita, imo etiam contra persistentem Ecclesiae suae doctrinam, res huiusmodi mutationibus subiiceretur ?

120. Obiiciunt VII. *Nequit existere lex accusandi peccata dubia; esset enim inutilis, quum huiusmodi peccata remitti possint ope contritionis, atque etiam remittantur indirecte quando aliorum peccatorum absolutio obtinetur. Esset etiam lex nimis severa; scrupulos enim et angustias conscientiae gigneret, atque insuper (quum casus huiusmodi sit adeo frequens) intolerabile onus afferret, idque maxime sacerdotibus qui missam quotidie celebrare, et monialibus quae quotidie aut fere quotidie ad sacram mensam accedere debent.*

Respondetur. I. Quamvis peccata dubia etiam dictis modis remitti possent, tamen lex, quae ad illa confitenda obligat, nedum utilis sed necessaria remanet ob duas rationes. Prima est quia secus, quum (iuxta dicta *n. 89 III*) dubia, comprehensis illis quae ex hallucinatione et passione confingerentur, in praxi essent frequentissima, casus, in quo homines ad peccata accusanda se obligatos existimarent, fere ad nihil redigerentur. Secunda est quia peccatorum dubiorum accusatio maxime deservit, ut confessarii cognoscant tentationes, quibus poenitentes subiiciuntur et fortasse consenserunt, quibusque maxime oportet ut congruis remediis provideant.

II. Quum lex de accusandis peccatis dubiis excludat personas scrupulosas, et restringatur ad dubia rationabilia, seria et gravia; iam non multum timendum est quod scrupulos et conscientiae angustias gignere debeat.

III. Casus autem huiusmodi dubii rationabilis, serii et gravis, in sacerdotibus et monialibus minime scrupulosis non adeo frequens esse potest.

Praeterea (et hoc bene notetur) aliud est quod peccata dubia, ratione integritatis confessionis, sint accusanda; et aliud quod ipsa peccata dubia, ratione praeparationis ad missam vel communionem, obligent ad confessionem praemittendam; rationes enim quae vigent pro primo casu, non aeque vigent pro secundo. Vide etiam supra dicta (*Vol. IV n. 477*). Certe S. Lig. (*VI 475*) scripsit: « Praeceptum Tridentini praemittendae confes-« sionis (*Sess. XIII C.* VII) non obligat nisi eum qui est « sibi conscius mortalis; nequit autem dici conscius de « suo peccato qui de illo dubitat ». Subdit tamen, illo casu oportere ut communicaturus actum contritionis perfectae concipere procuret.

121. Obiiciunt VIII. *Consuetudo accusandi peccata dubia introducta fuit a christifidelibus sine intentione se obligandi; et poenitentes vel intendunt illa accusare sive ex consilio sive ad petendum consilium, vel, si putant ad hoc vere obligari, ex errore persuasionem istam conceperunt.*

Respondetur. I. Haec consuetudo minime fuit libere introducta a christifidelibus, et nihil commune habet cum illis consuetudinibus mere humanis, quae vim legis includunt vel non includunt secundum quod cum intentione se obligandi necne, populus aut aliqua societas illas invexerit; bene vero agitur de consuetudine, quae, independenter prorsus ab hominum voluntate, ex traditione Apostolica et lege divina (ita docente Ecclesia) ortum habuit.

II. Ecclesia autem docet semperque docuit, venialia quidem ex consilio, sed mortalia dubia (non secus ac certa) ex vera obligatione, ut eorundem (ad cautelam) obtineatur absolutio, esse accusanda. Supponi itaque nequit quod fideles sic edocti solum ex consilio vel ad petendum consilium illa accusare intendant.

III. Si fideles ex errore persuasionem obligationis istius concepissent, de errore ipso Ecclesiam (quae illos sic docuit) accusare deberemus, quod absit.

PROPOSITIO III.

Doctrina, quae distinguit inter peccata positive et negative dubia (Cf. n. 85), et restringit obligationem ad sola dubia negativa, subsistere non potest.

122. I. Rationes, quae supra (*Arg. I et VII*) adductae fuerunt ad probandum quod peccata dubia vere debent accusari, valent pro dubiis non solum negativis sed etiam positivis. Enimvero 1° de utrisque necessitatem habemus obtinendi veniam, quia damnationis aeternae periculum aequali modo inducunt. 2° Medium obtinendi veniam, ex praecepto D. N. I. Christi est semper idem, nempe confessio aut contritio cum voto (et proinde, suo tempore, cum obligatione) confessionis. 3° Peccata dubia accusari debere Ecclesia semper docuit indistinctim, et praedicta distinctio nec in catechismo romano, nec in catechismis dioecesanis reperitur, nec in instructionibus ad populum unquam indicatur. 4° Nulla ratio et nullum indicium suadet quod antiquissima et generalis christifidelium praxis accusandi peccata dubia hanc distinctionem subierit atque ad sola dubia negativa restricta fuerit. 5° Obligatio accusandi numerum dubium nullam pariter subit distinctionem. 6° Denique argumentum deductum ex decretis S. Sedis (*Arg. VI*) respicit casum dubii non iam negativi sed positivi.

II. Haec distinctio practice ad nihil vel fere nihil reducitur quia non est ad captum populi; practice enim quaenam sint dubia mere negativa, difficile percipitur.

III. Practice etiam res eo desinerent, ut, concessa libertate quoad dubia positiva, non obstante appositione obligationis quoad dubia negativa, iam nec illa nec ista accusarentur. Non illa, quia iam libertas concessa fuisset; non ista quia non distinguerentur, atque insuper poenitentes (etiam instructi) ad declinandum ruborem confessionis facile se ipsos illuderent, nimis levibus motivis credendo adesse rationem opinandi, ubi serio dubitandi tantummodo ratio est.

IV. Ex hoc autem, praeter aberrationem a veritate, quaenam malae consequentiae oriantur, vidimus supra (*n. 89 III*).

V. Sequeretur insuper quod doctrina de acccusandis peccatis dubiis, quae (ut taceam de theologis antiquis) ab Ecclesia populo christiano semper tradita fuit in forma indistincta et generali, deceptionem includeret.

VI. Notandum est quoque, esse non potuisse intentionem Christi quod regulae, quae minime essent ad captum populi, deservire deberent pro sacramento, quod, propter eiusdem usum adeo necessarium, universalem et frequentem, omnibus (etiam idiotis) debet esse accomodatum.

VII. Auctores qui hanc distinctionem introduxerunt, unicum adducebant argumentum, dicebant scilicet, peccata positive dubia non esse necessario accusanda, quia probabiliter opinari potest non fuisse commissa, aut non fuisse mortalia, aut fuisse confessa; opiniones autem probabiles, sicut in aliis materiis, ita etiam in ista sequi posse, et sufficere si leges adimpleantur adimpletione probabili. Verum est (subiungebant) quod hic agitur de probabilitate facti, sed probabilitas facti ex principio *Qui probabiliter agit prudenter agit,* probabilitatem quoque iuris (atque adeo certitudinem de honestate actionis vel de sufficienti legis adimplemento) inducit. Cf. Sanchez (*Dec. L. I. C. X. n. 76*), Lugo (*De Poen. XVI.* II *18*), Croix (*De Poen. VI.* II *600*) etc.

Sed haec argumentatio non recte procedit, magnamque fallaciam includit. Imprimis principium *Qui probabiliter agit prudenter agit,* ut rectissime dicit S. Lig. (Opusc. *Brev. dissert. dell' uso mod. dell' opin. probab.*), solum in se spectatum, est certe falsum; nunquid enim prudenter se gereret viator, qui, dum posset eligere viam tutam, eligeret illam in qua probabiliter adessent latrones, quamvis etiam probabiliter non adessent?

Maxime autem principium istud adhiberi nequit quando aliqua lex sive naturalis sive positiva exigat ut stetur a parte tuta. Hoc autem contingit in casu nostro, quandoquidem 1° probabilitas non aufert periculum damnationis aeternae quae certe clamat ut stetur a parte tuta. 2° Pro-

babilitas non potest supplere deficientiam medii, quod ex Christi praecepto ad peccati remissionem exigitur. 3° Lex quae exigit ut accusentur peccata dubia, hoc ipso exigit ut stetur a parte tuta; et lex huiusmodi, si peccata dubia non accusarentur, non iam probabiliter sed nullatenus adimpleretur.

Argumentum IX.

Deductum ex auctoritate plurium theologorum, qui post saeculum XVI scripserunt.

123. I. Plures ex illis quoque theologis, qui post saeculum XVI floruerunt, absolute et indistinctim docent quod peccata mortalia dubia sunt accusanda: vel (quod in idem recidit) excludunt solum scrupulos et dubia levia. Audiantur aliqui.

Roncaglia (*De Poen. q. III C.* II *q. 7*): « Vel aliquis dubitet an « peccatum mortale commisit, vel aliquis sciat se peccasse et dubitet an « mortaliter vel venialiter, tenetur huiusmodi peccata dubia in confessio- « ne manifestare ». Loquitur autem de casu in quo (ut ille ait) « poenitens « non habeat talia fundamenta ut prudenter deponere possit suum dubium « et credere vere non peccasse mortaliter ».

Mastrius (*De Poen. n. 171*): « De illis vero peccatis, de quibus poe- « nitens dubitat, utrum mortalia sint, vel utrum a se commissa fuerint, « communis doctorum sententia est et in praxi tenenda, poenitentem ad ea « sub dubio confitenda obligari ».

Ferraris (v. *Poenitentiae Sacr. n. 128*): « Peccata mortalia dubia « sunt necessario confitenda, sub dubio tamen...; alias poenitens se expo- « neret periculo errandi circa integritatem confessionis ».

Talento (*De Poen. n. 18*) « Quid dicendum de peccatis dubiis? R. « Si haec mortalia sint, vel dubitetur an sint mortalia vel venialia, an « confessa vel non, an admissa necne, materia sunt necessaria, quia haec « confiteri tenemur, ne periculo nos exponamus lethalia peccata in confes- « sione silendi ».

P. Cajetanus a Bergomo: « Il penitente è tenuto a dire tutto ciò che « è, o che può essere, peccato mortale ». (*L' Uom. Ap. al Confess. C.* « *XIII n. 19*).

Reiffenstuel (*De Poen. D. VII q.* III *n. 54. 55*): « In praxi commu- « niter tenendum quod peccata dubia sunt confitenda, sub dubio tamen...; « secus esse dicendum de inani scrupulo: item et de casu illo quo quis « probabiliter uni parti ob rationes graves determinate adhaeret, ut puta, « se non fecisse hoc peccatum, vel illud iam confessum esse, quamvis re- « maneat *aliqua* formido de opposito ».

Idem dicit Potestas (*n. 3042*).

II. Plures ex illis qui docent peccata dubia non esse accusanda, sententiam istam ita temperant, ut multum sententiae obliganti concedant.

A) S. Lig. (*VI 477*): « An teneatur quis confiteri aliquod peccatum « mortale certe commissum, in dubio an illud fuerit vel ne confessus? R. « Si dubium est negativum, equidem tenetur illud confiteri, ut communi- « ter docent... Si dubium est positivum, ita ut ille probabiliter credat « peccatum illud iam confessum fuisse, adest sententia non teneri ad illud « confitendum... Verum non valeo approbare hanc sententiam... cum obli- « gatio confessionis sit certa et satisfactio dubia ».

Prius autem, quoad dubitantem an peccatum commissum fuerit mortale vel veniale, dixerat (*n. 474*): « Hic utique tenetur diligentiam adhi- « bere ut dubium deponat, unde, cum nescit illud deponere, tenetur stare « iudicio confessarii, cuius est discernere inter lepram et lepram ». Sed quomodo poterit stare iudicio confessarii, nisi ei rem aliqua ratione manifestet ?

B) D' Annibale (*III 191*): « Quid si quis dubitet ; nempe 1° an pec- « catum admiserit ; an 2° confessus fuerit ; an 3° demum, grave fuerit an « leve ? Si primum, non cogitur confiteri, quia possidet libertas : contra « si alterum, quia possidet lex. Sin tertium, non poenitentis sed confes- « soris erit discernere inter lepram et lepram... Alias idem esset reus et « iudex ».

C) Coninch (*D. VII Dub.* VIII *n. 68*): « Si dubitetur an (peccatum) « fuerit veniale vel mortale, debet confiteri ».

D) Billuart docet, quod peccata dubia non essent accusanda solum quando pro peccato non commisso aut non mortali maior probabilitas subsisteret.

E) Scavini (*III 303*): « Non probamus illum qui aperte in catechesibus ac generatim vellet de hoc (scilicet de accusatione peccatorum « dubiorum) fideles deobligare ».

F) Gousset (*II 426*): « Quidquid sit de theoria, in praxi poenitentes « debent induci ad accusanda peccata dubia. Excipiendi scrupulosi et qui « timoratam habent conscientiam, quia in dubio an peccato consensum « praestiterint, praesumendum est non consensisse ».

Argumentum X.

Deductum ex oppositarum opinionum contradictionibus et confusione. Item deductum ex consectariis.

124. Quoad *contradictiones*, aliqui (v. g. Ballerini *Op. th. Trid. II n. 68*) dicunt, dubia negativa esse spernenda nihilque consideranda, et simul dicunt ita esse consideranda ut, (saltem in dubio de peccati confessione facta) omnino accusari debeant. Lugo aliique multi dicunt quod quidquid deferendum esset necessario ad tribunal Dei pro remissione obtinenda, deferri debet ad tribunal sacerdotis vicarii sui;

et postea dicunt peccata dubia ad tribunal quidem Dei, sed non (si sint positiva) ad tribunal sacerdotis esse deferenda.

Sunt insuper qui docent quod in dubio negativo, atque adeo quamvis nulla ratio positiva subsisteret pro peccato commisso, illud accusandum esset; simulque addunt quod non esset accusandum quamvis probabilius commissum fuisset, seu rationes validiores pro illo perpetrato subsisterent. Sic autem confessionem facere oporteret in periculo minori (imo in periculo tali quod aliqui dicunt nihil esse considerandum); et non in maiori. Adde contradictionem circa confessionem numeri dubii, de qua supra *n. 103*.

125. Quoad *confusionem;* contra doctrinam de accusandis necessario paccatis dubiis, adest non iam unica doctrina apud omnes uniformis, sed magna doctrinarum sibi invicem pugnantium confusio. Dempto enim dubio negativo circa peccatum dubie confessum (Cf. *n. 85* IV), ab obligatione confessionis alii excludunt dubia omnia (Cf. S. Lig. *VI 474*). Alii excludunt omnia dubia positiva, sed non negativa (Suarez, Lugo, Salmant. etc.). Alii e contra excludunt negativa, sed non positiva (1). Alii excludunt positiva sed non omnia; et inter istos accusanda esse dicunt alii peccata dubie confessa (vide supra *n. 123*), alii dubie mortalia alii probabilius mortalia. Alii denique obligationem excludunt in theoria et in praxi, et alii solum in theoria et non in praxi.

126. Denique quoad *consectaria;* si iam certum foret peccata dubia non esse accusanda, sequeretur 1° Prohibendam esse instructionem, quae nedum pueris, sed etiam populo christiano, iam inde a viginti saeculis datur. Reapse Ballerini (*Op. th. De Poen. n. 378*) dicit talem instructionem esse eliminandam. 2° Corrigendum esse quoque decretum S. Officii, quod *n. 104* allatum fuit. 3° Reticentiis innumeris ianua latissima aperiretur, prout iam dixi et explicavi supra *n. 89* III.

(1) Ita, praeter auctores citatos a S. Lig. *l. c. 473. 474*, sentire videtur etiam Coninch, qui (*De Sacram. VII.* VIII *Concl. I*) scripsit: « Ad « hoc ut peccatum tenear confiteri, oportet ut saltem probabiliter possim « iudicare me peccasse ».

CONCLUSIO

127. *Ex hucusque dictis estne concludendum quod doctrina de accusandis peccatis dubiis ab omnibus sub vera obligatione teneri debeat in praxi?* Negative, et repeto quod dixi supra *n. 85 in fin.;* quod scilicet, donec apud auctores et in scholis theoria est in contrarium, et haec obligatio a multis non recognoscitur, utique ordinarie sacerdotes doctrinae communi stare poterunt. Meus quippe scopus fuit ut scriptores et professores praedicta considerent, cum spe ut paullatim et veluti sponte sua theoria corrigatur, et cum praxi concordet.

Dissertatio II.

DE CIRCUMSTANTIIS AGGRAVANTIBUS.

128. I. **Adest obligatio certa** accusandi huiusmodi circumstantias 1° Si *de illis confessarius interroget,* eo quod earundem notitiâ indigeat ut muneri suo medici, doctoris et iudicis satisfacere possit; unde damnata fuit propositio quae dicebat: « Non tenemur confessario interroganti fa« teri alicuius peccati consuetudinem ». Idem dic si interrogatio circa aliquam circumstantiam aggravantem exigeretur ad cognoscendum an peccatum alicui censurae vel reservationi subiiciatur, ut puta, si reservaretur homicidium praemeditatum etc. 2° Si sint *aggravantes vel minuantes in infinitum;* quae scilicet, sive ex conscientia erronea sive aliis de causis, reddunt peccatum ex veniali mortale aut viceversa; unde catechismus romanus dicit: « Quaedam circumstantiae adeo graves sunt, ut peccati « mortiferi ratio ex illis solum constet; quare haec omnia « confiteri semper oportet ».

II. E contra **certe non adest obligatio** accusandi circumstantias *parum aggravantes:* dicente eodem catechismo: « Quae vero gravitatem rei magnopere non augent, « sine crimine omitti possunt ».

III. **Quaestio est** circa circumstantias *valde aggravantes, de quibus confessarius non interroget.*

Hodie communior sententia est, *non adesse obligationem* eas declarandi. Cf. S. Lig. (*VI 467*).

Sed *in contrarium sunt sequentia*, quae mihi magnam vim faciunt; et illa pariter expono solum ut (pro quibusdam apponendis exceptionibus) a theologis considerentur.

Imprimis *Catechismus Romanus* dicit: « Neque solum « peccata gravia narrando explicare oportet, verum etiam « illa quae unumquodque peccatum circumstant, et pra- « vitatem valde augent vel minuunt »; et adducit exemplum furti, inquiens: « Si quis aureum *nummum* furetur, « levius omnino peccat, quam qui *centum* vel *ducentos*, « vel *ingentem aliquam auri vim*.... abstulit ». Quibus verbis consonat S. Carolus Borromaeus (*Act. IV in instruct. Conf.*) inquiens: « Confessarius esse debet instru- « ctus, quaenam sint circumstantiae peccati mutantes spe- « ciem, quaenam notabiliter aggravantes. Quia tam istae « quam illae circumstantiae necessario explicandae sunt « in confessione ».

Hanc doctrinam docent *multae Synodi Dioecesanae*, plurimique theologi primi subsellii, unde Benedictus XIV (*De Syn. VI.* XI *1*) scripsit: « An sint etiam necessario « aperiendae (circumstantiae), quae intra eandem speciem « notabiliter aggravant peccatum, litigant quidem theologi; « sed catechismus S. Pii V, pluresque synodi episcopales, « etiam istas manifestandi gravem obligationem in poeni- « tente agnoscunt, quod etiam inter theologos docent « Suarez, Henriquez, Sanchez, Gonet, Salmanticenses, Ba- « ron. aliique ab his citati ».

129. Eadem autem doctrina traditur a *catechismis dioecesanis innumeris*. Exempli gratia cito aliquos.

« D. *Che cosa dobbiamo ancora ricercare nell'esame di coscienza?* « R. *Nell'esame di coscienza dobbiamo ricercare anche il numero dei « peccati mortali, e le circostanze che mutano la specie, o che notabil- « mente aggravano il peccato.* Ita in catechismo Dioecesis Tridentinae: « et notandum quod idem docetur *in omnibus Austriae Dioecesibus* ».

« D. *Est-on obligè de confesser le nombre et les circonstances de « ses péchés?* R. *Oui, on est obligé de confesser le nombre de ses péchés, « autant qu'on peut en souvenir, ainsi que les circonstances qui en chan- « gent l'espèce, ou en augmentent considèrablement la malice.* Ita in « catechismo *de Paris, de Langres, de Metz,* et plurium aliarum Dioe- « cesum *in Gallia.*

« D. *Qu'entendez-vous par confesser ses péchés en y ajoutant les*

« *circonstances?* R. *C'est declarer de quelle maniere on les a commis,* « *en exposant tout ce change l'espece, les aggravè ou les diminue nota-* « *blement.* Ita in catechismis *de Malines,* et *de Liege* etc., qui soli aut « fere soli *in toto Belgio* usuveniunt.

« D. *Quand' è che i peccati si confessano tutti?* R. *Si confessano* « *tutti quando si accusano 1° tutte le specie dei peccati commessi ; 2° il* « *numero delle volte che abbiamo peccato in ciascuna specie ; 3° le cir-* « *costanze che mutano la specie del peccato o che la aggravano nota-* « *bilmente nella medesima specie.* Ita in catechismo Mediolanensi, et « plurium aliarum *Italiae* Dioecesum, v. g. Taurini, Patavii, Casalis, Pla- « centiae, Capuae, Arcirealis etc. etc. ».

130. Quid igitur **concludendum?** Mea sententia est sequens.

I. Per se loquendo, adest obligatio circumstantias non solum speciem mutantes sed etiam valde aggravantes accusandi. Ratio est quia hoc sacramentum institutum est ad modum iudicii, idque suapte natura manifestationem quoque circumstantiarum valde aggravantium postulat, prout etiam in tribunalibus civilibus servatur.

Adde quod (ut observat Canus) circumstantiae huiusmodi aliquando sunt multo maioris momenti quam illae quae speciem mutant. Qui, v. g. capitalia ingentissima surripiendo, nobilem familiam in extremam ruinam coniecisset, nonne valde enormius peccasset, quam si furtum *sacrilegum* quinque francorum perpetrasset?

II. Dixi *per se loquendo ;* practice enim non ad omnes circumstantias solum (etsi valde) aggravantes haec obligatio extendi potest.

Agricola, v. g. se accusat de decem furtis contra dominum suum commissis. Circumstantiae notabiliter aggravantes innumerae et in quovis furto diversae esse possunt. Primum furtum, v. g. potuit esse pro valore viginti francorum; secundum notabiliter minus; tertium notabiliter maius etc. Unum furtum potuit esse valde, alterum minus et alterum nihil praemeditatum. Unum sine ulla necessitate, alterum notabili impellente causa perpetratum esse potuit etc.

Insuper peccata fere omnia, propter maiorem vel minorem continuationem, intensitatem, delectationem, cognitionem, libertatem etc., maiorem vel minorem malitiae gradum includunt.

Sic non sufficeret accusare peccata per species, sed unumquodque peccatum cum suis propriis circumstantiis specialissimis explicari deberet; quod stare non potest.

Declarationes huiusmodi enim facile quidem obtineri possunt in tribunalibus civilibus, in quibus de unico delicto agi solet, et tempus non deest; sed in tribunali poenitentiae sic fieri nequit; secus enim confessiones nimis prolixae, onerosae et taediosae evaderent; scrupulis insuper et conscientiae angustiis ita expositae atque tam saepe repetendae essent, ut tam poenitentibus quam confessariis odiosissimae atque intolerabiles fierent; et sic confessionis usus valde imminueretur, ne dicam quod fere ad nihil redigeretur. Sed nunquid hoc de intentione Christi esse potuit? Nequaquam. Quod itaque circumstantiae notabiliter aggravantes accusari debeant *omnes*, verum esse nequit, nec catechismus romanus nec catechismi dioecesani hoc sensu intelligi possunt.

III. Ex hoc tamen non sequitur quod principium de obligatione accusandi circumstantias istas nullam applicationem practicam habere valeat; non pauci enim *restant casus*, in quibus sine provocatione alicuius malae consequentiae obligatio practica subsistere potest: et proinde (ita exigente forma iudiciali huius sacramenti) vere subsistit. Casus autem huiusmodi (meo sensu) sunt sequentes.

131. **Casus I.** Si confessarius interroget, ut supra dixi (*n. 128*).

132. **Casus II.** Si confessarius (attenta confessione poenitentis, eiusque professione, conditione, officio, aliisque circumstantiis) ne in confuso quidem cogitare possit quod agatur de re, qualis revera fuit. Me explico. Agricola v. g. commisit novem ex consuetis furtis, furando triticum, uvam, ligna etc.; sed commisit etiam furtum ingentissimum furando domino suo mille scutata. Nunquid sufficienter se accusaret dicendo: *Furatus sum decies domino meo?* Item si quis scandalum dedisset una vice aliquo modo satis consueto, et alia typis edendo librum obscaenissimum: Nunquid sufficienter se accusaret dicendo: *Bis scandalum dedi?* Minime certe. Tunc enim confessarius ne in confuso quidem suspicaretur quod res sint prouti

sunt; unde etiam facile a quavis interrogatione abstineret. Sic autem efformaret iudicium valde diversum ab illo quod efformare deberet.

Aliunde circumstantiae huiusmodi rariores sunt nimiamque cuilibet impressionem faciunt et differentiam nimis sensibilem reddunt; et proinde lex de illis manifestandis confessiones nimis prolixas et taediosas minime redderet, scrupulos minime provocaret, et uno verbo malas consequentias supra indicatas minime produceret.

Adde quod poenitentes, circumstantias huiusmodi reticendo, nunquam tranquilli remanerent. Rectissime scripsit Suarez quod in praxi conscientia ipsa poenitentis dictabit quando, propter circumstantiam valde aggravantem et extraordinarium peccandi modum, se declarare debeat, quatenus secus (quamvis non esset scrupulosus) quietus non remaneret.

Hoc enimvero sensu catechismus romanus (Cf. *n. 128*) intelligi debet, ut patet ab exemplo quod allegat, dicendo non iam explicari debere an poenitens unum an vero duos aureos furatus fuerit; sed an furtum fuerit unius, vel potius centum aut biscentum aureorum.

133. **Casus III.** Si probabile quidem sit quod talis vel talis circumstantia sit mere aggravans, sed etiam probabiliter iudicari possit quod speciem mutet. Do exempla.

Non desunt theologi, etiam primi subsellii, qui dicunt, peccatum carnale commissum a religioso vel sacerdote non differre specie ab illo, quod commissum fuisset ab eo, qui simplici castitatis voto tenetur,; item incestum cum propria sorore non differre specie ab aliis; item incestum cum filia propria non differre specie ab incestu, qui cum privigna aut nuru aut filia concubinae propriae fuisset commissum; neque desunt qui censent incestus esse omnes eiusdem speciei, adeo ut peccatum commissum cum filia aut matre propria ab aliis specie non differat. Et idem dicunt de iniuriis, quae sive parentibus, sive fratribus sive aliis coniunctis infligantur. Vide Tamburini (*Decr. VII.* iv) aliosque citatos a S. Ligorio (*n. 470*) et Lugo (*XVI 312. 143*). Sed, supposita probabilitate huiusmodi sententiarum, dicendum esset quod, si circumstantiae istae non mutarent

speciem, certe essent adeo aggravantes, ut in confessione explicari deberent.

Lugo (*n. 120*) dicit quod confessarius tenetur de huiusmodi circumstantiis adeo enormibus interrogare, et quod, eo interrogante, poenitens veritatem patefacere debet. Sed quid si confessarius ex inadvertentia (sive quia earundem existentiam supponere nequeat, sive quia, de illis interrogando, poenitentem offendere vereretur) non interrogaret? Nunquid tunc poenitens quietus remanere poterit? Minime profecto.

Idem dic de casu, in quo probabile sit quod aliqua circumstantia non equidem speciem mutet, sed numerum adaugeat. Sic, v. g. multi censent, unicum committi peccatum ab eo, qui unico ictu plures homines occidit, atque in hoc casu adesse solum circumstantiam aggravantem; dum alii opinantur differentiam numericam intervenire. Sed, utcumque res se habeat, quis dixerit sufficere, si poenitens tunc se accusaret dicendo: *Occidi semel?*

134. *An qui induxit alium ad secum peccandum, explicare debeat se fuisse primum; an vero sufficiat si dicat: tale vel tale peccatum cum alio commisi?*

Lugo (*n. 142*) censet, hanc circumstantiam non esse explicandam, quia peccatum scandali aliquo modo est in utroque, quatenus ambo ad mutuam spiritualem ruinam concurrunt, quamvis culpa maior adsit certe a parte sollicitantis. Haec sententia mihi quoque (in casibus ordinariis) vera videtur, quia agitur de circumstantia non enormiter aggravante, et persona provocata facile se defendere et recusare potuisset, unde in simplici provocatione peccatum sub sola ratione scandali gravis non adfuisset; nunquid enim peccatum petens a meretrice illam graviter scandalizat? Dixi *in casibus ordinariis;* aliud enim esset si persona provocata adhuc innocens in malitiam et magnam ruinam sic coniecta fuisset, aut solum post magnam reluctantiam peccato consensisset. (Cf. *Vol. II n. 194*).

Attamen in praxi ordinarie non expedit interrogare quisnam fuerit primus (maxime si poenitens sit foemina aut puer); facillimum enim est quod mendaciter se fuisse primum statim deneget.

CAPUT III.

DE SATISFACTIONE SACRAMENTALI QUATENUS A POENITENTE ACCEPTARI ET ADIMPLERI DEBET.

N. B. De satisfactione, quatenus a confessario est imponenda agam infra, ubi de officiis confessarii. Hic itaque ago solum de illa quatenus ad poenitentem spectat.

135. ***An et sub qua culpa*** *satisfactio obliget?*

I. Poenitens *tenetur acceptare* satisfactionem seu poenitentiam a confessario impositam, si velit in illa confessione absolvi; aut si absolutionem iam obtinuerit; aut si, urgente praecepto sacramentum recipiendi, alium confessarium adire nequeat.

Poterit tamen semper rogare confessarium ut aliam poenitentiam minus gravem aut minus incommodam ei imponat.

Poterit etiam poenitentiam (intellige si gravior ei videatur) recusare, simulque inabsolutus discedere.

II. Poenitentia debet *adimpleri;* et considerari potest ut praeceptum confessarii, et ut pars sacramenti.

Quatenus est praeceptum confessarii, obligat *sub gravi si sit in se gravis* simulque data fuerit pro peccatis mortalibus alias non absolutis (nisi forte confessarius expresse dixerit quod eius omissio culpa gravis non erit); obligat vero *sub levi* si sit in se levis, vel data fuerit pro venialibus aut pro mortalibus alias confessis.

Quatenus autem est pars sacramenti, eius omissio non reputatur gravis; quia de parte non substantiali sed integrali dumtaxat agitur. (Suarez *XXXVIII.* VII).

Si agatur de poenitentia sub gravi adimplenda, peccatum mortale contingere potest non solum si totaliter, sed etiam si *solum partialiter omittatur;* si nempe pars aut circumstantia omissa gravitatem praeseferat; aut si, propter talem omissionem, poenitentia quae perageretur levis evaderet. Exemplum habes in psalmo *Miserere,* qui extensis brachiis recitari debeat. Haec circumstantia sub gravi servanda esset; non item si poenitentia fuisset de recitando integro rosario ante talem vel talem imaginem vel etiam (ut ait Gury *n. 534*) flexis genibus.

136. *Poenitentia* ***quandonam*** *adimpleri debet? Et quid si adimpleretur* ***in statu peccati?***

Si tempus *non fuerit designatum*, adimpleri debet *quamprimum*. Dilatio longa ex gravi negligentia potest esse mortalis.

Sed quando dilatio erit adeo longa ut peccatum mortale constituat? Theologi variant inter hebdomadam et annum. Hoc itaque vix potest determinari; et in praxi considerandae sunt circumstantiae, et speciatim an poenitentia sit nedum gravis, sed hic et nunc necessaria ad medelam poenitentis, vel an adsit periculum ne ex oblivione aut alia causa nunquam adimpleatur.

Si autem confessarius poenitentiae adimplendae *tempus designaverit*, tunc eius praescriptioni standum erit.

Ex fine autem huius praescriptionis arguendum erit, utrum talis vel talis dilatio ultra tempus assignatum, vel etiam sola huius temporis inobservantia (intellige si nulla legitima causa intercedat) culpam gravem constituat.

Caeterum temporis vel diei designatio non apponitur ad finiendam obligationem; unde, si forte poenitens tunc obligationi suae non satisfecisset, deberet satisfacere postea. Suarez (*l. c.*).

137. Quamvis expediat et magnopere inculcandum sit ut poenitentes adimpleant poenitentiam *dum adhuc sunt in statu gratiae* (hoc enim exigitur ut ipso facto effectum producat, ut notat catechismus rom.); non tamen peccant si in peccatum iam lapsi illam exequantur. Quod enim adimplere poenitentiam in statu peccati vetitum sit, ex nulla lege patet.

Si huiusmodi lex adesset, populo christiano (quum agatur de re adeo practica) annuntiata fuisset; quod nunquam factum fuit; et aliunde qui ex poenitentia debet quotidie per annum recitare rosarium, nunquid, commisso peccato, debebit statim confiteri, ut rosarium sine culpa recitare posset? Haec profecto inaudita sunt.

Ratio autem est quia praeceptum confessarii obligat quidem ad opus implendum, sed non ad implendum illud in statu gratiae; neque obstat quod finis praecepti non totaliter obtineretur, quandoquidem finis praecepti non cadit sub praecepto.

Dices: hic agitur de parte sacramenti, quae invalida aut saltem inutilis redderetur. Sed iuxta doctrinam Scoti, satisfactio non est pars sacramenti; et, si etiam esset pars sacramenti, dici posset quod posita in mortali, erit quidem informis, sed valida; et, sublato obice, effectum suum productura erit; idque esset sternere viam ut postea sacramentum, etiam quoad hanc partem, effectum suum (scilicet remissionem poenarum purgatorii) producat; quod profecto malum esse nequit. (Cf. Lugo *XXV.* III).

Attamen plures contra sentiunt (Cf. Diana *I.* VI *38*).

138. *Exigiturne ut opus iniunctum* ***ex intentione poenitentiam adimplendi ponatur?***

Negat Lugo (*l. c.*); sed haec opinio, est contra sensum communem christifidelium, et irrationabilis prorsus mihi videtur.

Reapse, ut opus quod peragitur possit esse satisfactio sacramentalis (quae scilicet ex opere operato et vi sacramenti effectum suum producere apta sit). oportet omnino, ut ab aliis operibus similibus quidem, sed cum sacramento nihil commune habentibus, distinguatur. At vero haec distinctio non obtinebitur nisi vi intentionis.

Obiiciunt: Intentio efformatur a confessario, qui, v. g. assignando rosarium pro poenitentia, intendit ut primum rosarium, quod a poenitente recitabitur, valeat pro satisfactione. Sed undenam constat quod confessarii hanc intentionem efforment? Aliunde si ita res se haberet, tunc confessarius prohiberet ne aliquod rosarium prius recitaretur ex devotione, v. g. in communi cum familia, aut ex regula confraternitatis, aut pro defunctis, benefactoribus etc., et vellet ut aliud rosarium, si postea diceretur, pro poenitentia applicari non posset. Porro haec sunt omnino inverisimilia. Dicendum potius quod confessarius arbitrio poenitentis relinquit ut determinet, quando ex sola devotione, et quando ad satisfaciendum oneri poenitentiae iniunctae, tale vel tale opus ponere velit.

Nec est simile quod satisfit praecepto missae die festo, quamvis intentio adimplendi praeceptum non habeatur; tunc enim non agitur de re elevanda per intentionem ad vim sacramentalem; atque insuper sequeretur quod poenitentia valeret, quamvis poenitens explicite efformasset intentionem non satisfaciendi poenitentiae; quae conclusio a pluribus quoque ex adversariis (Cf. Gury *Cas. II 520*) negatur. Mecum sentiunt theologi non pauci, ut videre est apud Croix (*VI.* II *1286*).

139. *An poenitentia adimplenda sit* ***iuxta mentem confessarii?***

Affirmative; et proinde I. Adimpleri debet personaliter, ut patet ex propositione damnata ab Alex. VII, quae dicebat: « Poenitens propria auctoritate substituere sibi « alium potest, qui loco ipsius poenitentiam adimpleat ». Excipe nisi confessarius aliud expresse declaraverit (ut patet ex catech. romano); aut nisi agatur de eleemosyna quae etiam manu alterius (v. g. famuli) dari potest.

II. Adimpleri debet ordinarie per opus liberum, non vero per opus quod sub alia obligatione cadat. Confessarius, v. g. imposuit ieiunium vel auditionem missae. Tunc poenitens non satisfaceret ieiunando vel missam audiendo quando sive per legem Ecclesiae, sive ex voto, sive propter aliam poenitentiam sacramentalem, ad haec teneretur. Excipe hic quoque nisi confessarius aliud expresse declarasset, aut nisi ex rationabili eius mentis interpretatione

intelligi deberet, quod opus ex alio capite debitum suffi-ceret. Confessarius, v. g. imposuit quotidianam missae auditionem, aut confessionem mensilem: tunc diebus festis non oporteret ut duae missae audirentur; et mense, in quo Pascha incidit, non esset opus ut poenitens bis ad confessionem accederet.

Sed quid si poenitens in perpetuum ad ieiunium in singulis sabbatis vel ad confessionem mensilem ex voto teneretur, et pro poenitentia per annum ad idem ieiunium praecise vel ad eandem confessionem mensilem, obligatus fuisset? R. Debuisset de circumstantia ista confessarium admonere; sed, hoc non facto, intentio confessarii fuisse videtur, quod nec ieiunio vel confessione dicta satisfaciat, nec ad ieiunandum bis in hebdomada vel ad confitendum bis in mense teneatur; unde reliquum erit ut commutationem in sequenti confessione petere debeat.

III. Preces pro poenitentia impositae recitari possunt etiam dum auditur missa de praecepto, aut (si agatur de psalmis, rosario, litaniis etc.) etiam alternatim cum aliis sive privatim, sive in Ecclesia. (Gury *534. 4*).

Si duae missae audiendae essent, hae non simultanee sed diverso tempore audiri deberent.

Si confessarius missae auditionem et visitationem ecclesiae imposuisset, haec duo opera seorsim adimplendae forent. (Gury *Cas. 532*).

Imposito *Pater noster* sic et simpliciter, non oporteret ut simul *Ave* et *Gloria* recitarentur; et litaniae absque *Oremus* dici possent.

140. *Quid si confessio fuisset invalida, aut si absolutio data non fuisset?*

Si confessio fuerit sacrilega aut invalida, tunc non adest obligatio adimplendi poenitentiam. Idem dic si poenitens sine absolutione dimissus fuisset, nisi forte redire iussus interim poenitentiam adimplere acceptasset.

141. *Quid de poenitentiae* ***commutatione?***

Poenitentia commutari potest, sed non a poenitente ipso, qui nullam habet auctoritatem elevandi quidquam ad meritum sacramentale.

Scavini (*n. 320 not. 2*) probabile putat quod, si confessio fuerit de solis venialibus, poenitens oblitus poenitentiae posset aliquam orationem pro libitu suo recitare, quae pro poenitentia valeret. Sed non video quo solido fundamento sic dici possit.

Commutatio fieri potest a confessario: neque opus est ut confessio iteretur, quamvis alius adeatur confessarius;

iudicium enim de poenitentia commutanda non solum ex peccatorum cognitione, sed etiam ex notitia poenitentiae prius impositae et consideratione motivorum quae a poenitente ipso adducuntur, recte efformari potest; commutando nempe illam in aliam aequivalentem aut magis salutarem. (S. Lig. *n. 529*).

Commutatio valet quamvis longum tempus a confessione facta intercesserit.

Attamen, quum ad iudicium sacramentale spectet, *actu confessionis* fieri debet, nisi forte ab eo ipso confessario peragatur qui illam imposuit, quo casu Lugo (*XXV 112*) censet quod etiam extra confessionem commutatio fieri valeat; quum enim (ait) dictus confessarius sententiam sacramentalem iam tulerit, commutationis petitio sufficere videtur, ut denuo iudex constituatur et sententiam suam reformare possit, quin poenitens novum sacramentum recipere intendat.

Si poenitentia propter peccata reservata a superiore data fuisset, tunc poenitentem ad superiorem ipsum pro commutatione accedere debere (quatenus solvi non possunt ab inferiore ea quae a superiore ligata fuerunt; et reservatorum iudicium circa primam absolutionem et poenitentiam ad superiorem spectat) sentit S. Lig. (*n. 529*) contra alios; quorum etiam sententia probabilis mihi videtur (tunc enim poenitens onus reservationis satis sustinuit). Posse autem simplicem confessarium poenitentiam commutare sentit etiam S. Ligorius si causa urgeret et superior adiri nequiret; tunc enim ad hanc commutationem faciendam Ecclesia iurisdictionem suppleret, prout omnino credendum est.

142. *Quid de eo qui* ***oblitus est quaenam poenitentia ei fuerit imposita?***

Tenetur (iuxta omnes) interrogare confessarium, si facile possit, et praesumere debeat quod de illa reminiscatur, prout contingeret si adhuc ab eius pedibus non discessisset. Et idem dicendum est si, finita confessione et habita iam absolutione, poenitens adverteret quod confessarius poenitentiam ei dare oblitus fuisset.

Sed quid si poenitens non possit redire ad eundem confessarium, aut praesumere nequeat quod de poenitentia iniuncta reminiscatur? R. Sententia hodie communior est quod ad nihil teneatur; quia ex una parte poenitentiae impositae executio evasisset impossibilis, et ex alia commutationis petitio sub obligatione cadere nequit; quando-

quidem sacramentum iam per solam acceptationem poenitentiae integrum evasit; et, si forte (ut alii volunt) integrum non evasisset, nova poenitentia illud integrare nequiret, aut saltem ad illud integrandum oporteret ut poenitens denuo peccata iam absoluta confiteretur, quod nimium incommodum esset. Haec est (inquam) sententia hodie communior; sed in contrarium sunt sequentia.

Bonacina (*III.* III *9*), citans S. Antoninum aliosque, docet commutationem esse petendam; idque verum mihi videtur, dummodo sat facile fieri possit. Ratio est quia non solum acceptatio sed etiam executio poenitentiae ad sacramenti integritatem pertinet, quandoquidem (ex Christi institutione) qui sacramentalem absolutionem obtinere vult aut iam obtinuit, tam iuxta Thomistas quam iuxta Scotistas, ad satisfactionem praestandam tenetur. Ex eo autem quod poenitens satisfactionis impositae oblitus fuerit, aut confessarius ex inadvertentia illam non imposuerit, deduci nequit quod satisfactio ipsa impossibilis evaserit, quum nova poenitentia imponi possit; neque verum est quod haec nova poenitentia ad antecedens iudicium referri nequeat, ut patet ex aliis commutationibus. Ratio autem deducta ab incommodo, cui poenitens subiiceretur, excepto aliquo casu raro, nihil valet. Si v. g. confessio praecedens fuisset de solis venialibus, aut si poenitens rediret ad eundem confessarium, qui statum eius conscientiae iam cognosceret, aut si confessio sequens esset circiter ut praecedens; tunc quid incommodi esset? Adde quod christifideles, sive obliti fuerint poenitentiae impositae, sive illam propter aliquam circumstantiam (quae supervenerit) adimplere nequeant, credunt se debere novam poenitentiam in sequenti confessione petere.

His omnibus consideratis, existimo, in praxi dandam esse decisionem pro obligatione, et confessarios debere commmutationem concedere, quando poenitentes in huiusmodi casibus illam petant neque incommodam confessionis repetitionem subire debeant. Idque speciatim si non omnino obliti fuissent, sed solum non reminiscerentur, an, v. g. rosarii recitatio an vero missae auditio pro poenitentia imposita fuisset; maxime autem obligatio subsisteret si ex propria poenitentis negligentia et nimia procrastinatione oblivio accidisset.

Sectio III.

DE SACRAMENTI POENITENTIAE MINISTRO.

Agendum est de ministro 1° ante confessionem; 2° actu confessionis; 3° post confessionem.

CAPUT I.

DE MINISTRO ANTE CONFESSIONEM.

Hic agendum est 1° De iurisdictione. 2° De scientia necessaria. 3° De quibusdam aliis ante confessionum auditionem praestandis vel evitandis.

ARTICULUS I.

De iurisdictione.

143. ***Quid** et **quotuplex** est iurisdictio?*

Est designatio subditorum cum facultate audiendi eorundem confessiones.

Communiter distinguitur inter *ordinariam* et *delegatam;* sed adest etiam alia iurisdictio, quae provenit *ex dispositione iuris, vel consuetudine, vel privilegio.* Ut plurimum *pro valido simul et licito,* sed interdum *pro solo valido* deservit.

Quia autem *pro Religiosis* et *pro Monialibus* specialis delegatio exigitur; insuper quaedam peccata superioribus *reservantur;* et *quoad complicem* iurisdictio aufertur; ideo de his punctis quoque agendum est.

PUNCTUM I.

De iurisdictione ordinaria.

144. ***Quaenam est** iurisdictio ordinaria, et quid notandum circa illam?*

Est quae provenit ex officio, nempe simul cum collatione officii implicite confertur.

Subiicitur reservationibus superioris maioris.

Exerceri potest in subditos, etiam (ad differentiam iurisdictionis delegatae) extra territorium.

145. ***Quinam ex officio*** *huiusmodi ordinariam iurisdictionem habent?*

I. *Summus Pontifex,* statim post suam electionem, universalissima et absoluta iurisdictione gaudet quoad christianos omnes.

II. Iurisdictio *Card. Poenitentiarii Maioris* latissime patet; sed, vivente Pontifice, quibusdam limitationibus (v. g. quoad Cardinales, Episcopos et Principes) subiicitur; ut videre est in Bulla *Pastor bonus* Benedicti XIV. Idem dic de Legatis *a latere,* seu Nuntiis Apostolicis, sive in residentia sive in itinere sint (dummodo extra Urbem).

III. *Episcopus,* dummodo sit non solum electus sed etiam confirmatus (Cf. Ferraris v. *Episcopus II n. 10. 36*) atque possessionem realem sedis suae caeperit (Ferraris v. *Vicarius Capitularis I 56*), quamvis adhuc non fuisset consecratus (Cf. Sporer *n. 687*), iurisdictione gaudet quoad omnes dioecesanos suos.

IV. *Vicarius Capitularis* sede vacante.

V. *Vicarius Generalis* Episcopi, eadem qua Episcopus ipse (cum quo unum tribunal efformat) iurisdictione potitur; idque (ut contra alios docet Bertagna *II.* I) etiam quoad peccata ab Episcopo reservata, nisi Episcopus ipse expresse aliud disposuerit.

VI. *Canonicus Poenitentiarius cathedralis* est quasi parochus totius dioecesis, ut ait Benedictus XIV (*De Syn. III.* IV *3*); et proinde ex officio suo (non vero ex delegatione Episcopi) confessiones dioecesanorum tam intra quam extra dioecesim valide excipit.

Eius tamen facultas (sicut facultas parochorum) ad casus Episcopo reservatos non extenditur. S. C. C. apud Bened. XIV (*l. c. V.* VI *8*).

VII. *Parochus,* post canonicam institutionem et captam possessionem, vi officii sui, tam intra quam extra paroeciam et dioecesim, parochianos suos absolvere potest.

Idem dic de *oeconomo spirituali;* de *coadiutore* cum iure successionis aut deputato ab Episcopo; de *suc-*

cursalistis in Gallia; et de *curatis* qui pro capitulo vel monasterio aliove parocho habituali, actualem curam animarum habent. Cf. Sporer (*n. 688*) et Gury (*n. 555 q. 14*).

Si tamen parochus vehementem praeberet imperitiae suspicionem; tunc Episcopus, etiam extra visitationem et sine probationibus iudicialibus, illum ad examen vocare posset. Ita S. C. C. apud Lambertini (*Notif. IX 16*).

VIII. *Praelati ordinum religiosorum* pariter vi officii sui iurisdictione gaudent quoad suos subditos, sive professos, sive novitios, sive familiares; idque quamvis casu extra monasterium degerent. (D'Annib. *II 304*).

IX. *Capellani hospitalium* aliorumque locorum piorum a parochi iurisdictione exemptorum, regulariter, simul cum hoc officio, iurisdictionem ad audiendas confessioues accipiunt.

Dixi *regulariter*; in praxi enim spectanda esset consuetudo.

PUNCTUM II.

De iurisdictione, quae ex dispositione iuris, vel consuetudine, vel privilegio provenit.

146. *Quibus in casibus intervenit iurisdictio* ***ex dispositione iuris vel consuetudine?***

Casus I. *In periculo mortis.* Quilibet nempe sacerdos (etsi foret excommunicatus vitandus) valide absolvit constitutos in articulo seu periculo mortis vicinae. Idque probabiliter (ex Trid. *XIV.* v, quod loquitur absolute) praesente quoque approbato, et tam a peccatis quam a censuris quibuslibet. Imo hodie res ista est certa ex Decreto S. C. S. O. apud *Monit.* (*VIII.* I *177*).

Attamen, praesente approbato qui commode advocari possit, confessionis auditio licita non esset. Ad constituendum autem periculum mortis, sufficit « quod adsit prudens « timor mortis in illo periculo obventurae », seu « pro« babile dubium de vitae conservatione, casu quo valde « frequenter mors solet accidere ». S. Lig. (*De Poen. 561 et Euch. 239*).

147. **Casus II.** *Interveniente errore communi cum titulo colorato?*

Quid sit *error communis*, et quomodo distinguatur a privato, per se patet. Noto solum, errorem debere esse communem hic et nunc, nec sufficere si olim extitisset aut nunc alibi extaret; non tamen oportere ut multi ad putativum confessarium reapse accesserint.

Sed quid est *titulus coloratus?* Titulus est causa, ex qua provenit aut provenire censetur iurisdictio, v. g. officium parochi vel delegatio Episcopi. Si paroecia vel delegatio valide data fuisset, tunc titulus esset *verus;* si nullo modo data fuisset aut modo *manifeste* invalido (ut puta, ri paroecia sine institutione canonica, aut non facto concursu et non servata forma Tridentini, obtenta fuisset), et nihilominus populus ex ignorantia existimaret iurisdictionem subsistere, tunc titulus diceretur *putativus* (qui cum simplici errore communi confunditur): denique si data quidem fuisset a superiore cum figura validitatis, sed de facto invalide, *ob vitium occultum;* tunc constitueretur ille titulus *coloratus*, de quo hic loquimur; atque contingeret, v. g. si paroecia simoniace obtenta fuisset, aut si Episcopus ipse simoniace episcopalem sedem occupasset. Cf. D'Annibale (*I 77*) et Gury (*548 not. a*). Stante itaque errore communi cum titulo colorato, iam sine ullo dubio absolutiones *validae* erunt, ut ex textu iuris canonici manifestissime patet; idque quamvis confessarius (imo et poenitens) tituli invaliditatem cognosceret, quia iurisdictio, non singulorum sed publicae utilitatis causa (ne scilicet tot actus invalidi sint) suppletur. Sanchez (*De Matr. III.* XXII *52. 56-59*), Lessius (*II.* XXIX *65 et seqq.*) et D' Annibale (*l. c. not. 76*).

Sed *quid de licito?* Huiusmodi actus essent certe illiciti. Si tamen ex una parte fideles sacramenta peterent, et ex alia nec renuntiatione nec sanatione provideri posset, tunc pro interim absolutiones licitae forent. Cf. Lugo (*De Contract. XXXVII 26-28*).

148. Interveniente autem *solo errore communi sine titulo colorato* (ut puta, si sacerdos in publica ecclesia audiret coram populo confessiones in dioecesi, ubi nun-

quam ad illas audiendas approbatus fuisset), verius est absolutiones non esse validas. Pro validitate enim nec ullam legem habemus, nec consensum theologorum; quamvis enim non desint theologi qui id concedunt, alii multi contradicunt, iisque Sacrarum Congregationum decreta favent, ut videre est v. g. apud Lambertini (*Notif. 84*) et Lehmkuhl (*II 589*).

149. Certissimum est autem 1° quod solus error privatus aut paucorum nihil suffragatur; 2° quod error communis sine titulo colorato, si (iuxta plures, ut modo dicebam) pro valido suffragetur, certe non ita esset quoad licitum, saltem ordinarie, ut statim explico.

150. Quid si confessarius reminisceretur facultatem sibi expirasse, dum turba poenitentium (v. g. occasione magnae solemnitatis) affluerent? Possetne tunc licite confessiones audire? Sunt qui dicunt tunc adesse nedum errorem communem sed etiam titulum coloratum, quia iurisdictio vere fuisset data, et expirasset quidem sed occulte (Cf. Baller. ad Gury *n. 548*). Quamvis autem adesset solum error communis, non est certum prorsus quod Ecclesia tunc non suppleat; etsi (ut dixi) verius sit oppositum. Sic autem, stante dubio, dicendum est quod in casu necessitatis confessiones audiri possent (nempe concipiendo conditionem *si possum*), ut admittit etiam S. Ligorius (*n. 571*). Casus autem necessitatis tunc bene verificari videretur; si nempe absque infamia, scandalo, et magno damno populi confessionum auditio declinari nequiret. Quid enim si die paschatis in paroecia rurali valde populosa, dum ingentissima poenitentium multitudo ad paroeciam advenit, parochus esset infirmus et sacerdos ad supplendum advocatus tunc reminisceretur facultatem sibi expirasse, nec alios sacerdotes advocare, nec ad Episcopum recurrere possibile esset? Cautela tamen aut monitio in casibus gravioribus (ne sequatur damnum animarum) exigeretur.

151. **Casus III.** Etiam *in opinionum probabilitate* circa legis interpretationem (si nempe probabile foret v. g. quod tale vel tale peccatum non esset reservatum) dummodo opinio gravi fulcita sit ratione et auctoritate, iurisdictionem sup-

plet Ecclesia; et quidem ita ut absolutiones non solum validae, sed etiam (secus ac in casu, tituli colorati et erroris communis, ut supra) licitae sint. Ita docent theologi communissime. Quia autem Ecclesia id scit et tacet, delegatio tacita iam adesset.

Quod tamen dicitur de opinionum probabilitate, extendi non potest neque ad probabilitatem a confessario erronee existimatam (dum scilicet sacerdos credat extare probabilitatem quae non extat, ut docet Lugo *XXII.* II *44*), neque ad probabilitatem vel falsam persuasionem facti (dum scilicet sacerdos erronee existimaret se fuisse approbatum, dum approbatus non fuit).

152. **Casus IV.** *Consuetudo.* Nempe 1° Parochus, eo ipso quod beneficium parochiale obtinuit, etsi ex officio subditos dumtaxat absolvere posset, tamen, ex consuetudine iam fere ubique recepta, potest in universa Dioecesi confessiones audire. 2° Quamvis iurisdictio ordinaria per se (nempe vi officii) exerceri nequeat nisi in subditos, et quamvis superior per se quoad subditos dumtaxat iurisdictionem delegare possit; nihilominus quotquot habent facultatem sive ordinariam sive delegatam audiendi confessiones in aliqua dioecesi, possunt non solum dioecesanos sed etiam extradioecesanos (non tamen Regulares a propriis praelatis licentiam non habentes) absolvere. Nihil dico de haereticis et schismaticis ex secta, qui (quamvis essent haeretici mere materiales et in bona fide) in confessione audiri et absolvi non possent. Decr. S. O. *20 Iul. 1898* apud *Monitore Vol. X.* II *pag. 145.*

153. **Casus V.** *Privilegia*, quae vigent pro Regularibus et Episcopis itinerantibus. Haec tamen privilegia recto sensu intelligi debent.

Enimvero Regulares (qui in monasterio ordinarie nequeunt confiteri nisi apud designatos sui ordinis sacerdotes), si de licentia suorum superiorum iter faciant, nec habeant copiam confessarii sui ordinis, possunt confiteri apud extraneum (ut dixi *Vol. IV n. 698*). Multi authumant sufficere simplicem sacerdotem; sed haec doctrina est contra declarationes S. Sedis (quae exigunt ut sit ab

Episcopo loci ad confessiones approbatus) et proinde sequi non potest. Cf. Piat (*Vol. I P.* IV *C.* I *q. 12*).

Episcopi autem (extra dioecesim) possunt eligere sibi pro confessario sacerdotem non approbatum in dioecesibus per quas transeunt; sed oportet ut idem sacerdos vel sit subditus Episcopi ipsius, vel parochus, vel approbatus ab Episcopo sui domicilii. Cf. S. Lig. (*n. 575*), Gury (*II 174. 4 not. 4*) et Decret. S. Poenit. (*18 Aprilis 1867 n. VII*) apud *Monitore* (*I pag. 302*).

154. **Casus VI.** *In navigatione.* Adest decretum S. C. S. O. (*4 Apr. 1900* apud *Monitore Vol. XII. pag. 103*) sequentis tenoris: « Sacerdotes quoscumque transmarinum « iter arripientes, dummodo a proprio Ordinario confessio- « nes excipiendi facultatem habeant, posse in navi, toto « itinere durante, fidelium secum navigantium confessiones « excipere, quamvis forte inter ipsum iter, transeundum « vel etiam aliquando consistendum sit diversis in locis « diversorum Ordinariorum iurisdictioni subiectis ».

155. *Quid de* ***capellanis militum?***

Theologi passim dicunt quod in stationibus quidem et praesidiis, episcopali delegatione indigent; sed, dum sunt in itinere vel in castris, quoad propriam cohortem, iurisdictione ordinaria pollent. Sed haec non est regula tuta. Videndum an ordine hyerarchico sub proprio Capellano Maiori constituti sint ex indulto Apostolico, et sub qualibus conditionibus. Deficiente tali constitutione, nihil in iure determinatur, et proinde a locorum Episcopis delegari debent, sive in stationibus sint, sive in itinere, sive in castris; et solum imminente praelio (propter mortis periculum) absolutionem sine speciali delegatione concedere possunt. Berengo (*n. 41*).

156. *Quid de facultate absolvendi* ***a solis venialibus?***

Quemlibet sacerdotem absolvere valide a solis venialibus dicunt plurimi (Cf. S. Lig. *n. 543*); sed hanc absolutionem esse saltem gravissime illicitam, constat ex Decreto Innocentii XI (apud Reuter *Neo-Confess.*) *die 12 Februarii 1679*).

Attamen esse licitam *in casibus magnae necessitatis*,

etiam extra articulum mortis presse sumptum, v. g. si poenitens secus cogeretur per multos annos absque absolutione et in peccato mortali (a quo saltem indirecte absolveretur) remanere, dicunt theologi primi subselli, inter quos Palao (*Tr. XXIII Disp. unic. p. XV § VII n. 7*). Dixi *saltem indirecte*, quandoquidem tempus valde diuturnum aequiparari potest periculo mortis, in quo directe quoque absolutio dari valet.

157. *Quid de* ***sacerdotibus Graecis?***

Hi (si habent licentiam celebrandi missam), absque ulla speciali facultate, non solum a venialibus sed etiam a mortalibus valide et licite absolvere possunt.

Verricelli (apud Gury *538 not. b*) censet, idem esse dicendum de sacerdotibus Latinis apud Graecos peregrinantibus, dummodo illuc facultatem celebrandi missam habeant. Sed haec illatio mihi legitima non videtur, nisi consuetudo saperaddatur.

PUNCTUM III.

De iurisdictione delegata.

158. ***Approbatio et delegatio*** *suntne unum et idem?*

Approbatio et iurisdictionis delegatio in communi loquendi modo confunduntur, sed non sunt unum et idem. Approbatio est iudicium Episcopi quo talis vel talis sacerdos reputatur idoneus ad audiendas confessiones; iurisdictionis delegatio autem est actus voluntatis, quo Episcopus vel alius superior sacerdoti effectivam subditorum suorum confessiones audiendi facultatem concedit. In praxi quando Episcopus approbat, iurisdictionem quoque delegat, et haec est ratio propter quam haec duo confunduntur.

Reapse tamen dari possunt casus, in quibus sacerdos approbationem ab uno et iurisdictionem ab alio superiore habeat; ut puta, quando Praelatus Regularis concedit religioso subdito, ut confiteri possit apud sacerdotem saecularem ab Ordinario loci approbatum; quo casu hic sacerdos approbationem quidem a proprio Episcopo, iurisdictionem vero (quoad illum religiosum) a Praelato Regulari haberet.

Vide etiam Lugo (*XXI 4*) et Bertagna (*I.* IV *§ 4* v. *Moniales*).

159. ***Quinam et quomodo*** *delegationem istam dare possunt?*

Qui habent facultatem ordinariam (seu ex officio) audiendi confessiones, illam delegare possunt; sed quoad parochos haec facultas in praxi fere nullius momenti est, tum quia non possunt delegare nisi quem Episcopus prius approbaverit, tum quia Episcopus ipse simul cum approbatione iurisdictionem quoque dare solet, ita tamen ut ordinarie non intendat concedere ut quis *licite*, irrequisito ecclesiae rectore, *in confessionali* confessiones audiat.

Superior tam per se quam per alios delegare potest. Gury (*n. 539*).

160. *Delegatio Episcopi estne territorialis; an vero potest Episcopus delegare sacerdotem ad audiendas confessiones suorum subditorum etiam extra suam Dioecesim?* Delegatio Episcopi non potest esse nisi territorialis. Excipe 1° casum Episcopi delegantis ad audiendam confessionem sui ipsius. Excipe 2° casum navigantium (ut supra *Cas. V et VI*).

161. *Sufficitne* ***delegatio praesumpta?***

Praesumptio quod superior approbationem concessurus esset si rogaretur, aut quod ratas habiturus foret absolutiones, certe non sufficit; oportet enim ut licentia de facto subsistat antequam confessiones audiantur.

Ad hanc licentiam constituendam non sufficit ut superior interne consenserit, sed oportet ut sui consensus sufficiens signum externum dederit.

Hoc tamen potest esse tacitum, vel implicitum; nec semper exigitur ut sit expressum et explicitum. Signum *tacitum* interveniret, si superior sciret sacerdotem confessiones absque facultate expressa audire, et nihilominus taceret dum facile reclamare posset. *Implicitum*, si alicui committeret officium, quod sine facultate audiendi confessiones exerceri nequiret; ut puta, si sacerdoti sacram missionem committeret. *Expressum et explicitum*, si confessionum audiendarum expressam licentiam, sive viva voce, sive

concessionis litteras (vulgo *pagellam*) subscribendo, (prout ordinarie contingit) concedat.

162. *An valide exciperentur confessiones, quamvis notitia pagellae subscriptae (scilicet delegationis datae) adhuc non pervenisset?*

Si agatur de delegatione, quae primitus obtineatur, oportet ut pagella subscripta et missa fuerit, et, quamvis opus non sit ut ad manus delegati pervenerit, oportet tamen ut delegatus ipse notitiam certam suae delegationis habuerit; unde iurisperiti dicunt quod exercitium iurisdictionis non potest conferri ignoranti, et, quamdiu quis ignorat iurisdictionem se habere, non valet quod agit; superior autem intendit quidem dare iurisdictionem, sed solum incipiendo a momento notitiae.

Si vero agatur de prorogatione consueta iurisdictionis, tunc ad actuum validitatem exigitur quidem quod prorogatio data fuerit, sed forsan non exigitur ut eiusdem notitia pervenerit; unde dicunt quod ignorans habet exercitium iurisdictionis prorogatae. Vide Sanchez (*De Matrim. III.* xxxvi *1*). Caeterum in re ista a parte tuta (seclusa necessitate) standum esse dicerem.

163. *Quid de iurisdictione* ***data non idoneo,*** *aut* ***indebite denegata?***

Iurisdictio esset valide data, quamvis sacerdos de facto non esset idoneus. Similiter esset valide denegata, quamvis irrationabiliter prorsus denegaretur.

Superior tamen, uti patet, illicite procederet in utroque casu.

164. *Facultas generalis audiendi confessiones estne censenda odiosa, an vero favorabilis; et proinde* ***quid in dubio?*** Censenda est favorabilis; est enim privilegium ad publicam utilitatem concessum. Hinc in dubio late est accipienda. Patet ex principiis generalibus quae in theologia fundamentali (ubi de legibus) exponuntur.

165. *Quid de differentia inter* ***facultatem restrictam et absolutam?***

I. Restricte concederetur si expresse apponeretur limitatio, sive quoad personas (v. g. pro solis masculis, vel infirmis), sive quoad tempus (v. g. ad annum, vel ad

sex menses, vel ad beneplacitum), sive quoad locum (v. g. solum in tali ecclesia vel paroecia).

II. In concessione autem absoluta, semper censentur excepti casus qui excipi solent (scilicet quoad moniales, et quoad peccata reservata).

166. *Quid si in tabella reservationis multa indicarentur reservata: sed Episcopus, dum facultatem audiendi confessiones concedit in scriptis vel per litteras testimoniales consuetas, solitus esset indistinctim ea reducere v. g. ad duo determinata, quae semper sibi reservaret vel paucis concederet; quid (inquam) si alicui viva voce daret facultatem audiendi confessiones, et de reservatis nihil diceret?*

Melius esset illum interrogare de sua intentione; sed credendum est quod facultatem concedere intendat iuxta solitum. Adde quod heic quoque urget ratio mox supra adducta, quod scilicet favores sunt ampliandi seu late interpretandi.

167. *Facultas delegata* ***quandonam expirat?***

I. Expirat 1° transacto tempore designato (si data fuerit ad tempus), attamen *re integra;* si enim tunc aliqua confessio esset incaepta, expleri posset. Insuper vide dicta (*n. 150*). 2° Si superior illam revocet (nec obstaret si iniuste); oportet tamen ut revocationis intimatio, ad delegatum iussu superioris pervenerit (et hic quoque intellige *re integra*). 3° Si delegatus renuntiet, et renuntiatio a superiore acceptetur.

Notandum tamen quod Episcopus nequiret licite suspendere a confessionibus Regularem, quem ipse personaliter examinasset, eique simpliciter et absque conditione facultatem dedisset, vel, tempore determinato, illud adhuc non expirasset; nisi ex iusta causa ad confessionem pertinente. Aliud esset si facultatem ei dedisset revocabilem ad suum beneplacitum; tunc enim etiam sine causa facultatem ei auferre posset. Dixi *licite;* ablatio enim iurisdictionis delegatae semper valida esset. Vide Pallottini (v. *Episcopus n. 21. 22*), Bizzarri (*pag. 21 et 243*), et Piat (*Vol. II P. V C.* II *q. 25*).

II. Non expirat morte superioris (nisi expresse concessa fuerit solum ad eius vitam). Vae enim si mortuo Episcopo, omnes confessarii sine facultate remanerent!

Quid si concessa fuisset sub conditione; *Nisi aliud ordinavero?* Vel *Ad beneplacitum nostrum?* Non obstante sive prima sive etiam secunda ex his clausulis, iurisdictio perdurat etiam post mortem superioris. Quoad secundam patet etiam ex responso S. C. EE. et RR. *19 Iun. 1806* (apud Scavini *III. 352 not. 1*); et hic etiam nota quod in dubio favores sunt ampliandi.

168. *Quid si sacerdos regularis facultatem habens ab Ordinario audiendi confessiones saecularium, illas audiret contra vetitum (vel etiam formalem suspensionem) suorum superiorum?* Illicite sed valide confessiones audiret. Ita expresse resolvit S. C. EE. et RR. (*2 Martii 1866* apud Acta *Vol. I pag. 683. 684*).

169. *Si delegatio unum tantummodo poenitentem respiceret, expiraretne morte superioris?*

I. Si poenitens ipse petivisset facultatem eligendi sibi confessarium, vel (quod in idem recidere videtur) confessionem faciendi apud talem vel talem sacerdotem, et Episcopus annuisset; tunc esset gratia facta, quae morte superioris non expirat. Lugo (*XIX 38*).

II. Si autem Episcopus mitteret sacerdotem ad alicuius confessionem audiendam; tunc de simplici mandato seu commissione ageretur, et proinde si Episcopus interim moreretur, et mortis notitia iam divulgata esset; tunc delegatio *re non integra* duraret; *re integra* autem, cessaret; mandatum enim morte mandantis cessat.

Sed haec omnia in theologia fundamentali (de legibus) melius declarantur.

PUNCTUM IV.

De iurisdictione quae aliquando subsistit quoad validum sed non quoad licitum; et de superioribus pro foro externo, qui suorum subditorum confessiones audiunt.

170. *Qua ratione contingere potest quod absolutio sit* ***illicita et nihilominus valida?***

Quia in quibusdam casibus ex una parte expedit ut contra confessarium vetitum, et in favorem poenitentium (casu quo non obstante vetito, sacerdos confessiones audiret) validitas subsistat. Exempla habes supra (*n. 146 Cas. I 147 et 168*); et alia exempla occurrent infra.

171. *Quid de* ***Superioribus*** *pro foro externo, qui* ***suorum subditorum*** *secum in eadem domo manentium confessiones audiunt?* De re ista iam egi supra (*Vol. IV n. 699*).

PUNCTUM V.

De delegatione speciali, quae pro audiendis confessionibus monialium, aliarumque mulierum in pio loco viventium, exigitur.

172. Hac etiam de re egi supra (*Vol. IV n. 701-711.*)

173. Pro praxi hic solum noto aliquid circa necessitatem mittendi confessarios **extraordinarios.**

Sunt qui non multum interesse existimant ut extraordinarii mittantur; sed heu quam illuduntur! Omnes norunt quanta aviditate iuvenes, quos colligebat D. Bosco, desiderabant apud illum confiteri et quantam in illo confidentiam habere ostendebant. Nihilominus (inter alios casus) accidit quod iuvenis, qui solitus erat apud illum confiteri, pro magna fortuna habuit, quod conscientiam suam aperire potuisset sacerdoti spiritualia exercitia praedicanti. Similiter Ven. Cottolengo audiebat confessiones Sororum, quarum institutum ipse fundaverat. Illae ad eum accedere videbantur libentissime; sed post unum vel alterum annum confessarius eiusdem Venerabilis Viri ei dixit rotunde: *Sororum istarum noli amplius confessiones audire.* Cottolengo huiusce praecepti rationem statim intellexit et obedivit. Haec dicebat Taurini E.mus Richelmy, et magnam addebat exhortationem, ut, quamvis confessarius ordinarius esset probatissimus et Sorores plenam erga illum confidentiam habere ostenderent, extraordinarii frequenter ad illas mitterentur et maior pro confessione libertas eis daretur.

PUNCTUM VI.

De reservatione.

Agendum est de natura et effectibus reservationis. De reservatione papali, episcopali et regulari. De reservationis interpretatione. De facultate absolvendi a reservatis iure ordinario et delegato. De subiecto reservationis. De quibusdam cautelis veniente poenitente cum casibus reservatis. Denique de reservationis cessatione.

§ I.

De natura et effectibus reservationis.

174. ***Quid est*** *reservatio?* Respicere potest peccata et censuras. Definitur: — Iurisdictionis restrictio quoad aliqua peccata vel aliquas censuras, quatenus facultas ab iisdem absolvendi (seclusa speciali licentia) non conceditur, sed apud superiorem reservantem remanet, unde absolutio esset invalida. —

175. ***Reservata censura, reservaturne etiam peccatum,*** *sive in illo committendo censura reapse incursa fuerit, sive (v. g. propter illius ignorantiam) non?*

I. Si censura reservata incursa fuerit, tunc reservatum remanet etiam peccatum.

Ratio est non solum quia illicita esset absolutio a peccatis, non praemissa absolutione a censura, sed etiam (imo praecipue) quia superior, dum reservat censuram, intendit etiam reservare peccatum eidem censurae subiectum, unde absolutio (quoad peccatum illud) non solum illicita sed etiam invalida foret. Cf. Sanchez (*Dec. II.* VIII 5).

II. Si qui peccatum commisit, censuram reservatam eidem adnexam non contraxisset, certe nequidem in reservationem incurrisset si casus esset papalis, scilicet affectus excommunicatione pontificia; in casibus enim pontificiis quod principaliter reservatur est censura, qua cessante, reservatio peccati (utpote accessoria) cessat.

Regulariter etiam in reservationibus episcopalibus, cessante excommunicatione, cessare debet reservatio peccati; si enim id accidit in reservationibus pontificiis, multo magis accidere debet in episcopalibus, quae crimina infe-

rioris momenti respicere solent. Excipe tamen nisi Episcopus claris et disertis verbis aliud statuisset.

Hinc theologi dicunt, videndum esse an peccatum fuerit reservatum solum *ratione censurae;* an vero etiam *ratione sui;* censura enim non incursa, reservatio non equidem in primo sed in secundo casu incurreretur.

Peccata autem existimantur reservata solum ratione censurae, si inscriptio esset v. g. *Censurae reservatae*, vel *Casus prohibiti sub censura reservata*, vel *Casus quibus adnexa est censura reservata,* vel *Casus in quibus incurritur censura reservata*. E contra peccata censerentur reservata etiam ratione sui, si inscriptio esset: *Casus reservati, quibus adnectitur censura reservata*. Si denique inscriptio foret: *Casus reservati, quibus adnectitur excommunicatio*, tunc res non esset clara, et proinde cum regula ordinaria (nisi interpretatio consuetudinaria in contrarium adesset) stari deberet. Cf. Génicot (*II n. 334* v).

176. *Quinam sunt* ***effectus reservationis?***

Primus effectus est ut confessarius simplex (scilicet. non habens facultatem circa reservata) valide nequeat absolvere directe a reservatis.

Dixi *directe;* si enim poenitens simul cum reservatis accusaret etiam non reservata, tunc (supposita bona fide) valide absolveretur directe a non reservatis, et indirecte a reservatis; atque perinde esset ac si de reservatis oblitus fuisset, et sic in gratia quidem Dei constitueretur, sed obligationi ea iterum clavibus subiiciendi obnoxius remaneret.

Secundus effectus est ut confessarius, absolvendo sine facultate (etsi solum indirecte) graviter peccet. Imo, si ageretur de censuris Romano Pontifici speciali modo reservatis (non monito poenitente quod censura perduret et solum indirecte absolutus fuerit), excommunicationem ipsi Romano Pontifici simpliciter reservatam incurreret. (Const. *Apostolicae Sedis*).

Exceptio tamen est pro casu verae necessitatis, ad quam constituendam non sufficeret aliquod leve incommodum in poenitente adeundi superiorem, aut maior verecundia confitendi apud illum; sed oporteret ut vere esset impeditus, ut infra (ubi *de subiecto* reservationis) explicabitur.

177. *Quid si censura lata fuisset* ***per sententiam particularem?***

Tunc semper reservatur superiori illam infligenti vel eius successori vel superiori maiori (eius enim est solvere cuius est ligare, quando aliud statutum non fuit).

Sed hic de casu isto non agitur; bene vero supponitur quod censura per legem generalem lata et reservata fuerit.

178. ***Quot et quinam sunt*** *casus reservati?* Alii sunt reservati Summo Pontifici; alii Episcopis; alii demum Praelatis regularibus.

§ II.

De casibus Summo Pontifici reservatis.

179. Summo Pontifici reservantur plures censurae (scilicet excommunicationes, suspensiones et interdicta), et nonnulli casus sine censura.

Illas et istos hic solum expono simpliciter: sed in tractatu *de censuris* aliquas explicationes, relate ad casus magis practicos, dabo.

Excommunicationes aliae *speciali modo* et aliae *simpliciter* reservantur.

180. *Quid significat quod censurae aliae speciali modo et aliae simpliciter reservantur?* Significat quod facultas absolvendi a reservatis *speciali modo* difficilius conceditur, et quando alicui datur facultas generalis absolvendi a censuris pontificiis, censurae reservatae *speciali modo* non censentur comprehensae (Const. *Apostolicae Sedis*).

181. *Quaenam sunt* ***excommunicationes*** *Pontifici reservatae* ***speciali modo?*** Pius IX (dicta Const. *Apostolicae Sedis*) excommunicationi huiusce generis subiecit sequentes:

I. Omnes a christiana fide apostatas, et omnes hac singulos haereticos, quocumque nomine censeantur, et cuiuscumque sectae existant; eisque credentes, eorumque receptores, fautores, ac generaliter quoslibet illorum defensores.

II. Omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicae libros eorundem apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, nec non libros cuiusvis auctoris per Apostolicas litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes.

III. Schismaticos, et eos qui a Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt, vel recedunt.

IV. Omnes et singulos, cuiuscumque status, gradus seu conditionis fuerint, ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum concilium appellantes, nec non eos, quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit.

V. Omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicae Legatos, vel Nuncios, aut eos a suis Dioecesibus, Territoriis, Terris seu Dominiis eiicientes; nec non ea mandantes, vel rata habentes, seu praestantes, in eis auxilium, consilium vel favorem.

VI. Impedientes directe vel indirecte exercitium iurisdictioni ecclesiasticae sive interni sive externi fori, et ad hoc recurrentes ad forum saeculare; eiusque mandata procurantes, edentes, aut auxilium, consilium, vel favorem praestantes.

VII. Cogentes sive directe, sive indirecte iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones: item edentes leges vel decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae.

VIII. Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica, vel ab eiusdem Legatis aut Delegatis quibuscumque profecta, eorumque promulgationem vel executionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive ipsas partes, sive alios laedentes, vel perterrefacientes.

IX. Omnes falsarios litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis ac supplicationum gratiam vel iustitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vice-Cancellarios seu gerentes vices eorum, aut de mandato eiusdem Romani Pontificis signaturam: nec non falso publicantes Litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes supplicationes Vice-Cancellarii aut Gerentis vices praedictorum.

X. Absolventes complicem in peccato turpi, etiam in mortis articulo, si alius sacerdos (licet non adprobatus ad confessiones), sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem. (*N. B. Censura ista nedum speciali sed specialissimo modo, ut suo loco explicabitur, reservatur).*

XI. Usurpantes aut sequestrantes iurisdictionem, bona, reditus, ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes.

XII. Invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios civitates, terras, loca aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia; vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam iurisdictionem in eis: nec non ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes.

182. Insuper in Const. Pii IX *Romanus Pontifex* (*28 Augusti 1873*) *excommunicatio speciali modo Pontifici reservata* fertur 1° in Dignitates et Canonicos cathedralium ecclesiarum vacantium, ac illos, qui deficientibus Capitulis, Vicarios deputant *(vacantis ecclesiae)* aut vacantes ecclesias legitime administrant, *qui ante exhibitionem Litterarum Apostolicarum* concedere et transferre in nominatum et praesentatum *(a laica potestate)* ad eandem ecclesiam, eius curam, regimen et administrationem sub quovis titulo, nomine, quaesito colore, ausi fuerint. 2° In nominatos et praesentatos ad vacantes Ecclesias, qui earum regimen et administrationem suscipere audent ex concessione et translatione a Dignitatibus, Canonicis, aliisque, de quibus supra, in eos peractam. 3° Necnon in eos, qui praemissis paruerint, vel auxilium, consilium, aut favorem praestiterint, cuiuscumque status, conditionis, praeminentiae et dignitatis fuerint..... Si vero aliqui ex praedictis episcopali charactere sint insigniti, in poenam suspensionis ab exercitio pontificalium et interdicti ab ingressu ecclesiae ipso facto absque ulla declaratione incidunt, S. Sedi pariter reservatam.

(Acta S. Sedis *VII 404* et Commentaria in Const. *Apostolicae Sedis* Auctore Ios. Pennacchi *pag. 413*).

183. Praeterea S. Poenitentiaria *(4 Aug. 1876)* appprobante Pio IX declaravit incurrere excommunicationem Rom. Pont. speciali modo reservatam illos *qui dant nomen sedicenti societati catholicae italicae pro recuperatione iurium spectantium ad populum christianum, et specialiter ad populum Romanum, pro electione Summi Pontificis.* Cf. dicta Commentaria *pag. 428.*

184. Pius IX *(23 Maii 1874)* declaravit etiam, excommunicationem Rom. Pontif. speciali modo reservatam incurri *ab intrusis et suffragio populari electis ad officium parochi aut vicarii in ecclesiasticis provinciis Veneta et Mediolanensi.* Cf. Bucceroni (Comment. de Const. *Apostolicae Sedis n. 43*).

185. *Quaenam sunt* ***excommunicationes*** *Pontifici reservatae* ***simpliciter?*** Pius IX (Const. *Apostolicae Sedis*) excommunicationi huius speciei subiecit sequentes:

I. Docentes et defendentes sive publice, sive privatim propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis poena latae sententiae. Item docentes vel defendentes tamquam licitam praxim inquirendi a poenitente nomen complicis, prout damnata est a Benedicto XIV in Const. *Suprema 7 Iulii 1745. Ubi primum 2 Iunii 1746. Ad eradicandum 28 Septembris 1746.*

II. Violentas manus, suadente diabolo, iniicientes in clericos, vel utriusque sexus monachos, exceptis quoad reservationem casibus et personis, de quibus iure vel privilegio permittitur, ut Episcopus aut alius absolvat.

III. Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes, et quoslibet complices, vel qualemcumque operam aut favorem praebentes, nec non de industria spectantes, illudque permittentes, vel quantum in illis est, non prohibentes, cuiuscumque dignitatis sint etiam regalis vel imperialis.

IV. Nomen dantes sectae *Massonicae,* aut *Carbonariae,* aut aliis eiusdem generis sectis quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam, seu clandestine machinantur; nec non iisdem sectis favorem qualemcumque praestantes; earumve occultos coriphaeos ac duces non denunciantes, donec non denunciaverint.

V. Immunitatem asyli ecclesiastici violare iubentes aut ausu temerario violantes.

VI. Violantes clausuram monialium, cuiuscumque generis aut conditionis, sexus, vel aetatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo; pariterque eos introducentes vel admittentes; itemque moniales ab illa exeuntes extra casus ac formam a S. Pio V in Const. *Decori* praescriptam.

VII. Mulieres violantes Regularium virorum clausuram; et Superiores aliosve eas admittentes.

VIII. Reos simoniae realis in beneficiis quibuscumque, eorumque complices.

IX. Reos simoniae confidentialis in beneficiis quibuslibet, cuiuscumque sint dignitatis.

X. Reos simoniae realis ob ingressum in Religionem.

XI. Omnes qui quaestum facientes ex indulgentiis aliisque gratiis

spiritualibus excommunicationis censura plectuntur Constitutione S. Pii V *Quam plenum 2 Ianuarii 1554.*

XII. Colligentes eleemosynas maioris pretii pro missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis ubi missarum stipendia minoris pretii esse solent.

XIII. Omnes qui excommunicatione multantur in Constitutionibus S. Pii V *Admonet nos quarto Kalendas Aprilis 1567*, Innocentii IX *Quae ab hac Sede pridie nonas Novembris 1791*, Clementis VIII *Ad Romanis Pontificis curam 26 Iunii 1592*, et Alexandri VII *Inter ceteras nono Kalendas Novembris 1660*, alienationem et infeudationem civitatum et locorum S. R. E. respicientibus.

XIV. Religiosos praesumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis sacramentum Extremae Unctionis aut Eucharistiae per Viaticum ministrare absque parochi licentia.

XV. Extrahentes absque legitima venia reliquias ex Sacris Coemeteriis sive Catacumbis Urbis Romae eiusque territorii, eisque auxilium vel favorem praebentes.

XVI. Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso, ei scilicet impendendo auxilium vel favorem.

XVII. Clericos scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Romano Pontifice nominatim excommunicatis et ipsos in officiis recipientes.

186. Ex eadem Const. *Apostolicae Sedis* excommunicationem incurrunt R. P. simpliciter reservatam omnes *absolvere praesumentes sine debita facultate, etiam quoris praetexta* (ab excommunicationibus *speciali modo* R. P. reservatis).... *dummodo non agatur de mortis articulo.*

187. Ex Concil. Trid. (*Sess. XXII Cap. XI de Refor.*) excommunicationem incurrunt simpliciter Rom. Pontif. reservatam, et confirmatam ab eadem Const. *Apostolicae Sedis*, bonorum cuiuscumque Ecclesiae aut pii loci usurpatores, sequentibus verbis: *Si quis clericorum vel laicorum, quacumque in dignitate, etiam imperiali aut regali praefulgeat, in tantam malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicuius ecclesiae, seu cuiusvis saecularis vel regularis beneficii, montium pietatis, aliorumque locorum piorum iurisdictiones, bona, census ac iura, etiam feudalia et emphytentica, fructus, emolumenta, seu quascumque obventiones, quae in Ministrorum et pauperum necessitates converti debent, per se vel per alios, vi vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas clericorum aut laicorum, seu quacumque arte, aut quocumque quaesito colore, in proprios usus convertere, illosque usurpare praesumpserit, seu impedire ne ab iis, ad quos iure pertinent, percipiantur, is anathemati tamdiu subiaceat, quamdiu iurisdictiones, bona, res, iura, fructus et reditus, quos occupaverit, vel qui ad eum quomodocumque, etiam ex donatione suppositae personae, pervenerint, ecclesiae eiusque administratori sive beneficiato integre restituerit, ac deinde a Romano Pontifice absolutionem obtinuerit. Quod si eiusdem ecclesiae patronus fuerit, etiam iure patronatus ultra praedictas poenas privatus existat. Clericus vero, qui nefandae fraudis et usurpationis huiusmodi fabricator seu consentiens fuerit, eisdem poenis subiaceat.*

188. *Quaenam sunt* ***suspensiones*** *Summo Pontifici reservatae?* Sunt sequentes:

I. Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum Beneficiorum perceptione ad beneplacitum S. Sedis Capitula et Conventus Ecclesiarum et

Monasteriorum aliique omnes, qui ad illarum seu illorum regimen et administrationem recipiunt Episcopos aliosve Praelatos de praedictis Ecclesiis seu Monasteriis apud eamdem S. Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhibuerint Litteras Apostolicas de sua promotione.

II. Suspensionem per triennium a collatione Ordinum ipso iure incurrunt aliquem Ordinantes absque titulo beneficii, vel patrimonii cum pacto ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta.

III. Suspensionem per annum ab Ordinum administratione ipso iure incurrunt Ordinantes alienum subditum, etiam sub praetextu beneficii statim conferendi aut iam collati sed minime sufficientis, absque eius Episcopi litteris dimissorialibus; vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii eius loci litteris testimonialibus.

IV. Suspensiones per annum a collatione ordinum ipso iure incurrit, qui excepto casu legitimi privilegii, Ordinem Sacrum contulerit absque titulo beneficii vel patrimonii clerico in aliqua Congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo.

V. Suspensionem perpetuam ab exercitio ordinum ipso iure incurrunt Religiosi eiecti, extra Religionem degentes.

VI. Suspensionem ab Ordine suscepto ipso iure incurrunt: qui eumdem Ordinem recipere praesumpserunt ab excommunicato vel interdicto nominatim denunciato, aut ab haeretico vel schismatico notorio: eum vero, qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere Ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus.

VII. Clerici saeculares exteri ultra quatuor menses in Urbe commorantes ordinati ab alio quam ab ipso suo Ordinario absque licentia Card. Urbis Vicarii, vel absque praevio examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio Ordinario posteaquam in praedicto examine reiecti fuerint; nec non clerici pertinentes ad aliquem e sex Episcopatibus suburbicariis, si ordinentur extra suam dioecesim, dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis quam ad Card. Urbis Vicarium; vel non praemissis ante Ordinem Sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in domo urbana Sacerdotum a Missione nuncupatorum, suspensionem ab Ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso iure incurrunt: Episcopi vero ordinantes ab usu Pontificalium per annum.

Aliam suspensionem, et quidem **speciali modo** reservatam, vide supra (*n. 182*). Nonnullae aliae insuper adsunt suspensiones (de quibus reservatio non est clara) latae a Concilio Tridentino et a Pio IX confirmatae, de quibus vide Bucceroni (*Comment. ubi de Suspens. in fin.*).

De suspensione contra sacerdotes et clericos si missis aut eleemosynis missarum utantur cum specie commercii contra decretum *Vigilanti*, vide *Vol. IV n. 545.*

189. *Quaenam sunt* ***interdicta*** *latae sententiae reservata?* Sunt sequentia.

I. Interdictum Romano Pontifici **speciali modo** reservatum ipso iure incurrunt Universitates, Collegia et Capitula, quocumque nomine nuncupentur, ab ordinationibus seu mandatis eiusdem Romani Pontificis pro tempore existentis ad universale futurum Concilium appellantia.

II. Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis ab Ordinario, vel delegato Iudice, vel a iure interdictis, aut nominatim excommunicatos ad divina officia, seu ecclesiastica sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittentes, interdictum ab ingressu Ecclesiae ipso iure incur-

runt, donec ad arbitrium eius cuius sententiam contempserunt, competenter satisfecerint.

Aliud interdictum **speciali modo** reservatum vide supra (*n. 182*).

190. *Quinam sunt* ***casus*** *Summo Pontifici* ***sine censura*** *reservati?* Sunt duo sequentes.

Primus est accusatio calumniosa sacerdotis innocentis de crimine sollicitationis. Constat ex Bened. XIV Const. *Sacramentum Poenitentiae* dicente: *Quoniam improbi quidam homines reperiuntur, qui vel odio, vel ira, vel alia indigna causa commoti; vel aliorum impiis suasionibus, aut promissis, aut blanditiis, aut minis, aut alio quovis modo incitati, tremendo Dei iudicio posthabito, et Ecclesiae auctoritate contempta, innoxios sacerdotes apud Ecclesiasticos Iudices falso sollicitationis insimulant; ut igitur tam nefaria audacia et tam detestabile facinus metu magnitudinis poenae coerceatur, quaecumque persona, quae execrabili huiusmodi flagitio se inquinaverit, vel per se ipsam innocentes sacerdotes impie calumniando, vel sceleste procurando, ut id ab aliis fiat, a quocumque sacerdote quovis privilegio, auctoritate et dignitate munito, praeterquam a Nobis nostrisque Successoribus, nisi in fine vitae et excepto mortis articulo, spe absolutionis obtinendae, quam Nobis et Successoribus praedictis reservamus, perpetuo careat.*

Secundus est acceptio donorum a Regularibus utriusque sexus quae ad materiam gravem pertingant (exceptis rebus medicinalibus vel obiectis devotionis) si poenitens non sit certus quod cum debita licentia data fuerint, neque ea restituerit, neque paratus sit restituere quamprimum poterit. (Heic tamen non tam agitur de casu reservato, quam de poenitente obligato ad restitutionem, nisi S. Sedes debiti condonationem ei concedat). Cf. Bertagna (*I.* IV § *I*). Aliud est de rebus parvi momenti pro quibus licentia iure supponatur.

191. *Adsuntne casus nedum speciali, sed* ***specialissimo modo*** *Summo Pontifici reservati; qui scilicet ne quidem in facultate absolvendi a casibus speciali modo reservatis, comprehensi censeantur; sed specialissima mentione indigeant?* Affirmative et sunt tres sequentes.

I. Excommunicatio contracta propter absolutionem complicis (ut supra innui *n. 181 X*).

II. Praedicta calumniosa accusatio de sollicitatione contra sacerdotem innocentem. Patet 1° Ex decreto S. C. S. O. (*27 Iun. 1866*) dicente: « SS.mus D.N. Pius IX... decrevit ut facultatibus quibus Episcopi aliique « locorum Ordinarii ex concessione Apostolica pollent absolvendi ab omni« bus casibus S. Sedi reservatis, excipiendos semper in posterum et exce« ptos habendos esse casus in Bulla Benedicti XIV, quae incipit *Sacra« mentum Poenitentiae* (scilicet duos casus supradictos). Et Sacrae Con« gregationi de Prop. Fide iniunctum voluit ut in expediendis facultatibus « post verba: *Absolvendi ab omnibus casibus Ap. Sedi reservatis in Bulla « Coenae*, addatur: *Exceptis casibus reservatis in Bulla Benedicti XIV* « etc. ». Patet 2° Ex decreto eiusdem S. C. S. O. edito *Die 4 Aprilis 1871* (atque adeo post Const. *Apostolicae Sedis*), in quo (teste De Varceno *De Poenit. Cap. V Art. V*) dicitur quod quando Pontifex facultatem concedit absolvendi a casibus *speciali modo* reservatis, casus absolutionis complicis semper intelligitur exceptus.

His autem certe addendus est etiam 3° casus receptionis munerum a Regularibus, attamen solum in sensu supra (*n. 190*) indicato.

192. *Circa censuras Summo Pontifici reservatas estne aliquid notandum* ***si sint occultae?***

Tunc ab illis absolvere possunt Episcopi; attamen exceptis censuris *speciali modo* reservatis. Et haec exceptio ad casus quoque sine censura Pontifici reservatos extendi debet.

Quod possint absolvere Episcopi, patet ex celebri Cap. *Liceat* Tridentini (*XXIV.* VI) dicente: « Liceat Episcopis in irregularitatibus omni-« bus et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus excepta ea, quae « oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum conten-« tiosum, dispensare; et in quibuslibet casibus occultis, etiam Sedi Apo-« stolicae reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos, in Dioecesi « sua per seipsos, aut vicarium ad id specialiter deputandum, in foro « conscientiae gratis absolvere, imposita poenitentia salutari. Idem et in « haeresis crimine in eodem foro conscientiae eis tantum, non eorum vi-« cariis, sit permissum ».

Quod censurae *speciali modo* reservatae, etsi occultae, excipiendae sint, patet ex Const. *Apostolicae Sedis* dicente: « Firmam tamen esse « volumus absolvendi facultatem a Tridentina Synodo Episcopis concessum « *Sess. XXIV Cap. VI* in quibuscumque censuris Apostolicae Sedi hac « nostra constitutione reservatis, *iis tantum exceptis, quas eidem Aposto-« licae Sedi speciali modo reservatas declaravimus* ».

Quod denique exceptio referatur etiam ad duos casus sine censura reservata, infertur et praedictis (*n. 190*); et patet ex decreto S. C. S. O. (*7 Nov. 1888*), quod afferetur infra (ubi de subiecto reservationis versus finem).

§ III.

De censuris et casibus reservatis Episcopis.

193. *Quinam casus reservantur Episcopis?* Quaedam excommunicationes reservantur Episcopis *ipso iure;* aliae autem censurae aliique casus reservantur Episcopis, quia *lege particulari* illos sibi reservaverunt.

194. *Quaenam sunt excommunicationes* ***ipso iure*** *Episcopis sive Ordinariis reservatae?* Constitutio *Apostolicae Sedis* excommunicationibus huiusce speciei subiecit sequentes.

I. Clericos in Sacris constitutos vel Regulares vel Moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere praesumentes; nec non omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes.

II. Procurantes abortum, effectu sequuto.

III. Litteris apostolicis falsis scienter utentes, vel crimini ea in re cooperantes.

Hic addi debet excommunicatio Episcopis reservata contra laicos qui ad finem commercii utuntur eleemosynis missarum iuxta decretum *Vigilanti* (Vide *Vol. IV n. 545*).

195. *Quid de censuris et casibus* ***lege episcopali*** *Episcopis reservatis?*

Quaenam censurae istae, et quinam casus isti sint constare potest solum inspiciendo tabellam seu legem dioecesanam; ex qua patebit etiam an casus cum censura solum ratione censurae, an vero etiam ratione sui (Cf. *n. 175 II*) reserventur. Notanda autem sunt sequentia.

I. Tridentinum (*XIV.* VII), dicit, Episcopos attendere debere non solum ut reservatio ad crimina atrociora et graviora restringatur; sed etiam ut, omnibus perpensis, sit in aedificationem non vero in destructionem. Cavendum speciatim (et quidem sub gravi) ne reservatio sit excessiva, cuiusmodi esset si confessariis propter casuum frequentiam nimis onerosa foret; aut si, temporibus et locis consideratis, ipsos christifideles (propter nimiam absolutionis obtinendae difficultatem) a sacramentis alienaret. Cf. Bened. XIV (*De Syn. V.* v *4*).

In plurimis locis hodie blasphemia haereticalis, incestus, sodomia et bestialitas sunt casus adeo frequentes, ut illorum reservatio vere excessiva videatur. Bouix (*De Episc. V.* XXI *3*) censet specialissimam moderationem hodie esse adhibendam, atque ad duos tresve ad summum casus reservationes episcopales esse restringendas.

II. S. C. EE. et RR. (*26 Nov. 1602* apud Bizzarri *pag. 13*) in Decreto *Accipiet* dixit: 1° « Nec sane debuit una eademque regula omnibus « Ecclesiis praescribi, quandoquidem alia alibi magis convenire certum « est, et vix fieri potest ut omnia omnibus in locis aeque probentur et « prosint ». 2° « Ad quam paucissimos eosque maxime necessarios redi« gantur iidem casus, unde salutaris ille sequatur effectus, cuius causa « haec reservandi atrociores quosdam casus Episcopis tributa est auctori« tas ». « 3° In peccatis etiam carnalibus reservandis multa utantur cir« cumspectione, propter periculum scandalorum, in iis maxime personis, « in quas ob accessum ad confessarios extraordinarios vel frequentem re« ditum ad Ordinarios suspicionis aliquid cadere potest ». 4° « Omnes « casus sibi iam olim reservatos, adhibitis aliquibus pietate et doctrina « praestantibus viris, de integro discutiant, diligenterque examinent, et « ad ipsius Decreti normam accomodent, eorum multitudinem sic resecan« tes etc. ».

196. *Sed valebitne* ***reservatio evidenter excessiva?*** Videtur negandum, quia tunc Episcopus excederet limites suae auctoritatis, et actus pro quo auctoritas non habetur validus esse nequit.

Certe talis reservatio esset invalida quoad parochos: ipsi enim iurisdictionem ipso iure habent; nec Episcopus potest valide illam adeo in

compedes coniicere, ut passim ab audiendis confessionibus (quae est praecipua proprii officii pars) impeditos se inveniant. Cf. Bened. XIV (*De Syn. V.* IV *3*), S. Lig. (*VI 589*) et Lugo (*XX III*), qui docet idem dicendum esse de Regularibus, qui iurisdictionem a S. Sede habent, quamvis ab Episcopo approbari debeant.

Sed in his quaestionibus non refert immorari; in praxi enim tam quoad Regulares tam quoad parochos iudicium de reservatione nimis excessiva est adeo periculosum, ut omnino licentia potius peti debeat.

§ IV.

De casibus reservatis Praelatis Regularibus.

197. *Possuntne praelati Regulares quoslibet casus sibi reservare?* Undecim tantummodo casus a Clemente VIII designatos possunt sibi reservare, non vero alios nisi de consensu Capituli Generalis pro tota Religione, vel Capituli provincialis pro provincia. Dicti casus sunt sequentes:

I. Veneficia, incantationes, sortilegia.

II. Apostasia a Religione, sive habitu dimisso, sive retento quando eo provenerit, ut extra septa Monasterii seu Conventus fiat egressio.

III. Nocturna et furtiva e Monasterio seu Conventu egressio, etiam non animo apostatandi facta.

IV. Proprietas contra votum paupertatis, quae sit peccatum mortale.

V. Iuramentum falsum in iudicio regulari, seu legitimo.

VI. Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum foetum, etiam effectu non secuto.

VII. Falsificatio manus, aut sigilli Officialium Monasterii seu Conventus.

VIII. Furtum de rebus Monasterii seu Conventus in ea quantitate quae sit peccatum mortale.

IX. Lapsus carnis consummatus (*etsi scilicet fuisset solitarius, dummodo cum seminis effusione*). Vide Piat *IV.* I § *9*).

X. Occisio, aut vulneratio, seu gravis percussio cuiuscumque personae.

XI. Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut aperitio litterarum a superioribus ad inferiores, et ab inferioribus ad superiores.

Vide Ferraris v. *Praelatus Regularis* (*n. 53 et seqq.*) et v. *Reservatio* (*n. 18 et seqq.*).

§ V.

De interpretatione reservationis.

198. *Reservatio, in dubio,* ***estne late, an vero stricte interpretanda?*** Quum reservatio in gravamen poenitentium et confessariorum cedat, atque poenae similitudinem habeat, et quum superiores hac in re parce procedere debeant; tamquam odiosa consideranda atque adeo

stricte interpretanda est. Ita docent theologi passim cum S. Lig. (*VI n. 600*).

199. *Ut casus intelligatur vere reservatus,* ***quid exigitur?***

Nisi verbis legis, aut declarationibus authenticis, contrarium decernatur, peccatum debet esse 1° Subsistens externe atque interne et mortale. 2° Completum materialiter et formaliter in suo genere. 3° Certe commissum. 4° Certe reservatum. 5° Directe volitum. 6° Commissum sine metu gravi. Sed haec sunt explicanda.

I. *Externe et interne subsistens et mortale.*

Reservatur, v. g. rapina. Reservatio non incurreretur neque ab eo qui rem levis momenti rapuisset, quamvis malitia de rapienda re magni valoris fuisset; neque ab eo qui rem pretiosam, credendo esse quid leve, surripuisset.

Lata reservatione contra violatores particularis legis dioecesanae (v. g. ieiunii particularis), reservatio dioecesana non incurreretur si violatio accidisset in loco exempto vel in alia Dioecesi ubi aliquis degeret; idque verum esse (dicunt) quamvis illuc quasi domicilium haberet et in illa quoque Dioecesi lex adesset; ex una parte enim ad frangendam legem localem, oportet ut quis sit subditus et in territorio, et ex alia Superior statuisset reservationem contra violantes legem suam non vero alienam.

II. *Completum materialiter et formaliter in suo genere atque iuxta circumstantias et terminos legis.*

Reservato, v. g. incestu, si quis peccasset cum extranea credendo illam esse consanguineam, aut peccasset cum consanguinea sed sine seminis effusione intra vas naturale, non adesset reservatio, quia incestus non existeret vel non fuisset completus materialiter.

Idem dic si quis peccasset cum consanguinea credendo esse extraneam, aut existimando non adesse differentiam in reatu sive cum consanguinea sive cum extranea peccatum committatur; tunc enim incestus fuisset quidem completus materialiter sed non formaliter.

Reservato homicidio, reservatio non adesset si quis vulnus quidem mortale inflixisset, sed morte adhuc non secuta delictum confiteretur.

Reservata sodomia, oporteret ut fuisset propria et perfecta, nempe inter personas eiusdem sexus, et cum effusione seminis intra vas praeposterum; unde reservaretur solum (nisi lex aliud statueret) sodomia quae inter masculum et masculum interveniret.

Reservata bestialitate, oporteret ut verus coitus locum habuisset; quod scilicet aut bellua mulieris, aut vir belluae vas penetrasset.

Sed in bestialitate oporteretne ut vas (in quo completur) esset naturale, nempe generationi inserviens? Ad constituendam bestialitatem id certe non exigitur, ut fatentur omnes. Attamen Bertagna (*IV.* III), supponens quod bestialitas in vase innaturali non sit perfecta, dicit reservari dumtaxat illam bestialitatem, quae in vase generationi inserviente perpetrata fuisset. Cf. S. Lig. (*VI 282. 283*).

Dixi *iuxta circumstantias et terminos legis;* unde sufficerent etiam actus incompleti si verba legis illos quoque comprehenderent.

III. *Certe commissum*, idque non solum quoad substantiam, sed etiam tum quoad circumstantias forte requisitas, tum quoad advertentiam et deliberationem sufficientem ad grave peccatum constituendum.

Si de his dubitetur (intellige: sufficienti examine facto), peccatum non erit reservatum; idque verum esset, quamvis de censura reservata dubie contracta ageretur, ut dicit Lugo (*XX 22*); unde adagium: *In dubio facti non adest reservatio.* Sed idem dicendum est de dubio iuris, ut sequenti *n. IV* statim explicatur.

IV. *Certe reservatum*, seu certe (moraliter) sub reservationis lege comprehensum.

Intellige tamen hic quoque, quod dubium, ut excuset a reservatione, debet esse prudens et vere rationabile; non enim propter solam ignorantiam aut errorem particularem alicuius confessarii, aut propter opiniones erroneas vel utcumque non solide probabiles, reservatio cessat. (Cf. *n. 151*).

V. *Directe volitum.* Hinc reservata, v. g. prostitutione filiarum, non sufficeret si pater, non vigilando aut dissipando in vitiis quae pro earundem alimentis insumere deberet, ipsarum prostitutionem praevideret, sed non intenderet. Roncaglia, Bertagna etc.

200. Petes: Reservato peccato cum clausula *effectu secuto,* vel reservato crimine quod ad effectu ipso nomen sortiatur (prout est homicidium), uno verbo, reservata culpa sub aliqua circumstantia verificanda; adessetne reservatio, si, dum effectus seu circumstantia verificabatur, poenitens internâ penitentiâ delictum suum iam detestatus fuisset?

R. Si dicta circumstantia soleat pendere a libera hominis voluntate, tunc lex exigere videtur quod circumstantia ipsa sit actu culpabilis, et proinde, deficiente reatu (dum verificatur), dicerem reservationem non adesse. Reservatur, v. g. furtum circa bona locorum piorum commissum ab administratoribus, si intra annum non restituant. Hoc intelligendum videretur *si non restituant culpabiliter,* et proinde reservatio non adesset si forte administrator restituere nequiret et ante finem anni delictum suum detestatus fuisset. Ita docet Bertagna (*I.* II).

Si vero circumstantia seu effectus ab hominis voluntate pendere non posset aut non soleret, ut in casu mortis propter vulnus lethale, aut abortus propter factum ad talem finem adhibitum; tunc perinde esse videretur sive poenitens crimen suum ante effectum secutum detestatus fuisset sive non.

VI *Commissum sine metu gravi.* Ita sentiunt Roncaglia *VII.* I), Bertagna, aliique, et verum videtur saltem ordinarie.

Ratio est quia peccatum in lege reservationis expositum intelligitur commissum prout communiter committi solet: non vero ex gravi metu; pro quo casu (quum crimen sit minus grave et aegro animo commissum fuerit) ordinarie non urgebit necessitas ut ad remedium reservationis recurratur.

Insuper, stante metu gravi, facile accidet quod crimen non sit amplius de illis gravioribus et atrocioribus, cuiusmodi esse debent reservata, prout dicit Trident. (Cf. *n. 195*), cui praesumendum est quod Episcopi obtemperare intendant.

Adde quod, metus sicut ordinarie excusat a censuris (Cf. S. Ligorius *VII 46*), ita excusare potest etiam a reservatione, quae, etsi proprie non sit poena, tamen aliquo modo poenae assimilatur.

Aliunde haec sententia videtur solide probabilis, et in opinionum probabilitate iurisdictionem supplet Ecclesia (*n. 151*).

Dixi: quod metus gravis excusat *ordinarie;* si enim non obstante metu gravi, crimen commissum adhuc gravius

et atrocius remaneret; tunc, ad instar censurarum quae remanerent, reservatio quoque remaneret.

201. *An* ***ignorantia reservationis*** *a reservatione ipsa excuset?*

Aliqui affirmant. Salmanticenses (*XVI.* I. IX *13*) dicunt: « Ab omni reservatione ignorantiam saltem inculpabilem excusare.... Huic sententiae adhaeremus ». Imo addunt nedum ignorantiam, sed etiam *oblivionem* et *inadvertentiam* (quatenus scilicet actu peccati de reservatione quis non cogitaverit) excusare. Hanc doctrinam non equidem tenent, sed probabilem esse censent nonnulli alii v. g. Roncaglia (*VII.* II *q. 4*), Diana (*I.* v. XXXIX), et Mazzotta (*q. III.* II), qui Graffium, De Ianuario aliosque antiquos citant. Novissime illam docet Ballerini (*Op. th. Tr. X.* v *724-732*), et tamquam probabilem referunt Gury (*II 571*), Pacati et Bertagna (qui nostris diebus ex professo de reservatione tractavit). Viva (*III.* IX *3*) dixit esse speculative probabilem.

Notandum quod Sporer (*n. 735*) et Gobat docuerunt quidem et ipsi hanc opinionem esse practice quoque probabilem, sed solum pro prima vice (ne scilicet poenitens bona fide confessus apud simplicem confessarium cogatur repetere confessionem apud Superiorem), et cum obligatione in confessario admonendi poenitentem.

D'Annibale (*n. 208*) dicit: « Quia probabilis est etiam « multis ex his qui contra sentiunt, si quis ea (opinione) « uti velit, necesse habet poenitentem de reservatione « certiorem facere, ut is deinceps, si iteraverit, ea te« neatur ».

At vero sententia communis vel certe longe communior, quam tenent Lugo (*XX.* II), Sanchez (*De Matr. IX.* XXXII *17, 18*), Palao (*II.* I. XVII *8*), S. Lig. (*Elench. I quaest. reformatar. n. 81*), Croix (*n. 1607*), Lehmkuhl (*II 407 et 866*), Bucceroni (*n. 139*), Palmieri (*Not.* Baller. *Op. th. De Poen. 732*), etc. etc., docent, ignorantiam reservationis (nisi Superior sive explicite sive implicite contrarium significasset) a reservatione ipsa minime excusare. Et sic quoque (hac re nunc melius examinata) ego censeo. Rationes sunt sequentes.

Superiores, dum reservationem faciunt, id unum significant quod non concedunt iurisdictionem circa aliqua peccata, quorum absolutionem sibi reservant. Ut itaque eadem peccata non censerentur reservata si cum ignorantia reservationis commissa fuissent, oporteret ut in favorem huius doctrinae rationes positivae et validae haberentur. Sed rationes validae non adsunt.

Reapse rationes quas adversarii adducunt, sunt sequentes. 1° Quia reservatio est poena ecclesiastica medicinalis; huiusmodi autem poenae ab ignorantibus non incurruntur, ut patet a censuris. 2° Quia in opinionum probabilitate supplet Ecclesia. At vero nec prima nec secunda ratio valet.

Non *prima*: etsi enim concedi velit quod reservatio habeat aliquo modo rationem poenae, quae christifideles (propter difficultatem obtinendi absolutionem) a gravioribus committendis criminibus deterreat; hinc non sequitur esse necessarium quod unusquisque poenam ipsam cognoscat, et multo minus quod illam (ut dicunt adversarii) in mente habeat, dum peccat. Ut enim poena iuste applicari possit, est quidem de essentia ut adfuerit culpa; sed iure naturae non exigitur ut poena ipsa a delinquente actu delicti cognosceretur; hoc enim pendet a voluntate legislatoris. Equidem intentio Ecclesiae est ut censurae ab ignorantibus non incurrantur; sed ex hoc inferri nequit quod circa alios casus eandem intentionem habeat. Et profecto non raro poenas infligit quin earundem monitio aut cognitio praecesserit. Impedimentum criminis v. g. atque irregularitates ex delicto, poenae aut quasi poenae sunt; quod tamen intentio Ecclesiae sit ut impedimentum vel irregularitatem ignorantes, valide matrimonium et licite ordines suscipere valeant, practice sustineri non potest. Neque dicas reservationem non posse deterrere a peccatis nisi cognoscatur; quando enim poenitentes de illis se accusabunt et absolutionem obtinere nequibunt, nonne ab iisdem iterum committendis deterrebuntur?

Sed hoc patet etiam ex voluntate Ecclesiae; in statuendis enim reservationibus, principalis Ecclesiae intentio est non iam ut poenâ coerceantur christifideles (sicut in censuris), bene vero ut causae graviores a iudicibus ma-

gis peritis tractentur, dicente Tridentino (*XIV.* VII): « Ma-
« gnopere vero ad christiani populi disciplinam pertinere,
« ....visum est, ut atrociora quaedam et graviora crimina
« non a quibusvis, sed a summis dumtaxat sacerdotibus ab-
« solverentur; unde merito Pontifices Maximi... causas ali-
« quas criminum graviores suo potuerunt peculiari iudicio
« reservare. Neque dubitandum est... quin hoc idem Epi-
« scopis omnibus... liceat « etc. ». Attento autem fine isto, nihil refert an poeniteus sciverit an vero ignoraverit reservationem; ut patet in simili ex causis quae in foro externo tribunalibus superioribus (non obstante ignorantia) reservantur, atque etiam ex votis reservatis etc.

Quod denique a reservationibus non excludantur ignorantes, patet tum quia praesumendum est, Episcopos habere intentionem se gerendi iuxta doctrinam communem, nisi (v. g. sinendo ut doctrina opposita in seminario traderetur) contrarium indicarent; tum quia Episcopi ipsi reservationem non populo intimare, sed clero solum et confessariis significare solent.

Sic itaque prima ratio (quod scilicet reservatio sit poena) tamquam solida haberi nequit. Sed idem dicendum est de *secunda*. Equidem Ecclesia supplet iurisdictionem in opinionum probabilitate; sed hoc intelligi debet pro casibus in quibus verba legis essent ambigua et opinionibus hinc inde probabilibus locum dedissent; non vero pro aliis (Cf. *n. 208*). Adde quod (ut dicit S. Lig. *n. 573*) opinio esse deberet gravi fulcita ratione et auctoritate; quod in casu verificari non videtur.

Neque dicas quod, nisi Ecclesia suppleret, damnum animarum sequeretur. Ex una parte enim absolutiones (si forte in casu darentur) valerent indirecte, et ex alia non expedit ut abnormes et erroneae quorumdam theologorum doctrinae mutandi Ecclesiae leges vim habeant.

Notandum est etiam quod fideles fere omnes ignorant quaenam sint peccata reservata, et proinde pro prima vice qua illa accusant nulla reservatio adesse posset; nec illos de reservatione tunc admonendi ulla lex subsistit; unde iam lex ipsa reservationis ad nihil redigeretur. Interpretatio autem, quae legem ad nihil redigeret, stare non potest.

202. *Ignorantia reservationis excusabitne saltem* ***si agatur de censuris*** *reservatis?*

Ignorantia censurae certe excusat a censura; sed ignorantia solius reservationis (si nempe quis censuram cognoscat sed nesciat esse reservatam), a reservatione ipsa nullatenus excusat.

Lehmkuhl (*II 407*) dicit: « Quando censurae cognitio aderat, reser-« vatio vero censurae ignorabatur, merito pro laxa et omnino improbabili « habetur paucissimorum opinio, qui putant etiam tunc reservatam non esse « censuram ». Enimvero qui incurrit censuram, eius quoque effectus (ut « ita dicam) naturales incurrit, inter quos est etiam reservatio; ut enim dicit idem auctor (*l. c. 866*), « Reservatio non est quidquam extraordina-« rium quod censurae adiiciatur, sed potius id quod eam naturaliter con-« sequitur (*eius enim est solvere cuius est ligare*), nisi legislator ex beni-« gnitate favorem facilioris absolutionis obtinendae constituerit ».

203. ***Adsuntne aliqui casus,*** *in quibus ignorantia reservationis a reservatione excuset?*

Casum habemus in calumniosa innocentis sacerdotis accusatione de sollicitatione; tunc enim legislator expressit hanc esse suam voluntatem; quandoquidem ex verbis Benedicti XIV (Cf. *n. 190*), manifeste patet agi de poena quae a delinquente cognosci debet.

Alii autem casus haberi possunt si Episcopi (prout aliqui revera faciunt) declarent, quemlibet, qui reservationem ignoraverit, prima vice (attamen cum reservationis ipsius admonitione) absolvi posse.

§ VI.

De potestate absolvendi a reservatis iure ordinario, quasi ordinario, et delegato.

204. *Quinam absolvere possint a reservatis* ***iure ordinario?*** 1° Reservantes. 2° Reservantium successores (inter quos recensendi sunt etiam vicarii capitulares). 3° Reservantium superiores in eadem potestate quoad eosdem subditos.

Hinc a reservatis Episcopo absolvere potest quidem Summus Pontifex, sed non Metropolitanus (extra casum sacrae visitationis in dioecesibus suffraganeorum).

205. *Quinam absolvere possint a reservatis* ***iure quasi ordinario?***

R. Illi quibus facultas concessa est a iure, nempe sequentes.

I. Card. Poenitentiarius Maior, qui absolvere potest a casibus papalibus (nonnullis factis exceptionibus, de quibus vide Benedictum XIV in Bulla *Pastor bonus*).

II. Vicarius Generalis (etsi aliqui dissentiant; Cf. Bertagna *II.* I) quoad reservata Episcopo (nisi Episcopus ipse contrarium statuerit).

III. Episcopi absolvere possunt a casibus papalibus occultis, cum limitatione exposita supra (*n. 192*), et etiam a quibusdam publicis, quae pariter indicata fuerunt supra (*n. 194*).

Notandum quod hi omnes facultatem absolvendi aliis subdelegare possunt.

IV. In articulo mortis sacerdotes quilibet absolvere possunt, dicente Tridentino (*XIV.* VII): « Pie admodum, « ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia « Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in « articulo mortis, atque ideo omnes sacerdotes quoslibet « poenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere « possunt ».

Hoc tamen, ex Rituali, quoad licitum (Cf. *n. 146*), intelligi debet absente confessario approbato, et cum conditionibus a sacris canonibus requisitis; nempe (ut ait ipsum Rituale) « prius, si potest, (*poenitens*) satisfaciat « (*parti laesae, si oporteat; vel reparet scandalum « etc.*): ac si periculum evaserit, et aliqua ratione superiori, a quo alias esset absolvendus, se sistere teneatur « cum primum poterit, coram eo se sistat, quidquid debet praestiturus ». Imponenda est scilicet obligatio non solum standi mandatis Ecclesiae (utcumque cognitis), sed praecise comparendi (sive personaliter sive per litteras) apud Superiorem, si forte poenitens convaluerit (intra mensem a recuperata valetudine) casu quo habeat censuras reservatas, et quidem sub poena reincidentiae in censuras easdem (1).

(1) Quidquid in contrarium dictum fuit ab auctoribus modernis (quia bulla *Apostolicae Sedis* indicat solum obligationem *standi mandatis Ecclesiae,* et nihil dicit de obligatione comparendi, et de reincidentia) elimi-

Hodie tamen haec obligatio comparendi (apud Superiorem reservantem vel apud delegatum habentem facultatem) restringitur ad censuras *speciali modo* Pontifici reservatas (1); atque ad censuras episcopales.

Auctores autem notant quod in casu harum censurarum, si Superior esset praesens, vel facillime acciri aut per litteras adiri posset; tunc ante absolutionem ad illum recurri deberet.

Et hic quoque recolendum quod articulo mortis aequiparatur periculum, quod (ut ait Bertagna) censetur adesse « quando habetur prudens dubium et timor probabilis ne « mors eveniat; et in illo reputantur qui periculoso morbo « laborant, qui pugnam, vel iter praedonibus expositum, « vel periculosam navigationem aggrediuntur; et qui in- « ter pestiferos esse debent. Item praegnans quae alias in « partu experta sit periculum vitae ».

Imo sufficeret si periculum mortis adesset non mate-

---

natum est a Decr. S. C. S. O. (*19 Aug. 1891*), « quae ad quaesita 1° An « obligatio standi mandatis Ecclesiae a bulla *Apostolicae Sedis* imposita « sit sub poena reincidentiae, vel non? 2° An obligatio standi mandatis « Ecclesiae in sensu bullae *Apostolicae Sedis* idem sonet ac obligatio se « sistendi coram S. Pontifice, vel ab illa debeat distingui? » Respondit: Ad primum *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.* Ad secundum *Obligationem standi mandatis Ecclesiae importare onus sive per se sive per confessariam ad S. Pontificem recurrendi, eisque mandatis obediendi, vel novam absolutionem petendi ab habente facultatem absolvendi a censuris S. Pontifici speciali modo reservatis.* (Apud *Monitore XII.* II *221*).

(1) Hoc patet ex Decreto S. C. S. O. (*17 Iun. 1891*) quae ad quaesitum « Utrum auctores moderni post Const. *Apostolicae Sedis* (contra « ius commune et rituale romanum) recte doceant, ei qui in articulo « mortis a quolibet confessario a quibusvis censuris quomodocumque reser- « vatis absolutus fuerit, tunc tantummodo imponendam esse obligationem « se sistendi Superiori, recuperata valetudine, si agatur de absolutione a « censuris *speciali modo* Papae reservatis; an huiusmodi recursus ad Su- « periorem etiam necessarium sit in absolutione a censuris simpliciter « Summo Pontifici reservatis? » Respondit: *Affirmative ad primam partem; negative ad secundam partem.* Ratio est quia in bulla *Apostolicae Sedis* solum post excommunicationes *speciali modo* reservatas dicitur: « In quo tamen (mortis articulo) firma sit, quoad absolutos, obligatio standi « mandatis Ecclesiae, si convaluerint ». Patet etiam ex Decr. *30 Mart. 1902* (*l. c.*) eiusdem C. S. O. quae ad quaesitum: « An ista obligatio standi « mandatis Ecclesiae (*scilicet se sistendi etc., quoad absolutos in periculo* « *mortis*) etiam pro censuris Summo Pontifici *simpliciter* reservatis ur- « geat? » respondit: *negative.*

rialiter sed *formaliter;* v. g. si quis versaretur in periculo incidendi in amentiam perpetuam, vel cogeretur diu in loco, ubi sacerdotes catholici non adsunt, remanere. S. Lig. (*n. 561*) et Lugo (*XX 228*).

206. *Quid de facultate absolvendi a reservatis 1° eos, qui, quamvis in periculo mortis non versentur, tamen, quominus ad Superiorem se conferant sunt* ***impediti;*** *2°* ***vagos;*** *3°* ***extradiocesanos?*** De casibus istis mox infra (ubi *de subiecto reservationis n. 210 et seqq.*) opportunius agam.

207. *Quid de facultate* ***specialiter delegata?***

I. Non sufficit quod facultas petita fuerit; sed oportet ut nedum fuerit concessa, verum etiam confessarius responsum Superioris per litteras vel internuntium acceperit; secus enim (ad minus) periculo invalide absolvendi se exponeret. Si tamen casus urgeret, agendum esset prout infra *De impeditis* (*n. 230*).

II. In generali facultate absolvendi a casibus papalibus, restrictiones ut supra (*n. 180-191*) subintelliguntur; sed generalis facultas absolvendi a casibus episcopalibus ad casus omnes tam sine censura quam cum censura reservatos extenditur; non tamen ad illos casus papales qui de iure episcopales evaserunt (*n. 194*), aut quia sint occulti ab Episcopis absolvi valeant (*n. 192*). Equidem Episcopus facultatem ab his quoque absolvendi potest aliis subdelegare ex Cap. *Liceat* (*l. c.*); sed mentio specialis exigitur.

III. Oportet considerare clausulas et conditiones omnes, quibus forte delegatio facta fuerit: quae modo pro solo licito et modo pro valido esse possunt. Qua de re specialiter consideranda veniunt sequentia.

a) Quaedam conditiones sunt ita substantiales, ut iis deficientibus perseveret delictum propter quod censura lata fuit; et tunc manifestum est quod censura ipsa auferri non posset. Exemplum habes si conditio esset ut poenitens dimittat officium (cui censura adnectitur), aut ab impia secta se separet, aut haereses retractet, aut vere doleat etc.

b) Quaedam conditiones modo absoluto exiguntur, ut

puta, si diceretur: *Nec antea nec aliter:* aut abstinendum esse ab usu facultatis et recurrendum denuo si conditiones adimpleri non possent.

c) Si autem conditio ex una parte ad delictum destruendum substantialis non esset et ex alia concessionis verba non clare conditionem absolute verificandam significarent; sed accipi deberent tamquam merum monitum directivum circa ordinarium agendi modum; aut tamquam vera conditio quidem, sed ita ut in praxi ex interpretativo Superioris consensu epicheiam admittere valeret, ne gravia inconvenientia sequerentur; tunc dicerem, absolutionem valere, quamvis talis vel talis clausula moderaretur, vel non adimpleretur; nec obstaret si forte ipsa ablativo absoluto expressa fuisset. Ita reapse sentiunt multi gravesque auctores, ut videre est apud Lambertini (*Notif. LXXXVII n. 67*), Sanchez (*De Matrim. III.* XXXIII *3*), Laymann (*De Cens. II.* VI *8*), et Ballerini (*II ad n. 955*). Exemplum habes, si, dicente Superiore: *Imposita poenitentia gravi cum frequentia sacramentorum,* haec frequentia (supposita necessitate) in aliquid aliud commutaretur. Idem dic si imponi deberet obligatio tradendi libros prohibitos Episcopo vel Inquisitori, et in casu practico expediret ut potius eosdem comburendi obligatio imponeretur. De clausula *satisfacta parte*, vide Sanchez (*l. c.*).

§ VII.

De subiecto reservationis.

208. Quaer. I. *An* ***impuberes*** *subiiciantur reservationi?*

Negant Viva (*De Poen. q. 9 a. 3*), Roncaglia (*De Poen. q. 7 C. 2*), Gousset (*n. 491*), Bertagna (*P. 1 C. 3*) aliique pauci. Rationem adducunt sive quia impuberes poenis ecclesiasticis non subiiciantur, sive quia talis sit consuetudo, sive denique quia in opinionum probabilitate supplet Ecclesia.

Sed haec sententia, ut dicit Génicot (*n. 343*) reiicitur communiter, cum Lugo (*De Poen. n. 10*), Ferraris etc.

Ego censeo, impuberes certe non subiici reservationi 1° Si agatur de censuris reservatis, quia (exceptis casibus

percussionis clerici et fractionis clausurae) propter puerilem aetatem ipso iure ab illis contrahendis impuberes eximuntur. 2° Si peccatum reservatum consummare non potuerint, prout contingere solet in sodomia aliisque peccatis luxuriae. 3° Si superior illos expresse exclusisset.

N. B. Dicit Bertagna quod, quamvis communiter dicatur pubertatem post annum XIV in masculis et XII in foeminis incipere, tamen ex Cap. *Referente de delictis puerorum*, etiam circa foeminas annus XIV attendi potest.

In aliis vero casibus impuberes quoque reservationi subiici existimo, quia sententia opposita non solida fulcitur ratione, quandoquidem ex una parte de asserta consuetudine (saltem generali) minime constat, et ex alia non agitur de poena, sed de medicina, qua impuberes forte magis quam adulti indigent: unde Lugo (*l. c.*) aperte dixit: « Non video fundamentum ipsius exceptionis, ut peccatum « mortale commissum a puero non sit reservatum ». Aliunde, quum certe possint Superiores reservationem ad impuberes extendere, credendum quod, exceptione expressa non facta, illos quoque includant, ubi enim lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. (Cf. *n. 201 in fin.*).

209. Quaer. II. *An dioecesanus intra dioecesim accusans peccata reservata, quae antequam subditus esset, vel casu extra dioecesim vel in loco exempto commisisset, reservationi subiiciatur?* Affirmant communissime cum S. Lig. (*n. 392*); et iam hodie de hoc nemo dubitat.

210. Quaer. III. *Extradiocesanus veniens* ***cum peccatis, quae hic, et non in patria sua, sunt reservata,*** *eritne subiectus reservationi?*

Equidem negant aliqui recentiores, nempe Ballerini (*Op. th. n. 716-723*), Gury (*n. 573*), Lehmkuhl (*n. 403*), Génicot (*n. 348* v), Bertagna etc. Et rationem adducunt quia, ad absolvendum extradiocesanum, iurisdictio vel datur ab Episcopo poenitentis, vel datur ab Episcopo loci: atqui neuter tunc curabit de reservatione; non primus quia nequidem in dioecesi sua illa peccata reservat; non secundus quia nequit praesumi quod sit sollicitus de extendenda reservatione sua ad extraneos, et quidem tales de quibus proprius ipsorum Episcopus non censet expedire ut tali reservationi subiiciantur. Adde quod (aiunt) extradioecesani reservationes aliarum dioecesium ignorant.

Sed sententia communissima, quam tenent S. Lig. (*VI 288*), Suarez, Lugo aliique innumeri quibus adhaerent etiam plures recentiores, nempe D'Annibale, Bucceroni,

De Varceno etc., docet huiusmodi extradicecesanum reservationi subiici.

Ratio est quia, iuxta praesentem Ecclesiae disciplinam, iurisdictio datur ab Episcopo loci; et circa peccata reservata, quae ab extradioecesanis accusentur, confessarii neque ex voluntate ipsius Episcopi, neque ex lege Ecclesiae iurisdictionem habent. Non ex voluntate Episcopi, quia, peccata illa reservando, nullam fecit distinctionem inter poenitentes dioecesanos et non dioecesanos; non ex lege Ecclesiae, quia talis lex adest quidem circa Regulares (qui reservationibus dioecesanis minime subiiciuntur), sed circa alios poenitentes minime existit.

Nec valent rationes supra adductae, quia valere possent solum si de iure condendo ageretur. Quod autem ignorantia reservationis nihil valeat, iam vidimus (*n. 201*).

Haec sententia confirmatur a sequenti S. Poenitentiariae decisione. « Titius sacerdos ad tribunal poenitentiae « accedens peccata exponit partim simpliciter reservata, « partim etiam cum censura episcopali *in dioecesi confessarii*. Dolet se hic et humaniter admonet fratrem, « ut se sistat habenti facultatem; sed ille instat pro « absolutione et dicit: quod confessor, cum non sit index « opinionum potest et debet absolvere poenitentem, qui « vult sequi opinionem non solum probabilem sed etiam « communissimam inter theologos antiquos et viventes. « Confessor firmus in sua sententia non acquiescit et inab- « solutum dimittit poenitentem. Quaeritur 1° Utrum con- « fessor bene se gessit? 2° Potestne semper in casu ita « se gerere? S. Poenitentiaria, consideratis expositis, re- « spondet ad utrumque affirmative » (*21 Nov. 1873*). Equidem Ballerini (*Op. th. Tr. X n. 720*) huius responsi vim evertere conatur, sed ex illo hoc saltem eruitur quod sententia, quae cum S. Ligorio docet huiusmodi extradioecesanum subiici reservationi et absolvi non posse, teneri et in praxim deduci valet.

211. Idem dic cum Roncaglia (ob identitatem rationis) si poenitens, qui cum peccatis in confessarii Dioecesi reservatis ad confessionem accederet, vagus esset.

212. Idem dic a fortiori si extradioecesanus peccata

in utraque Dioecesi reservata accusaret; quo in puncto conveniunt omnes et nemo dubitat.

213. *An extradioecesanus qui veniat* ***cum peccatis non hic, sed in sua dioecesi, reservatis,*** *remaneat adhuc subiectus suae reservationi; an vero, tamquam esset dioecesanus, possit absolvi?*

R. Potest absolvi, excepto casu quo in fraudem suae reservationis extra dioecesim migrasset.

Hodie haec est sententia certissima, quam cum S. Lig. (*VI 588*) tenent omnes, non exclusis Gury (*II 573 q. 5°*) et Ballerini, qui, etsi agendo de fundamentis intrinsecis rem hanc quam maxime obnubilent, tamen in praxi idem sentiunt. Gury dicit: « Stante consuetudine, contra « quam Ordinarii non reclamant, censendum est per rati- « habitionem de praesenti huiusmodi peregrinum valide « atque etiam licite absolvi ». Ballerini autem (*not. a*) subiunxit: « Signum huius Ordinariorum consensus suffi- « ciens est, quod consuetudinem hanc absolvendi sciant « et taceant; inde enim exurgit illa ratihabitio de prae- « senti, quae in casu ad absolutionis valorem sufficit ». Et in *Op. th.* (*Tr. X n. 710*) subdit quod haec sententia « tuta certe est in praxi ».

214. Vera ratio est quod, quamvis antiquitus res aliter se haberent, nunc disciplina Ecclesiae est ut absolutio dari valeat. Patet ex declarationibus sequentibus.

I. In primis Ecclesiae saeculis fideles (qui tunc pauci erant) solum a proprio Episcopo; et, quando post quartum saeculum institui coeperunt paroeciae, solum a proprio parocho (qui proprius sacerdos dicebatur), vel ab aliquo eorundem delegato, a peccatis absolvi poterant. Cf. Thomassini (*P. I L.* II *C.* XXI *n. 5-8 et C.* XXIV *n. 5*).

II. Interdum, iustis de causis, tunc dabatur aliquibus facultas eligendi sibi confessarium, ut scilicet possent confiteri apud alium pro libitu, dummodo esset idoneus; sed in hac generica concessione non censebantur inclusa peccata reservata, dicente (sub initio saeculi XIV) Bonifacio VIII (*C. Si Episcopus in 6°*): « Si Episcopus suo subdito concesserit, ut sibi « possit idoneum eligere confessorem, ille quem sic eligerit, in casibus « qui eidem Episcopo specialiter reservantur, nullam habet penitus pote- « statem: cum in generali concessione illa non veniant, quae non esset « quis in specie concessurus ». Notat autem Lugo (*De Poen. XX.* VI *70*) Pontificem hic loqui de subdito manente in dioecesi.

III. Peregrini (ex causa devotionis) et viatores (ex aliis causis) itinera suscipientes, poterant certe in paschate confessionem facere ubi tunc aderant, quamvis nullam ab Episcopo vel parocho proprio licentiam obtinuissent. Hoc intellige saltem post Eugenium IV qui (teste Cajetano v. *Ab-*

solutio) circa annum *1420* vivae vocis oraculo declaravit, *viatores ubi se invenerint in paschate, censendos esse tamquam adeptos incolatum quoad sacramenta poenitentiae et eucharistiae*. Suarez dixit hanc declarationem tunc intelligi debuisse etiam extra occasionem paschatis (quia si id concedebatur dum in paschate maior erat obligatio recipiendi sacramenta a proprio pastore, a fortiori concedi debuit pro aliis temporibus); sed hoc verum esse nequit, quia disciplina Ecclesiae adhuc per circiter duo saecula in contrarium perduravit; ut statim explico.

IV. Ut tunc peregrini (qui multi erant) et viatores possent confiteri durante itinere, oportebat ut a proprio Episcopo vel parocho licentiam obtinuissent. In licentia tamen peregrinandi vel iter faciendi, licentia quoque confessionem peragendi implicite continebatur, quod speciatim pro longis itineribus, maxime vero pro sacerdotibus missam celebrare debentibus, prorsus necessarium erat; unde dicebatur quod confessio debet esse comes viatorum. Hoc apertissime patet a theologis qui iis temporibus scripserunt. Vide e. g. S. Antoninum (*P. III Vr.* XVII *C. 4 circa annum 1450*), Summam Angelicam (v. *Confessio A. V n. 12 circa annum 1470*), Caietanum (v. *Absolutio circa an. 1520*), Navarrum (*Manuale C. XXVII n. 255 circa an. 1570*).

V. Licentia autem extendebatur etiam ad reservata; ita scilicet ut peregrini et viatores tali licentia muniti possent quoque absolvi a peccatis proprio Episcopo reservatis; attamen excepto casu in quo in fraudem reservationis extra dioecesim migrassent; idque ex generali principio iuris quod *fraus et dolus nemini patrocinari debet*. Aliqui, v. g. Navarrus (*in Comment. ad C. Placuit*), Auctor Summae Angelicae (v. *Confessio XV 12*), De Graffiis (*I.* XIII *48*) etc. exigebant ut poenitens pro reservatis suo Episcopo adiret confessarium habentem facultatem absolvendi a peccatis in sua dioecesi reservatis, quamvis reservatio esset non aequalis sed diversa. At vero limitatio ista apud alios non inveniebatur, et postea (duce Lugo *XV.* VI *71*) prorsus reiecta fuit.

VI. Saeculo XVI cessavit obligatio et consuetudo petendi licentiam occasione peregrinationis vel itineris extra dioecesim; et de caetero res remanserunt sicut antea: scilicet peregrini et viatores extra dioecesim poterant a quolibet simplici confessario absolvi etiam a reservatis in patria, dummodo in fraudem reservationis ipsius extra dioecesim non migrassent.

VII. Anno *1670* edita fuit Bulla *Superna* (Clementis X), in qua Pontifex, postquam dixerit, Regulares nequaquam habere privilegium absolvendi a casibus Episcopo reservatis, subiunxit; « Posse autem Regularem « confessarium in dioecesi in qua est approbatus confluentes ex alia « dioecesi a peccatis in ipsa reservatis (non autem in illa ubi idem con- « fessarius est approbatus) absolvere, nisi eosdem poenitentes noverit in « fraudem reservationis ad aliam dioecesim pro absolutione obtinenda mi- « grasse ». Ex his verbis Ballerini (ad Gury *II 573 q. 5 not. a*) deducit hic agi de privilegio solis Regularibus concesso, unde tunc eadem facultas confessariis saecularibus minime erat communis.

215. Sed hoc verum esse nequit. Probatur imprimis ex Bened. XIV et Decreto S. C. C. Reapse Benedictus XIV (*De Syn. V.* V *8*) scripsit: « Haec olim opinio multorum mentes invaserat, liberum cuique esse ex « propria Dioecesi, ubi in casum reservatum inciderat, ad aliam, in qua « reservatus non esset ad hunc finem commeare, ut inibi *a simplici con-* « *fessario* absolveretur: sed S. Congregatio.... (*15 Sept. 1649*) declaravit: « *Absolutionem poenitentibus indultam, qui fraudulenter et sub eo fine* « *in aliam dioecesim se transtulerint, non sustineri* ». Agebatur itaque

non de solo confessario regulari, sed de quolibet simplici confessario, et absolutio ab eodem concessa circa dictos casus in alia dioecesi reservatos erat invalida si poenitens migrasset in fraudem, non vero si absque fraude sic se gessisset. Quum autem hoc decretum latum fuisset *anno 1649*, iam patet quod confessarii saeculares eandem facultatem habebant etiam ante Bullam *Superna*, quae (ut dixi) *an. 1670* edita fuit.

Probatur etiam ex pluribus theologis, qui, antequam Bulla *Superna* ederetur, aperte significabant huiusmodi consuetudinem iam existere. Enimvero Lugo, qui obiit *an. 1660* (*De Poen. XX.* VI *20*) scripsit: « Poe- « nitentem in nostro casu (si nempe cum reservatis in sua Dioecesi confi- « teatur ubi non sunt reservata) non habere facultatem ab Episcopo eligendi confessarium, sed habere facultatem *consuetudine et approbatione* « *Praelatorum introductam*, qua potest, dum in alieno episcopatu bona « fide versatur, gerere se in ordine ad confessiones sicut alii qui sunt « incolae illius loci » et (*n. 72*) subiunxit: « Peregrinos et advenas *ex* « *recepta consuetudine* aestimandos esse in ordine ad confessionem, sicut « eos qui sunt incolae eiusdem loci ». Et prius Suarez, qui obiit *an. 1617* (*De Poen. XXX.* I *4*) dixerat: « Ille qui versatur in alieno episcopatu, « non ideo ibi confiteri et absolvi potest, quia utitur facultate eligendi « confessorem; sed quia hoc ipso, quod versatur in alieno episcopatu « potest ibi absolvi more incolarum illius dioecesis, et ita se gerere ac « si esset subditus Episcopi illius loci; hoc enim sensu intelligi debet « *consuetudo*.... Confessores alterius dioecesis non tenentur scire quinam « casus reservati sint alteri Episcopo: ergo debent hunc audire, et iudi- « care iuxta ritum sui episcopatus: ergo *consuetudo quae in hac parte* « *praevaluit* in hunc modum interpretanda est ». Etiam Filliuccius, qui obiit *an. 1620* (*Tr. VII C.* X *n. 284*), idem dixit.

VIII. Caeterum parum refert sive confessarii saeculares habuerint hanc facultatem ex consuetudine existente ante Bullam *Superna*, sive illam acquisierint postea per aliam consuetudinem, quae praetensum privilegium regularibus concessum ad saeculares extenderit. Sufficit certissimum esse quod hodie haec consuetudo subsistit.

IX. Est autem consuetudo rationabilissima et moraliter necessaria; ex una parte enim confessarii cognoscere nequeunt aliarum dioecesium reservationes (utique innumeras), earumque tenorem; et ex alia peregrini et viatores remitti nequeunt ad proprium Episcopum eiusve delegatos, qui longe esse solent.'

Quum in casu confessarii saeculares iurisdictionem (iuxta hodiernam disciplinam) recipiant non ab Episcopo poenitentis (sicut olim), sed a S. Sede pro bono animarum ita decernente, iam non posset idem Episcopus valide denegare suum consensum et absolutiones invalidas reddere; ut contra Ballerini notant *Vindiciae* Alphonsianae (*P. V q. XIV A.* V *n. 3*), et meo sensu recte.

216. *Quid de peregrinis aut viatoribus confitentibus peccatum* ***excommunicatione episcopali*** *affectum?*

I. Si excommunicatio non esset reservata, tunc ex hoc ipso pateret, Episcopum excommunicatorem de reservatione non curare, atque adeo quemlibet confessarium sive intra sive extra dioecesim absolvere posse. Cf. S. Lig. (*De Censur. n. 73*).

II. Stante reservatione, sedulo notandum ne forte peregrinus extra patriam commisisset peccatum, non a proprio, sed ab alieno Episcopo censura mulctatum; tunc enim nec censuram nec reservationem incurrisset, quia peregrini particularibus locorum legibus non adstringuntur.

III. Si peregrinus censuram reservatam incurrisset in patria, nulla esset quaestio si in fraudem reservationis extra dioecesim migrasset; sed, seclusa fraude ista, quid esset dicendum?

Passerini (*T. II q. 147 n. 470*), Bertagna (*P. II C. 1*) aliique pauci docent nullam fieri debere differentiam inter casum istum et casum peccati sine censura reservati, atque adeo absolutionem a simplici confessario extra dioecesim semper dari posse.

Sed S. Lig. *VI 590*), Roncaglia (*XIX q.* VII *p.* II *q. 1*), Wigant (*Tr. XIV n.* LIX), D' Annibale (*Ed. III Vol. I n. 346*) aliique docent differentiam esse faciendam, et reservationem etiam extra dioecesim permanere. Ego quoque idem sentio. Et ratio est quia pro casu censurae non constat de consuetudine quae reservationem tollat; atque regulae ordinariae ad providendum sufficiunt. Enimvero si peregrinus absolutione non indigeret, tunc ad proprium Episcopum aut alium confessarium auctoritate munitum remitti deberet; si autem illâ graviter indigeret, atque ad Episcopum recurrendi nec tempus nec modum haberet, tunc applicanda esset consueta regula iuris, quae permittit absolvi posse a confessario, dummodo paratus sit ad Episcopum ipsum aut delegatum recurrere cum primum poterit sub poena reincidentiae in eandem censuram. C. *Eos qui.* C. *Nuper* etc. (1).

IV. Magis autem rigorose procedi deberet si censura (quod caeteroquin hodie vix unquam contingit) nominatim per sententiam particularem ei inflicta fuisset; secus enim iudicia perturbarentur, et sententiae pene inutiles redderentur; unde est principium iuris quod *praeventus a iudice forum ipsius in ea causa declinare non potest (Cap. Constitutisti De for. compet.).*

---

(1) Bonacina (*De Cens. in comm. I q.* III *p.* II *n. 6*), Gury (*II 582*) et quidam alii dicunt, Episcopos absolvere posse (ex Cap. *Liceat*) a censuris occultis quae aliis Episcopis reserventur; sed hanc doctrinam admitti non posse docet S. Lig. (*VI 594 d. 8*), et, meo sensu, recte.

217. *Quo sensu intelligi debent verba: Dummodo poenitens ad aliam dioecesim* ***non migraverit in fraudem reservationis?*** Quandonam hoc verificetur, non una est theologorum sententia. Communius tamen et verius docent quod fraus interveniret si poenitens praecise ad vitandum iudicium proprii pastoris atque onus reservationis, pergeret ad confitendum extra dioecesim. Fraus itaque non adesset si quis ex alio motivo rationabili, ut puta, ad inveniendum sive suum consuetum confessarium, sive sacerdotem erga quem maiorem confidentiam haberet, vel pro suis negotiis illuc se conferret (aut discessum ex hac occasione subsecuturum expectaret); vel etiam quia hic et nunc absolutione indigeret neque facile ad superiorem se conferre posset et multo magis si casus in dioecesi quoque ubi confessionem facit esset reservatus, et sic reservationis medelae aeque se subiiceret. Cf. Bertagna (*l. c.*).

218. *Quid de subiecto reservationis* ***quoad Regulares?*** Loquendo de Regularibus non iam votorum simplicium, qui considerantur ut saeculares, sed votorum solemnium, agi debet de iisdem 1° quoad reservationes pontificias; 2° quoad reservationem dioecesanam; 3° quoad reservationem proprii ordinis. Agendum est etiam 4° de reservatione quoad novitios et monasterii famulos; 5° quoad moniales.

219. Quaeritur itaque I. *An Regulares subiiciantur reservationibus* ***pontificiis?***

Illis certe subiiciuntur sicut alii.

Et notandum quod nequidem in casibus occultis absolvi possunt a propriis praelatis. Isti enim non aequiparantur Episcopis, qui adhuc post const. *Apostolicae Sedis*, ex C. *Liceat* absolvere valent a casibus occultis, S. Pontifici *simpliciter* reservatis; sed privilegium quod obtinuerant a S. Pio V (Cf. Bucceroni *De censur. n. 45*) vi dictae Constit. (restrictive ad istos casus) amiserunt, ut declaravit etiam S. Poenit., quae ad quaesitum: An praelati regulares post const. *Apostolicae Sedis* iisdem privilegiis gaudeant sicut antea, idest possint necne suos subditos absolvere a casibus papalibus in dicta const. *simpliciter* reservatis? Respondit: *Negative* (*5 Dec. 1873* apud Acta *IX 314*).

Attamen nunc quoque praelati regulares absolvere possunt suos subditos quoad casus spectantes ad internum ordinis regimen, quamvis Romano Pontifici reservatos, dummodo in ipsa *Apostolicae Sedis* constitutione non contineantur, ut declaravit S. C. S. O. (*23 Martii 1887*).

220. Quaer. II. *An Regulares subiiciantur reservationibus* ***episcopalibus?*** Negative, quia a iurisdictione Episcoporum sunt exempti; et idem dic de novitiis, quia ipsi quoque (in favorabilibus) sunt exempti et religiosi reputantur (Cf. Piat *Prael. iuris reg. P. II C.* II *A.* IV *q. 4*).

Excipe 1° Casus qui Episcopis reservantur de iure (in const. *Apostolicae Sedis*); illi enim revera sunt casus papales, quamvis eorundem absolutio Episcopis reservetur. Excipe 2° Si forte Episcopus reservasset casus etiam relate ad Regulares, sive tamquam S. Sedis legatus, sive utens iure proprio pro casibus in quibus Regulares Episcoporum iurisdictioni subiiciuntur, ut puta, si Regularis exerceret officium parochi; et hoc in puncto vide multa apud Piat (*l. c. P. VI C.* III *A.* II).

221. Quaer. III. *Quo sensu et quo modo Regulares subiiciuntur reservationi* ***proprii ordinis?***

I. In ordinibus religiosis reservari possunt casus solum ad normam decreti Clementis VIII confirmati ab Urbano VIII, ut videre est apud Bizzarri (*Ed. I pag. 246. 247*).

II. In eodem decreto sequentia leguntur: « Superiores « in singulis domibus deputent duos, tres, aut plures con- « fessarios pro subditorum numero maiori vel minori; « iique sint docti, prudentes ac charitate praediti, qui a « non reservatis eos absolvant, et quibus etiam reserva- « torum absolutio committatur (*intellige si facultatem « petant*), quando casus occurrerit, quo eam debere com- « mitti ipse imprimis confessarius iudicaverit.... Si huius- « modi Regularium confessariis casus alicuius reservati « facultatem petentibus Superior dare noluerit, possint « tamen confessarii *illa vice* poenitentes Regulares, etiam « non obtenta a superiore facultate, absolvere ».

Anno autem *1866* (*15 Aug.*) S. C. super Statu Reg., approbante Pio IX, decrevit « ut in parvis communitatibus « superiores omnino debeant deputare *habitualiter* saltem

« unum confessarium ex Religiosis proprii ordinis, qui « facultatem habeat absolvendi a casibus et censuris in « ordine reservatis » (apud Piat *l. c. P. IV C.* I *p.* II).

III. Quamvis ordinarie Regulares confiteri nequeant apud confessarium extraneum (secus, nedum illicite sed etiam invalide confiterentur ; Cf. Acta *XIV 273*), tamen apud sacerdotem ab Episcopo approbatum confiteri possunt 1° Si (v. g. quia in conventu Religiosi sint nimis pauci, et saltem quatuor non adsint confessarii) talis licentia eis concedatur, haec licentia, per se, ad reservata extendi non intelligitur (ut patet ex mox dictis *II*). 2° Occasione Iubilaei, et tunc facultas extenditur etiam ad reservata (Piat *P. IV C.* I *a. 2 p. I q. 10*). 3° Occasione itineris ; et de hoc casu Benedictus XIV const. *Quod communi*, dixit : « Statuimus, decernimus ac mandamus « ut quicumque ex fratribus dicti ordinis (Capuccinorum) « sive in sacro presbyteratus ordine constitutus cuiuscum- « que status, gradus, dignitatis et conditionis, sive laicus « vel conversus fuerit, qui de superiorum suorum licentia, « quacumque de legitima causa, titulo, et occasione sive « praedicandi verbum Dei quocumque tempore, sive sacras « missiones peragendi, sive iter agendi et alicubi commo- « randi, ubi nullus conventus seu hospitium, nullusque « frater dicti ordinis confessarius reperitur, libere et li- « cite possit ac valeat quemlibet presbyterum saecula- « rem ab Ordinario loci, vel regularem a suo superiore « regulari ad sacramentales confessiones excipiendas ap- « prodatum adire, eique peccata sua confiteri, atque ab « ipso obtinere sacramentalem absolutionem *etiam quoad « casus per constitutiones et statuta regularia dicti ordi- « nis reservatos, incursasque proinde censuras, recepta « salutari poenitentia* ».

Equidem haec facultas respicit Capuccinos; sed, propter communicationem privilegiorum (iuxta decreta Leonis X Const. *Dudum* et Clementis VIII Const. *Ratio pastoralis officii,* apud Piat *P. V. C.* I *A.* II *q. 8*) videtur esse communis, sicut etiam communis est ratio, dum ex una parte necessarium est ut religiosi itinerantes per sacramentum poenitentiae sibi consulere possint (secus enim vel a missae celebratione non sine suspectibus et scandalo abstinere, vel conscientiae angustiis subiici cogerentur), et ex alia quomodo tunc pro absolutione a reservatis, absque fractione sigilli, vel infamia, vel alia morali impossibilitate, recurri posset?

IV. Dicta Benedicti XIV constitutio 1° respiciebat casum, in quo ne unus quidem adesset proprii ordinis confessarius; 2° quoad reservata addebat: « Praestita obligatione.... « suo Superiori se praesentandi, ac de novo super casibus « et censuris huiusmodi absolutionem impetrandi ». Sed haec duo mutata fuerunt per indultum concessum Capuccinis (*5 Apr. 1897* Cf. *Anal. Cap.*), quo permittitur « ut quicum- « que Religiosus, qui de suorum superiorum licentia extra « conventum degit, vel iter agit (non autem qui ex indu- « stria vel in fraudem legis itinera suscipit), et non co- « piam saltem *duorum* confessariorum sui ordinis habet, « libere peccata sua confiteri possit ac valeat cuicumque « confessario regulari vel saeculari rite adprobato, ab « eoque absolvi etiam a reservatis et censuris, *sine obli- « gatione postea superiori suo regulari sese praesentandi « ad novam ab iisdem reservatis vel censuris absolutio- « tionem obtinendam* ».

Attamen (meo sensu) tamquam in conventu considerari debet illa qui ad illum esset valde vicinus vel cito rediturus.

V. *Novitii* quoque (dum, prouti debent, confitentur apud confessarium iisdem assignatum) reservationi ordinis subiiciuntur, quia ille (ut supponimus) absolvendi a reservatis facultatem non habet.

Non tamen subiiciuntur reservationi dioecesanae; et quidem ita ut, si in reservata incidissent ante ingressum in religionem, possent a suis praelatis eorumque delegato absolutionem obtinere. Bertagna (*De reservatis pro Regularibus*).

VI. Religiosi *saecularizati* (etsi solum ad tempus) confiteri possunt apud confessarium ab Ordinario approbatum, et ab illo absolvi etiam a casibus et censuris in ordine reservatis, si non sint reservati in Dioecesi, cuius reservationi tunc subiiciuntur. S. C. EE. et RR. apud Piat (*P. IV C.* I *A.* II *p. I q. 16*).

VII. Religiosi propter politicas perturbationes *dispersi*, si vivant aliquo modo in communitate, ita ut in illa saltem quatuor adsint sui ordinis confessarii; tunc nihil immutatur. Secus, iisdem concedi debet ut confiteri possint apud quemcumque confessarium sive regularem sive saecularem approbatum, qui etiam a casibus et censuris in ordine reservatis illos absolvere valeat. S. Poenit. (*18 Apr. 1867*).

222. *Quid de illis Religiosorum* famulis *qui die noctuque intra monasterium et sub obedientia Religiosorum ipsorum, tamquam de familia et continui commensales vitam degunt?* Hi habentur ut exempti a iurisdictione Episcopi, et Regularibus aequiparantur, sed non ex toto. Possunt confiteri tum apud confessarios monasterii (quamvis non essent approbati pro saecularibus), tum apud confessarios saeculares. In primo casu non subiiciuntur reservationi episcopali, et nequidem (si quid opinor) reservationi regulari (quae pro solis religiosis et novitiis) statuta esse videtur. In secundo autem reservationi episcopali (ut dicit Lehmkuhl *II 403*) subiici videntur.

223. *Quid de reservatione* ***quoad moniales veri nominis,*** *scilicet votorum solemnium?*

I. Nihil dubii circa reservationes pontificias.

II. Si non exemptae sed subiectae essent iurisdictioni Episcopi, tunc reservationem dioecesanam, et si quam aliam Episcopus ipse pro illis specialem apposuisset, incurrerent. S. Lig. (*VI n. 602*).

III. Si essent exemptae et subiectae immediate Sedi Apostolicae, tunc, quia solent esse sub gubernatione Episcopi (tamquam eiusdem Ap. Sedis delegati), incurrerent reservationes quas forte Episcopus ipse pro illis statuisset.

IV. Si essent Regularibus subiectae, tunc incurrerent sui ordinis reservationem; simulque posset etiam Episcopus (ut patet ex Decr. S. C. C. *16 Nov. an. 1720*) reservationes statuere; attamen solum in materia quae clare eiusdem iurisdictioni (pariter tamquam delegato Sedis Ap. v. g. quoad clausuram) subiiciatur. Cf. Piat *P. IV C.* I *A.* IV *q. 12 et 13*).

224. *Quid de* ***impeditis,*** *quid scilicet de illis qui extra mortis articulum aliquo detinentur impedimento, propter quod ad S. Sedem pro censuris vel casibus S. Pontifici reservatis se conferre nequeant?*

Non ita pridem, antequam scilicet prodiret notissimum decretum S. C. S. O. die *13 Iunii 1886* (quod infra referam *n. 230*), circa huiusmodi impeditos, regulae quae tradebantur erant sequentes.

I. Mulieres omnes et viri fere omnes (nempe patres familias, filii familias, senes, pauperes, et quotquot sine gravi damno proprio vel suorum intra quinquennium Romam se conferre nequeunt) habentur tamquam *perpetuo impediti*, et soluti sunt prorsus a quovis onere se praesentandi ad S. Sedem pro absolutione et mandatis atque monitis recipiendis. Ita dicebatur a S. Lig. (*VII 88*) aliisque communissime.

II. Dictae personae (addebatur) nequidem per litteras ad S. Sedem

recurrere tenentur, dicente S. Lig. (*l. c. 89*): « An impediti adire Romam « in persona, teneantur adire saltem per epistolam aut procuratorem ?.... « Probabilior et communior est sententia negativa cum Roncaglia, qui « vocat tutissimam sententiam ». Roncaglia autem (*De censur. C. VII q.* IV) ulterius progriedebatur et dicebat, quod impediti adire Summum Pontificem personaliter, nedum non tenentur scribere ad S. Poenitentiariam, sed ne tenentur quidem adire alios Pontificis ipsius delegatos, quia agitur de privilegio, quo uti nemo tenetur.

III. Facultas (subiungebatur) absolvendi (et quidem *directe* et sine ullo onere) hos impeditos devolvitur ad Episcopum ; sed, si ad Episcopum quoque non facile se conferre valerent, ad quemlibet confessarium facultas devolveretur (S. Lig. *l. c. 92*). Imo, iuxta Palao (*De censuris I.* VII § *5 n. 6*), Roncaglia (*XIX.* VII *c. 3 q. 3*) aliosque, a quolibet confessario possent absolvi quamvis facilis ad Episcopum iisdem aditus esset ; sic enim (dicebant) intelligi debent verba capitis *Nuper* dicentis : *A suo absolvatur Episcopo vel proprio sacerdote.*

Si autem impedimentum esset non perpetuum (ut supra), sed diuturnum (nempe ultra sex menses), tunc (dicebatur) absolutionem dari quidem posse ab Episcopo directe, sed cum onere comparendi apud S. Sedem, cessato impedimento. Qui autem intra idem tempus ne Episcopum quidem adire posset, tunc pariter ad quemlibet confessarium (eodem onere remanente) facultas devolveretur.

Denique si impedimentum esset mere accidentale (eo quod nempe poenitens v. g. hic et nunc a communione vel missae celebratione absque infamia vel scandalo abstinere nequiret, atque adeo absolutione indigeret), tunc quilibet confessarius absolutionem quidem concedere posset, sed solum indirecte quoad peccata, et solum ad effectum recipiendi sacramenta quoad censuram, quae proinde relate ad alios effectus (donec absolutio a legitimo superiore reciperetur) integra remaneret.

Tales (repeto) in summa erant regulae antiquae, quae scilicet ante decretum *13 Iunii 1886* tradebantur.

225. Sed contra regulas istas difficultates et obiectiones gravissimae aderant.

Equidem ex capitibus *Ea noscitur: De monialibus: Pueris: De caetero: Mulieres: Relatum: Quoniam* et *Cum illorum,,* vere apparet quod illis antiquissimis temporibus (nempe saeculis XI, XII et XIII) mulieres omnes et viri fere omnes, qui, propter clerici vel monachi percussionem, in canonis excommunicationem (utique Summo Pontifici reservatam) incidissent, ita eximebantur (etiam extra mortis articulum) ab onere se praesentandi ad S. Sedem, ut nequidem per litteras ad illam recurrere tenerentur, sed possent ab Episcopo proprio absolutionem obtinere.

Aliquae tamen tunc quoque (ut videre est in Cap. *Mulieres: Relatum: Quoniam:* et *Cum illorum*) ponebantur exceptiones.

226. Quid fecerunt theologi ? Quod pro reservatione excommunicationis canonis (quae sola aut fere sola tunc vigebat) statutum fuit, et quidem (ut dixi) non sine aliquibus exceptionibus, ad alias omnes sive censurarum sive casuum reservationes, sequentibus saeculis usque ad *annum 1885* statutas, extenderunt et quidem sine exceptione ulla.

Hoc autem stare non poterat propter sequentes rationes.

I. Post illa antiquissima tempora pedetentim successit magna circumstantiarum mutatio ; quamvis enim nihil considerari vellet differentia (caeteroquin maxima) quoad superventam facilitatem itinerum, certe consideranda est facilitas recurrendi ad S. Sedem per litteras. Hoc medio dictis

temporibus longe difficilius quam postea negotia componebantur. Praeterquam quod enim fere nemo tunc scribere sciebat, et sacerdotes ipsi generatim (maxime extra Italiam) ignorantia summa laborabant, epistolae (deficiente servitio postali, quod solum saeculo XVII a Gubernüis introduci caepit, et paullatim ad perfectionem, prout hodie, perductum fuit) epistolae (inquam) nonnisi gravibus (et saepe gravissimis) expensis ad loca longinqua mitti poterant, diuque in itinere remanebant et periculis multis subiicebantur. Adde quod Romae tunc non aderant Congregationes, quae postea magnum subsidium ad promptam rerum executionem Romanis Pontificibus praebere caeperunt: unde temporibus illis magis magisque (et saepe per annos) responsa retardabant.

II. Pontifices, qui subsequentibus temporibus (nempe post saeculum XIII) censuras vel casus sibi reservarunt, solum articulum mortis semper exceperunt. Exempla. Bulla *Coenae:* « A praedictis nullus per alium quam « per Romanum Pontificem, *nisi in mortis articulo constitutus*, absolvi « possit ». Paulus II (Const. *Cum detestabile*) contra simoniam: « Sententiam « excommunicationis incurrant, a qua nisi a Romano Pontifice non possint « absolvi *nisi in articulo mortis* constituti ». Benedictus XIV Const. *Detestabilem*) contra duellum: « Incidat in excommunicationem, a qua non « possit, *praeterquam in mortis articulo*, ab alio, nisi ab existente pro « tempore Romano Pontifice, absolvi ». Pius IX (Const. *Apostolicae Sedis*): « Absolvere autem praesumentes sine debita facultate, etiam quovis prae« textu, excommunicationis vinculo Romano Pontifici reservatae innodatos « se sentiant, dummodo *non agatur de mortis articulo* ». Quum itaque adeo firmiter et constanter mortis articulus tantummodo exceptus fuerit, iam manifestum est quod (iuxta mentem Pontificis) alii casus (saltem pro locis vel temporibus vel circumstantiis in quibus sat facile fuisset scribere ad S. Sedem) excipi non debebant.

III. Pro articulo mortis vera adest necessitas; sed extra eundem articulum, non ita: tunc enim (saltem in circumstantiis modo dictis) suppetit tempus et modus recurrendi per litteras ad S. Sedem; et in casu urgentiori in promptu semper fuisset remedium absolutionis indirectae (Nunc autem S. Sedes adhuc melius decreto *13 Iulii 1886* huic rei consulit, ut *n. 232* videbimus).

IV. Praxis (quantum mihi coniicere licet), etiam ante dictum decretum, erat recurrendi reapse per epistolam ad S. Sedem: et de hoc, occasione voti pro adnexione Status Pontificii ad Regnum Italicum, solemnissimum exemplum habuimus, nulla enim facta distinctione inter impeditos et non impeditos, Episcopi facultatem absolvendi nemini dabant, sed semper a S. Sede facultatem expectabant.

V. Si legitimae fuissent regulae praedictae, mulieres omnes semper ab Episcopo absolutionem obtinere possent; sed tunc nonne insulse prorsus locuti fuissent Pontifices, dum dixerunt, excepto solo mortis articulo, non posse absolvi nisi a seipsis suisque successoribus mulieres pro quibusdam delictis, v. g. pro violatione clausurae? Sic Pius V dixit: « Districte « prohibentes mulieribus sub excommunicationis latae sententiae poena, a « qua non possint nisi a nobis, aut a Rom. Pontifice qui pro tempore « fuerit, absolvi, praeterquam in mortis articulo, ne dictas domos et mo« nasteria (religiosorüm) ingredi audeant.».

VI. Quum quidam Episcopus postulasset a S. Sede utrum facultatem haberet absolvendi moniales, quae propter violationem clausurae in excommunicationem Pontifici reservatam incidissent, teste Fagnano (v. *Decret.*

c. Dilectus. XV De temp. ord. n. 32). ei responsum fuit: *Negative.* Attamen moniales certe inter personas impeditas recensentur.

227. Sed, ut supra asserui, theologi dixerunt etiam quod impediti, si forte ne ad Episcopum quidem se conferre valerent, a quolibet confessario absolvi possunt; imo aliqui eo usque processerunt, ut idem verum esse dicerent, quamvis facilis ad Episcopum aditus esset. Praetendebant autem quod doctrina huiusmodi fundamentum haberet in iure; sed toto coelo errabant. Ratio praecipua est quod huiusmodi fundamentum non invenitur in textibus supra citatis, qui loquuntur de Episcopis tantummodo et non de simplicibus confessariis. Alii autem textus qui adduci solent, nempe Cap. *Nuper: Eos qui: Quod de his:* et *Quamris:* non sunt ad rem; prout in opere quod in iscribitur *De sollicitatione* (*Ed. II n. 487*) demonstravi.

228. Dato autem et non concesso quod praedicta doctrina in antiquissimis illis textibus fundamentum haberet; iam postea vim amisisset, ut ex dictis (*n. 226*) a fortiori patet.

229. Quod denique eadem doctrina nullatenus subsistere possit, patet quia iuxta ipsam reservationes pontificiae in praxi ad nihil vel fere nihil redigerentur. Ex una parte enim, ut supra *n. 225* vidimus, mulieres omnes et viri fere omnes ab obligatione recurrendi ad S. Sedem eximerentur, et ex alia a quovis confessario sine ullo onere comparendi (quamvis forte futurum esset ut impedimentum post quinquennium cessaret) absolvi possent. Interpretatio autem, quae legem ad nihil vel fere nihil redigit, legitima esse nequit. Idem dic a fortiori si vera esset doctrina illorum qui (ut supra vidimus *n. 224 II*) dicunt quod impediti adire Pontificem, nequidem ad habentes facultatem ex eiusdem delegationi speciali recurrere tenerentur. Hoc insuper mihi videtur esse contra Tridentinum, quod ait (*Sess. XIV Cap.* VII): « Extra quem articulum sacerdotes, quum nihil « possint in casibus reservatis, id unum poenitentibus persuadere nitantur « ut ad Superiores, et legitimos iudices (*cuiusmodi sunt certe etiam dele-* « *legati*) pro beneficio absolutionis accedant ». Nonne insuper S. Poenitentiaria in hunc finem praecipue instituta fuit, ut ad illam recurrerent quotquot per totum Orbem absolutionibus vel facultatibus etc. indigerent?

230. Observationes hucusque expositae prorsus inconcussae evadunt, et authenticae interpretationis valorem acquirunt ex decreto S. C. S. O. *23 Iun. 1886* quod omne dubium e medio tollit, viamque expeditam hodie omnino tenendam proponit: et est sequentis tenoris.

231. Quaer. I. *Utrum tuto teneri possit sententia docens ad Episcopum, aut ad quemlibet sacerdotem approbatum, devolvi absolutionem casuum et censurarum, etiam speciali modo Papae reservatorum, quando poenitens versatur in impossibilitate adeundi S. Sedem?*

232. Quaer. II. *Quatenus negative, utrum recurrendum sit saltem per litteras ad E.mum S. Poenitentiariae Praefectum pro omnibus casibus Papae reservatis, nisi Episcopus habeat speciale indultum, praeterquam in articulo mortis, ad obtinendam absolvendi facultatem?*

« E.mi ac R.mi Patres Cardinales in rebus fidei ge-
« nerales inquisitores, suprascriptis dubiis mature per-
« pensis, respondendum esse censuerunt:

« Ad I. Attenta praxi S. Poenitentiariae, praesertim
« ab edita Constitutione Apostolica sac. mem. Pii PP. IX,
« quae incipit *Apostolicae Sedis*, Negative.

« Ad II. Affirmative: at in casibus vere urgentiori-
« bus, in quibus absolutio differri nequeat absque periculo
« gravis scandali vel infamiae, super quo confessariorum
« conscientia oneratur, dari posse absolutionem, iniunctis
« de iure iniungendis, a censuris etiam speciali modo
« Summo Pontifici reservatis, sub poena tamen reinci-
« dentiae in easdem censuras, nisi saltem infra mensem
« per epistolam, et per medium confessarii absolutus re-
« currat ad S. Sedem. Facto verbo cum SS.mo ».

N. B. Circa decretum istud adsunt sequentes eiusdem S. C. S. O. authenticae declarationes.

233. Quaesitum fuit: « An Decretum S. Officii (*23*
« *Iunii 1886*) obliget ita, ut praxis ante hoc decretum
« servata, non sit deinceps toleranda? — S. C. S. O. die
« *30 Martii 1892* approbante Sum. Pontif. respondit:
« *Decretum diei 23 Iunii 1886 omnino obligare, pra-*
« *ximque contrariam tolerandam non esse* ».

234. Quaesitum fuit: « Utrum tuta conscientia docea-
« tur et in praxim deducatur, ut quidam volunt, propter
« hodiernum periculum ne aperiantur epistolae a potestate
« civili, non requiri ut epistola ad summum Pontificem
« dirigatur in casibus urgentioribus, vel quando adiri
« nequit Papa? — S. C. S. O. *6 Nov. 1888* respondit:
« *Negative, cum in precibus nomina et cognomina sint*
« *supprimenda* ».

235. Quaesitum fuit: « Utrum responsum ad I. valeat
« etiam pro casu quando poenitens fuerit *perpetuo* impe-
« ditus personaliter Romam proficisci? — S. C. S. O. die
« *17 Iunii 1891* approbante Sum. Pontif. respondit: *Af-*
« *firmative* ».

236. Quaesitum fuit: « Utrum in responso ad II. clau-
« sula *sub poena tamen reincidentiae in easdem cen-*
« *suras* etc. referatur solummodo ad absolutionem a cen-

« suris et casibus *speciali modo* S. P. reservatis, an etiam « ad absolutionem a censuris et casibus *simpliciter* Papae « reservatis? — S. C. S. O. die *17 Iunii 1891* appro- « bante Sum. Pontif. respondit: *Negative ad primam « partem, affirmative ad secundam* ». Aliud esse de casu articuli mortis, vide supra (*n. 205 IV*).

237. Quaesitum fuit: « An absolutio in casibus ur- « gentioribus, virtute decreti praelaudati data, directa sit « vel indirecta? — S. C. S. O. die *30 Martii 1892* « approbante Sum. Pontif. respondit: *Affirmative ad pri- « mam partem: negative ad secundam* ».

238. Quaesitum fuit: « Decreti responsio ad I. quae « sic se habet: — Attenta praxi S. Poenitentiariae, prae- « sertim ab edita Constitutione S. M. Pii IX quae in- « cipit Apostolicae Sedis, *negative*, — non videtur respi- « cere casus specialiter reservatos Summo Pontifici sine « censura; siquidem de his non agitur in Const. *Aposto- « licae Sedis*. Nunquid ergo integra manet vetus doctrina « theologorum dicentium, ab his absolvere posse Episcopos, « vel eorum delegatos, vel, ut vult Castropalao, simplicem « sacerdotem, quando poenitens Romam nequit petere, quin « scribere necesse sit? » S. C. S. O. die *7 Nov. 1888* respondit: *Negative.*

239. Quaesitum fuit: « Quando Missionario occurrit « poenitens censuris innodatus et transiens obiter, ita ut « missionarius non possit iterum poenitentem videre, num- « quid sufficit, posito casu urgentiori absolutionis, exigere « a poenitente promissionem scribendi, tacito si vult no- « mine, ad S. Poenitentiariam intra mensem, et standi « illius mandatis, quin confessarius ipse scribat? » S. C. S. O. *7 Nov. 1888* respondit: *Affirmative.*

240. Quaesitum fuit: « Utrum in casu quo nec infa- « mia, nec scandalum est in absolutionis dilatione, *sed « durum valde est pro poenitente* in gravi peccato per- « manere per tempus necessarium ad petitionem et con- « cessionem facultatis absolvendi a reservatis, simplici « confessario liceat a censuris S. Pontifici reservatis di- « recte absolvere, iniunctis de iure iniungendis, sub poena « tamen reincidentiae in easdem censuras, nisi saltem

« infra mensem per epistolam et per medium confessarii « recurrat ad S. Sedem? » S. C. S. O. *16 Iun. 1897* respondit: *Affirmative, facto verbo cum Sanctissimo.*

241. Eadem S. C. *(9 Nov. 1898)* sequens edidit decretum: « Quando neque confessarius neque poenitens « epistolam ad S. Poenitentiariam mittere possunt, et du- « rum sit poenitenti adire alium confessarium, in hoc casu « liceat confessario poenitentem absolvere etiam a casibus « S. Sedi reservatis absque onere mittendi epistolam, facto « verbo cum Sanctissimo ». Casus iste verificari posset speciatim occasione missionum, quando scilicet poenitens (qui scribere nesciat) ad sacerdotem missionarium (qui responsum S. Poenitentiariae obtenturus esset) redire nequiret.

242. Episcopi habere solent facultatem delegatam absolvendi ab excommunicatione 1° ob manus iniectas in clericum vel regularem; 2° ob duellum; 3° ob haeresim vel infidelitatem vel daemonis idololatricam invocationem; 4° ob violationem clausurae; 5° ob libros prohibitos; 6° ob sectas massonicas etc.; 7° Item a casu munerum quae a Regularibus acceopta fuissent. Sed haec omnia iuxta clausulas quae in pagella inveniuntur. Vide *Monitore Vol. IX.* II *pag. 54.*

Haec facultas de iure communicatur Vicario Generali, atque communicari potest (sed solum pro foro interno et actu sacramentalis confessionis) canonico poenitentiario et vicariis foraneis etiam habitualiter; item aliis confessariis (sed istis non habitualiter).

His praemissis, si in casibus urgentioribus data fuisset absolutio ab aliquo confessario a reservatis S. Sedi sub poena reincidentiae nisi absolutus infra mensem ad S. Sedem recurrat, eius mandata suscepturus, quaesitum fuit:

I. Utrum sufficiat in casu absolutionis, ut supra, concessae recursus ad Episcopum facultate absolvendi instructum; et quatenus affirmative;

II. Utrum sufficiat etiam in casu eodem recursus ad Vicarium Generalem Episcopi, tamquam ad Ordinarium facultatum Episcopalium de iure participem;

III. Utrum generatim sufficiat recursus ad quemlibet sacerdotem habitualiter subdelegatum ab Ordinario ad absolvendum ab his papalibus reservatis, a quibus poenitens fuerit, accidentaliter, ut supra, absolutus?

S. C. S. O. (*19 Dec. 1900,* apud *Monitore Vol. XII pag. 482)* respondit:

Ad I. et II. Affirmative, facto verbo cum SS.mo.
Ad III. Negative.

Haec tamen ita intellige ut dando sola monita possent quidem Episcopus et Vicarius poenitentem a quovis onere liberare, sed non alter sacerdos, qui solum audiendo confessionem et poenitentem sacramentaliter absolvendo, illum liberare posset.

Restat nunc ut questiones nonnullae, quae a S. Sede authentice solutae non fuerunt, hic exponantur.

243. Quaer. I. *Quum decretum dicat quod poenitens per epistolam et per medium confessarii recurrat, postulatur an confessarius ipse veram habeat obligationem sic adiuvandi poenitentem et scribendi ad S. Sedem?* Ephemeris *Il Monitore ecclesiastico (Vol. VIII pag. 183)* iure merito respondet affirmative, et quidem sub gravi, ita tamen ut poenitens expensas postales solvere teneatur. Ratio est quia agitur de medio quod evasit necessarium, et quod proinde confessarius ex officio suo adhibere tenetur.

244. Quaer. II. *Quid si confessarius absolute nollet scribere ad S. Sedem, et durum esset poenitenti alium confessarium adire?* Si confessarius ex summa ignorantia vel mentis suae confusione atque imbecillitate, ita intricatus esset ut crederet se non posse ad S. Sedem scribere, tunc quoque ageretur de casu iam a S. C. resoluto (ut supra *n. 241*). Si autem solum ex culpabili desidia, vel etiam bona fide, operam suam praestare recusaret (dum posset); tunc, si non daret absolutionem, infortunium esset poenitentis qui certe deberet ad alium recurrere. Si autem poenitentem absolveret, tunc de absolutionis valore (non obstante difficultate poenitentis recurrendi ad alium) quaestio esse posset.

245. Quaer III. *Quum certe (ut patet ex responso supra relato n. 238) scribendum sit ad S. Sedem non solum pro censuris, sed etiam pro casibus R. P. reservatis sine censura, cuiusmodi est casus calumniosae denuntiationis confessarii innocentis, postulatur an urgente necessitate ab hoc etiam dari possit absolutio cum onere intra mensem scribendi ad S. Sedem, et sub poena reincidentiae?* R. Absolutio dari poterit. Obligatio scribendi remanebit, sed (uti patet) non sub poena reincidendi in censuram

(quae non adest), bene vero sub poena peccati mortalis. Scribere autem oportebit (non obstante absolutione iam obtenta) ad poenitentiam congruam atque ad alia monita a S. Sede accipienda. Cf. Génicot (*Vol. III n. 347*).

246. *Quid de* ***reservatione non pontificia sed diocesana,*** *si poenitens sit impeditus; ad Episcopum scilicet se conferre non possit?* Pro certo teneri debet quod decretum S. O. (*23 Iun. 1886*) valet quidem pro reservatione pontificia sed non pro reservatione episcopali (vide *Monitore VIII 185*), unde quoad istam regulis antiquis standum est. Sed quaenam sunt regulae istae circa reservationem episcopalem? Sententia communis docet, extra mortis periculum, nullum impedimentum sive temporaneum, sive etiam perpetuum sufficere, utquis *directe* absolvi possit a casibus vel censuris Episcopo reservatis; poenitentem autem impeditum mitti debere ad aliquem delegatum; nec confessarium teneri facultate se munire (scribendo ad Superiorem), imo id non expedire censet Viva (*Prop. VII* Alex. VII *n. 8*). Concedunt tamen ut, urgente hic et nunc necessitate, absolutio (quamvis censura adesset) detur indirecte. Ita Lugo (*XX 225*), Suarez (*XXXIX.* III *12*), S. Lig. (*VII 92*), Viva (*IX.* II *9*), Tamburini (*De Poen. VII.* II), D'Annibale (*III 212 et I 308*), Potestas, Giribaldi etc.

247. Aliqui tamen (v. g. D'Annibale) admittunt quod, si impedimentum sit vere perpetuum, absolutio dari possit directe, quandoquidem huiusmodi impedimentum periculo mortis aequiparatur.

Alii censent quod absolutio, in casu impedimenti etiam temporanei, directe concedi valeat, quum in Cap. *Eos qui* (*XXII*) *de Sent. Excom.* dicatur: « Eos qui a sententia « canonis vel hominis (cum ad illum, a quo alias de « iure fuerant absolvendi, nequeunt propter imminentis « mortis articulum *aut aliud impedimentum legitimum* « pro absolutionis beneficio habere recursum) ab alio ab- « solvantur ». (Casus accidere potest speciatim in monialibus clausura impeditis; qua de re vide auctores apud De Alexandris *VI § 8*). Sane ubi eadem est ratio, ne scilicet propter dilationem poenitentiae periculum immi-

neat animarum (Cap. *Finali de Poen. et remiss.*), idem quoque ius adesse debet. Ita Sanchez (*Dec. II.* XIII *24*), Palao *XXIII.* XV § IV *3*), Roncaglia (*De Cens. I.* VI *5*), Sporer (*n. 750*), Diana (*I.* V *Res 18. 19*), Gury (*n. 565*), Ballerini (*ibi*) Bertagna (*II.* IV), Salmanticenses (*De Cen. II.* IV *46*, qui tamen *De poen. XIII 73* aliter loquuntur), Lehmkuhl (*II 413*) Bucceroni *Vol. II n. 800 8°*), *Monitore* (*XIV 92*) aliique. De his aliqui dicunt remanere onus se praesentandi Superiori quamvis de casu sine censura reservato ageretur; alii vero (ut Sanchez, Salmanticenses et Bertagna) dicunt hoc onus imponendum esse solum pro casu, in quo censura adsit et proinde de iure imponi debeat.

Neque praetermittendum est quod Palao (alios citans) apertissime docet et sustinet, absolutionem dari posse directe, quamvis de impedimento accidentali ageretur, ut puta, si poenitens, propter necessitatem communicandi aut celebrandi, absolutione indigeret. Roncaglia autem, postquam dixerit circa reservationes pontificias non obstare si forte poenitens delegatum adire posset, subiungit, reservationes episcopales pontificiis esse omnino aequiparandas.

248. *Quid igitur concludendum?* Plena resolutio huius quaestionis in theoria est difficilis; sed ad illam theorice solvendam immorari non refert; practice enim sequenti modo resolvitur.

Veniente poenitente cum casu ad Episcopum reservato, confessarius facultate destitutus dicat se non posse illum absolvere propter reservationem; eique suggerat ut ad Episcopum ipsum aut eiusdem delegatum se conferat. Hodie delegati solent esse multi, et sic ex una parte res componitur et ex alia id quoque obtinetur ut poenitens reservationis onus aliquo modo sustineat.

Si autem poenitens ad Episcopum eiusve delegatum se conferre non posset, vel id ei praecipere non expediret, tunc confessarius ipse facultatem petat, atque interim poenitenti dicat ut redeat.

Si denique poenitens, in casu urgentiori versaretur et hic et nunc absolutione indigeret, tunc confessarius directe a non reservatis et indirecte a reservatis, illum

absolvat; ita tamen ut vel se praesentandi ad alium sacerdotem qui facultatem habeat, vel redeundi ad seipsum facultatem petiturum, onus ei imponat.

§ VIII.

De quibusdam cautelis speciali animadversione dignis, et de interpretatione facultatis absolvendi.

249. *Quid de* ***cautelis adhibendis ab Episcopis?***

Praeter dicta (*n. 195*), facile (dico *facile*, non vero semper) expediet ut Episcopi, ne reservatio dioecesana, quae pro bono animarum instituta est, in earum perniciem vertatur, sequentes cautelas adhibeant.

I. Circa peccata communiora (si forte in tabella recenseantur) omnibus confessariis facultas concedatur.

II. Vicarii foranei omnes, et forte etiam omnes parochi, plenam circa casus et censuras reservatas (excepto uno vel altero casu) facultatem habeant; idque sit notorium.

III. Pro casibus urgentibus (v. g. pro novis sponsis, aut pro habentibus necessitatem hic et nunc communicandi aut celebrandi) reservatio cesset; gravi tamen eis denuntiata obligatione non expectandi ex industria tale tempus ad absolutionem carpendam.

IV. Cesset pariter reservatio durante quindena paschali, et in praecipuis anni solemnitatibus et celebrioribus indulgentiis.

V. Valeat absolutio toties quoties poenitens bona fide confessionem fecit et absolutionem recepit; remanente solum culpa in confessario si advertenter a peccato reservato, nulla iusta causa excusante, absolverit.

VI. Si forte detur facultas absolvendi ab omnibus casibus, uno dumtaxat vel altero excepto, cavendum ne casus excepti sint tales, ut, consideratis circumstantiis, petitio ab iisdem absolvendi plus vel minus apertam sigilli violationem facile includat (ut puta si pro confessariis ruralibus exciperentur solum peccata turpia parochorum cum parochianis perpetrata).

Quod reapse cautelae huiusmodi facile expediant, et forte omnino necessariae sint, patet non solum ex sensu theologorum, sed etiam ex praxi plurimarum dioecesium, ut videre est apud Suarez (*XXX*, III *13*), Bertagna (*II*. v), Berengo (*n. 105*), Bouvier etc.

250. *Quid de* ***cautelis adhibendis a confessariis?***

I. Si forte, dum poenitens venit cum reservatis, confessarius facultate iam sit munitus, expedire solet (ad maiorem incutiendum horrorem contra peccatum) ut illum admoneat de reservatione, quatenus, si facultatem non haberet specialem, ad S. Sedem vel ad Episcopum se conferre deberet.

II. Si autem facultate non sit munitus, expedire solet etiam, ut non statim ei suggerat remedium eundi ad talem vel talem eiusdem loci confessarium facultatem habentem, aut illico se paratum demonstret ad petendam licentiam; expedit enim ut poenitens onus quod sustinere deberet (se conferendi ad superiorem) serio perspiciat atque consideret. Attamen illum non dimittat, quin prius remedium ei indicet.

Saepe expedit ut confessarius eligat medium petendi facultatem (imo interdum, inspectis circumstantiis, ad id ex charitate teneri posset); et tunc integram confessionem audiat: quod utile esse solet tum ut cognoscat an poenitens sit absolutione dignus, tum ut ille securius redeat, tum denique ut pateat utrum de uno dumtaxat an vero de pluribus casibus reservatis agatur.

Si vero confessarius ad superiorem, vel alium confessarium, poenitentem omnino remittere vellet; tunc, audito primo peccato reservato, reliquum confessionis audire non deberet.

III. Si poenitens (v. g. miser sacerdos) ex una parte incidisset in casum, pro quo nollet prae nimia verecundia ad Episcopum se praesentare, et nollet etiam ut confessarius ab eodem Episcopo (v. g. quia de persona suspectum conciperet) facultatem peteret; tunc ad S. Poenitentiariam (tacito nomine poenitentis) scribere oporteret; et in petitione causa cur Episcopus non adeatur exponi deberet; secus enim S. Poenitentiaria non facile annueret.

IV. Quoad petitionem facultatis, cavendum est imprimis ne violetur sigillum; unde, si ageretur de casu circa quem publicae suspiciones adessent vel facile suborirurae forent; aut si quomodolibet ex circumstantiis Episcopus suspicari posset quisnam fuerit delinquens; tunc petere oporteret licentiam in genere absolvendi a casibus reservatis; et si Episcopus concessiset facultatem circa alia reservata, et tantummodo casum, de quo loquimur et de quo opus esset, excepisset; tunc, absque poenitentis licentia, confessarius neque expresse neque implicite significare posset superiori, casum exceptum esse sibi necessarium.

V. Expedit etiam ut in petitione numerus lapsuum non exprimatur, neque ut petitio ad sola peccata iam commissa restringatur; forte enim poenitens dictum numerum non bene expressit aut in novos lapsus incidere posset. Dicendum itaque: *Quidam poenitens petit ut possit absolvi a casibus reservatis (vel a tali casu reservato) pro una vice.*

Et notandum quod, si forte poenitens in confidentiam licentiae obtinendae peccasset, vel relapsus fuisset; haec circumstantia non esset necessario exprimenda, nec licentiam iam obtentam invalidam redderet; et ratio est quia absolute, non vero sub hac conditione, concessa fuisset.

Caeterum vide dicenda mox infra (*n. 252. 253*). Cf. Bertagna (*II.* v).

251. *Quid de cautelis adhibendis* ***ab ipso Superiore, ad quem fit recursus*** *pro facultate absolvendi vel pro ipsa absolutione?*

I. Superior (a quo licentia pro reservatis petitur) cavere tenetur ne faciat interrogationes, ex quibus periculum aliquod violationis sigilli suboriri possit.

II. In concedendis licentiis ordinarie facilis esse debet; idque speciatim si parum (et non ut supra *n. 249*) provisset; maxime vero si confessarius testaretur, reservationem in eo casu (nisi licentia concedatur) ruinosam esse; idque confirmatur etiam decreto Clementis VIII supra relato (*n. 221*). Si Episcopus nihilominus licentiam denegaret, facile contra officium suum boni pastoris graviter delinqueret. Scripsit S. Th. (*Suppl. VIII.* IV *ad 6*):

« Peccaret autem.... si non esset facilis ad praebendam « licentiam alteri confitendi; quia multi sunt adeo infirmi « quod potius sine confessione morerentur, quam tali sacer- « doti confiterentur. Unde illi qui sunt nimis solliciti, ut « conscientias subditorum per confessionem sciant, multis « laqueum damnationis iniiciunt et per consequens sibi ipsis ».

III. Superior (et idem dic de delegato) regulariter non potest, postquam audiverit peccata reservata, ab iis absolvere remittendo poenitentem ad inferiorem ut absolvatur ab aliis.

Dixi *regulariter;* si enim ex una parte Superior, v. g. propter impossibilitatem immorandi, integram confessionem audire nequiret, et ex alia poenitens nollet idem peccatum confiteri duobus; tunc Superior a reservatis absolvere et pro aliis (quae solum indirecte absoluta remansissent) ad inferiorem posset poenitentem remittere, ut dicit Lugo (*XV 75-79*); neque obstare *prop. LIX* ab Inn. XI damnatam docet Ballerini (*480 b*).

252. *Facultas absolvendi a reservatis, in dubio,* ***estne stricte, an vero late interpretanda?*** Si data fuisset generaliter pro quibuslibet poenitentibus atque adeo pro bono communi, tunc certe esset late interpretanda. Plures autem idem docent quamvis pro unico poenitente petita et concessa fuisset, quia esset gratia facta. Vide Bertagna (*II.* v).

253. *Quid aliud notandum* ***circa interpretationem*** *huius facultatis?* Praeter dicta (*n. 206 et seqq.*) notanda sunt sequentia:

I. Si facultas petita et concessa fuisset simpliciter *pro peccato commisso*, ad peccata post petitionem (quamvis forte ante concessionem) perpetrata, extendi nequiret. Si vero petita fuisset in genere *pro tali casu*, tunc facultas valeret etiam pro relapsibus quae post petitionem usque ad confessionem accidissent; nec obstaret si facultas data fuisset a S. Poenitentiaria, quae apponere solet clausulam *super praemissis;* id enim in sensu petitionis et quoad speciem, non vero quoad numerum peccatorum, intelligi debet. Bertagna (*II.* v *in fin.*) et Lugo (*XX 122-128*).

II. Facultas peti et concedi solet cum clausula *pro hac vice*. Id significat quod usus facultatis non solum restringitur ad unicam absolutionem, quae dabitur dum poenitens primo redibit; sed etiam, quod parum differri poterit, si novi lapsus locum habituri sint.

Forsan aliqua maior dilatio (non obstantibus relapsibus) tolerabilis erit, si Superior dixisset *pro una vice*.

Si autem novi lapsus non adsint, tunc Lugo (*l. c. n. 126*) docet, facultatem etiam post annum vel biennium valere posse.

III. Confessarius non potest uti pro se ipso facultate obtenta, ut nempe faciat absolvere seipsum; idque quamvis in petitione de industria dixisset: *Quidam poenitens petit ut possit absolvi a reservatis;* intentio enim Episcoporum est dandi sacerdoti petenti facultatem absolvendi; non vero delegandi alteri facultatem obtentam, maxime ut se ipsum absolvere faciat.

Excipe nisi expresse dictum fuisset: *Quidam poenitens petit ut possit sibi eligere pro libito suo confessarium, a quo absolvatur a reservatis.*

Excipe etiam nisi petitio, ut supra, directa fuisset ad S. Poenitentiariam, et illa facultatem absolvendi non praecise sacerdoti petenti sed cuilibet confessario approbato ab Episcopo loci concedat. Vide Lugo (*XX 119*).

§ IX.

De cessatione reservationis.

254. *Quid de eo qui ad S. Sedem, vel Episcopum, vel Delegatum se contulit; sed confessionem non integram, aut invalidam, aut sacrilegam fecerit?*

Si poenitens eo fine se praesentaverit, ad Superiorem vel delegatum, ut a reservatis absolveretur, plurimi docent reservationem auferri, quamvis *bona fide* confessio invalida fuisset, aut aliquod aliud peccatum reservatum *ex oblivione* fuisset omissum; durum enim esset quod pro hoc casu poenitens, qui laboris et difficultatis calicem

iam bibit, ut dicunt Salm. (*App. ad Bull. Cruciatae VI 299*), reservationis onus bis sustinere cogeretur.

Idem dic si res esset de censura reservata *bona fide* reticita; idque (nota) quamvis poenitens absque intentione recipiendi absolutionem a reservatis ad superiorem vel delegatum se contulisset. Ratio est quia unusquisque confessarius absolvit a censuris (sive accusatis sive ex oblivione reticitis) *per quantum potest et per quantum poenitens indiget;* quia censurae absolutioni peccatorum impedimentum (quoad licitum) apponunt.

Haec omnia vera sunt quamvis de Iubilaeo ageretur; ad fruendum enim gratiis in Iubilaeo concessis, non oportet ut quis de facto Iubilaeum lucretur, sed sufficit ut illud lucrandi sinceram intentionem habeat. Cf. Ballerini *n. 580 not. a*).

Multi (cum S. Lig. *n. 598*) censent peccatorum reservationem cessare, quamvis confessio facta apud superiorem fuisset sacrilega, dummodo peccata ipsa reservata Superiori accusata fuissent: tunc enim non esset cur poenitens ad illum rediret, quum iam ab eo ipso monita et poenitentiam recepisset. Ballerini (*l. c.*) dicit, hic quoque non esse excipiendum tempus Iubilaei, dummodo poenitens habuisset intentionem faciendi postea aliam bonam confessionem et lucrandi Iubilaeum, quamvis de facto haec non praestitisset.

Plures denique censent reservationem peccatorum auferri, quamvis poenitens, reservationem *oblitus*, apud Superiorem, sine ulla intentione absolutionem obtinendi a reservatis, confessionem fecisset; idque verum esse existimo si fuisset tempus Iubilaei, quia tunc Pontifex eos, qui Iubilaei lucrandi sinceram intentionem habent, et in hunc finem confessionem faciunt, ab omni reservatione liberat. Sed, praescindendo ab hoc casu, non video quo solido fundamento id dici possit. Nihilominus vide Lugo (*X 85-116*).

PUNCTUM VII.

De iurisdictione sublata quoad complicem.

255. *Quid sibi vult ablatio iurisdictionis propter complicitatem?*

Cuilibet confessario ablata est facultas absolvendi complicem, cum quo ipse commiserit peccatum *turpe* (quo verbo etiam turpiloquia intelliguntur); idque sub poena tum nullitatis absolutionis, tum excommunicationis speciali imo specialissimo modo Pontifici reservatae.

N. B. De hac re ordinarie pro praxi haec dicta sufficiunt; sed pro uberioribus explicationibus videri poterit aliud meum opusculum, cui titulus: *De sollicitatione et de absolutione complicis.*

ARTICULUS II.

De obligatione audiendi confessiones, necnon de sollicitudine confessarii officium suum bene exercendi; et quomodo promptum se praebere, omnesque sine distinctione libenter excipere debeat.

256. *Quid de* ***obligatione*** *audiendi confessiones?* Quomodo haec obligatio urgere possit ex officio, et ex charitate; et quidem etiam subinde (v. g. tempore pestis) cum gravi incommodo, satis patet ex dictis (*Vol. IV. n. 829 et sqq.*).

257. *Quid de confessarii* ***sollicitudine*** *bene exercendi officium suum?*

I. In negotiis omnibus bonus exitus ab hoc quam maxime pendet quod illa valde cordi sint. In hunc finem confessarius magna motiva quibus ad exercendum officium suum recte et libenter impelli debet, saepe saepius in mente habeat. A ferventi desiderio procurandi observantiam divinae legis, et omnimodam gloriam Dei, atque salutem animarum, unice moveatur; neque ullum alium respectum vel finem in corde suo admittat.

II. Expedit ut, toties quoties ad sedem confessionalem se confert, (quasi Angelus descendens ad Probaticam, in qua iacebat multitudo magna languentium, caecorum, claudorum et aridorum) huiusmodi intentionem efformet; illam postea identidem renovaturus.

Valde convenit etiam ut notissima oratione *Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam* (pro qua semel in die 100 dierum indulgentia adest) Deo se commendet. Cf. Scavini (*II 163*). Rituale dicit: « Priusquam « ad audiendum accedat, si tempus suppetat, ad hoc mi- « nisterium recte sancteque obeundum, divinum auxilium « piis precibus implorabit ».

Si autem tempus non suppetat, ad minus mentem ad Deum elevet, et brevissima prece eius auxilium expostulet, quod adeo necessarium est; multa enim sunt pericula non solum errandi cum spirituali poenitentium damno, sed etiam animae propriae detrimentum subeundi.

258. *Quid de* ***promptudine*** *qua confessarius se praestare debet?*

Rituale dicit: « Sacerdos ad audiendam confessionem « vocatus promptum facilemque se praebeat ».

Speciatim si ageretur de aliquo magno peccatore, aut de persona quae forsan ne in paschate quidem ad sacramenta accedere soleat, incommodo et sacrificio non parcat nullaque interiecta mora se praestet. Hae sunt aves quae in volatu capi debent. Heu quam saepe peccatores huiusmodi, una habita repulsa, plurimis annis et forsan tota vita in peccatis tabescunt et de sacramentis recipiendis nunquam amplius cogitant!

Supposita autem absoluta confessionem audiendi impossibilitate, confessarius displicentiam ostendat, et poenitentem roget ut alia vice (conveniendo de die et hora) redeat.

Vae confessariis, qui huiusmodi peccatoribus dicunt: *Ite ad vestrum confessarium; non habetis vestrum parochum? Cum illis, qui solum in paschate veniunt, tempus perdere nolo etc.*

259. *Quid de poenitentibus omnibus* ***absque distinctione*** *libenter excipiendis?*

Sunt qui personas nobiles libenter audiunt, et pauperes despiciunt. Sunt qui cum personis devotis libentissime immorantur, et miseros peccatores quantum possunt declinant. Sunt qui suos quidem consuetos poenitentes audiunt, sed alios audire nolunt, aut saltem aliquos acceptant, et alios repellunt.

Distinctiones nullae sunt faciendae. Sumus animarum piscatores; retia tendimus, et pisces omnes, qui adveniunt, capere debemus.

Repulsae sunt valde periculosae non solum in casu supradicto alicuius magni peccatoris, sed etiam in aliis. Qui ad te venit, hoc ipso ostendit suam confidentiam in te reposuisse, et forsan tibi accusabit peccata, quae apud ullum alium neque accusavit neque accusaturus erit.

Adde lamenta quae a personis reiectis fiunt; adde iudicia sinistra, murmurationes et zelotypias; maxime si, v. g. dum puellae retinentur et forsan quaeruntur, haec vel illa vetula acceptari nollet.

Aliqui poenitentes taedium et fastidium ingerunt. Oris graveolentiâ, v. g. vel surditate vel balbutie laborant; sunt ignorantes et stupidi, vel nimis loquaces, vel taciturni, vel scrupulosi etc. Plures confessarii hos declinant; sed valde male se gerunt.

Quid si sacerdos respueret poenitentem sive quia confessarium extraordinarium adiverit, sive quia redeat postquam longo tempore alio confessario usus fuerit?

260. *Quid de illis* ***mulierculis quae apud omnes confessarios in gyrum se conferunt,*** *et apud neminem stabiliuntur? Suntne respuendae?*

Negative. Non paucae, propter sua negotia et necessitatem se cito expediendi, confessarium stabilem habere nequeunt. Sed, praescindendo etiam a casu isto, poterit quidem expedire ut consilium de firmitate habenda apud unum confessarium eis detur; sed recolendum quod inter alias infirmitates spirituales haec etiam instabilitas recenseri debet. Fundatur in ipsa indole levi et volubili; atque ordinarie remedium non admittit; si enim huiusmodi mulierculae a te reiicerentur, ad alios migrarent; sed nunquid ab aliis quoque, nunquid ab omnibus reiici debent?

Minime sane. Ad summum itaque confessarius det eis praedictum consilium; sed illas non respuat. Consideret potius quod forsan magis aliis indigent, et sic forsan maiori cura adiuvandae sunt.

261. *Quid de illis* ***mulierculis, quae de confessario loqui solent;*** *et dicunt, v. g.; Meus confessarius talem vel talem interrogationem mihi fecit, hoc et hoc mihi dixit etc.?*

Mulieres plurimae, et speciatim devotulae, plus vel minus ita se gerunt. Nunquid ideo propter periculum istud devotulae omnes respui debebunt? Imo, si omnibus loci confessariis notum esset quod talis vel talis mulier dicto vitio laboraret, nunquid ideo ab omnibus reiicienda foret? Dicerem potius, caute cum omnibus et adhuc cautius cum quibusdam esse procedendum; vitio detecto, correctionem *indirecte, nempe ad modum instructionis*, fieri quidem posse atque interdum oportere; sed personam non esse reiiciendam, nisi forte ab illo ipso confessario, de quo ex levitate vel malitia periculose locuta fuisset, si vere de re momentosa ageretur.

In repulsa autem semper utendum esset aliquo praetextu, et cavendum ne motivum exprimatur; secus enim huiusmodi levissimae mulieres dicteriis et querimoniis ea de re finem non imponerent; cum illis de quibus suspicantur quod delationem fecerint, litigia instituerent; et forte confessarium ipsum fastidiis multis afficerent.

262. *Quid de illis poenitentibus qui* ***veniunt, quamvis proprium confessarium stabilem habeant?***

Pro una vel altera vice, et uno verbo si non agatur de confessarii mutatione, nulla difficultas in medium poni debet. Aditio confessarii extraordinarii ab omnibus vitae spiritualis magistris consulitur.

Si autem ageretur de stabili confessarii mutatione, tunc inquirenda essent motiva. Si illa non essent iusta, de mutatione non facienda consilium dari deberet. Si tamen poenitens notabiliter reluctaret, tunc *ordinarie* non valde insistendum; ex una parte enim agitur de solo consilio, et ex alia haec ipsa reluctantia non levem coniecturam suppeditaret quod confidentia imminuta fuisset. Adde quod

interdum personae huiusmodi habent reapse necessitatem seu iustam causam mutandi confessarium, quam tibi se esse significaturas sperant, quamvis hucusque illam tibi significare ausae non fuerint.

Dixi *ordinarie;* si enim, v. g. credendum esset quod, propter solam sympathiam erga te conceptam, muliercula suum bonum confessarium desereret; tunc firmiter respuenda esset.

263. *Quid si confessarius deprehendat quod aliqua poenitens* ***affectum erga seipsum conceperit?***

Videndum imprimis de quo affectu res sit.

Interdum affectus est mere spiritualis, quatenus poenitens (quae proprio spirituali profectui serio attendit) amat illum qui animae suae bonum procurat; et tunc non esset cur de repulsa loqueremur; et solum adhibendae essent cautelae (quae suo loco indicabuntur) ne affectus spiritualis in carnalem transeat. Idem dic si poenitens aliquibus quidem erga confessarium subiiceretur tentationibus; sed illis consentire non soleret. Attamen prudentia exigere potest ut poenitenti id manifestanti confessarius suggerat ut alteri sacerdoti prudenti rem totam exponat eiusque consilio stet.

Interdum e contra affectus ex levitate vanaque sympathia procedit aut etiam omnino carnalis est. Huius signa sunt speciatim si poenitens (personis fide dignis hoc referentibus) de pulchritudine confessarii, aut de amore quo erga illum afficitur, loquatur; si ab eo solo communionem recipere velit; si zelothypiam ostendat contra alias; si eius photographiam petat; si eius visitationes exoptet; si munuscula vel dulciaria ei praebeat; si (quin sit scrupulosa) pluries infra hebdomadam ad illum pro confessione accedat multumque in confessionali immorari satagat; si semper eum videre nimisque frequenter cum eo esse procuret etc.

264. In his casibus, si iam de evidenti malitia ageretur, sacrilega mulier severissimis verbis arcenda et ostiolum confessionalis ei in faciem claudendum esset.

Si autem malitia dubia foret, ita ut non constaret de intentione sacrilega in confessione praesenti, et maxime

si quod cum uno confessario ei accidit, accidat etiam cum aliis etiam senibus (prout contingere solet speciatim in illis mulieribus quae quavis levissima de causa veneree commoventur vel etiam vi naturae, atque adeo velint nolint, ad verum furorem heroticum transeunt), tunc (maxime si de misera moniali res esset) alia media adhiberi debebunt.

Utique casus huiusmodi difficillimi esse, atque confessarios in magnas tricas et angustias coniicere solent, etiam quia ordinarie immiscentur speciales circumstantiae, v. g. scrupuli, desperatio, criterii inopia etc. Nihilominus media sequentia (adhibenda quando possibile erit) deservire poterunt.

I. Confessarius procuret omnimodam brevitatem in materia turpi, parce admodum procedendo in interrogationibus, obtruncando sermonem etc.; et maxime caveat ne ipse quoque delectetur atque in longum sermones producat; tunc enim morbo non iam medelam sed fomentum adhiberet, et de miserrimae poenitentis ruina apud Deum seipsum etiam reum redderet.

II. Gravibus verbis de iudicio divino et de periculo aeternae damnationis loquatur; nec sit de illis qui hysterismo, defectui cognitionis, vi maiori etc. semper omnia attribuunt, semperque omnia excusant.

III. Respectum et venerationem sibi conciliet, atque efficiat ut vere tamquam homo Dei habeatur.

IV. Charitatem in modis, sed severitatem in substantia adhibeat; nec de coniicienda poenitente in desperationem nimis facile timeat. In hoc systemate firmus subsistat, et sic obtinebit etiam, ut poenitens, si forte malitiose ad illum accederet, ex se ipsa abeat.

V. Suggerat remedia, inter quae (praeter notissima) recenseri debet ut poenitens solitudinem, quantum fieri potest, nedum diurno sed etiam (imo praecipue) nocturno tempore evitet, dormiendo in cubiculo, ubi aliqua alia mulier dormiat.

VI. Regulariter non permittat accessum ad confessionem plus quam semel in hebdomada.

VII. Interdum bene deservire potest aliqua dilatio absolutionis, idque pendebit a circumstantiis ne peius accidat.

VIII. Facilius magna discretio adhiberi debet in permittenda communione extra diem confessionis; ne mulier, quae humilitate, cautelis et misericordia Dei adeo indiget, superbiam concipiat, omnia negligat, sacrilegia superaddat, Deoque invisam magis magisque se reddat. Si autem esset monialis, interdictio, ne in quibusdam diebus ad communionem accedat, contingere potest quod nedum expediens sed prorsus necessaria sit.

IX. Aliquando etiam circa moniales in praxim deduci poterit doctrina S. Ligorii, qui (*De sacr. in genere n. 61*) dicit quod de consensu poenitentis res ita componi valent ut dicatur *Corpus Domini Nostri* etc. et sacra particula ei non detur.

265. *Quid si, nullo defectu subsistente a parte poenitentis,* ***ipse confessarius*** *propter suam fragilitatem occasione illius (v. g. propter quorundam peccatorum carnalium accusationem)* ***tentationibus subiiciatur?***

Tentationes istae ordinarie non repellendo poenitentem, sed aliis mediis vinci debent; secus enim, praeter quam quod repulsa huiusmodi poenitentem (cui motivum significare nequiret) offenderet, et ipsum sigillum confessionis in discrimen coniicere posset; confessarius, ut plurimum, una reiecta poenitente, alias postea simili de causa (non sine angustia frequenti, dicteriis et detrimento suae existimationis) reiicere deberet.

266. *Quid* ***si existimes te non habere scientiam sufficientem pro tali poenitente,*** *ut scilicet talem vel talem personam recte iudices aut dirigas?* Potest dari casus rarissimus, in quo (propter difficultates speciales et circumstantias valde intricatas) rogare poteris poenitentem ut se conferat ad alium confessarium magis doctum, dummodo in loco facile inveniri possit, nec praesumi debeat quod ille quoque similem difficultatem in medium allaturus sit.

Caeterum regulariter, saltem prima vice, confessionem audire debes; dum enim illa persona ad te venit, hoc ipso demonstrat quod prae caeteris opera tua indigere credit et

confidentiam suam in te collocat, ut supra dicebam. Quisnam scit ne forte tibi revelatura sit aliquid, quod aliis revelare non audeat? Insuper, si esset bona regula recusandi audire confessionem propter huiusmodi motivum, tunc non solum a te sed etiam ab aliis servari posset; et sic personae, quae confessione magis indigent, difficile invenirent sacerdotem eas auditurum, unde propter timorem novae repulsae a sacramentis alienarentur. Audi itaque confessionem, et, si percipias te non posse conscientiae poenitentis, propter tuam ignorantiam, providere, dic ut redeat alia vice, dum interim, probatos auctores aut (de eius licentia, si opus sit) aliquem virum prudentem consulendo, ad rectum consilium ei dandum te praepares. Et si ne hoc quidem modo ei satisfacere valeres, tunc intra ipsam confessionem (non vero extra, ne frangatur sigillum) illi imponere deberes ut alium confessarium magis doctum adeat. Si annueret, et si hic et nunc absolutione indigeret, illum absolvere posses.

Si demum de mera directione spirituali ageretur, tunc consilium quidem ei dare posses de meliori directore adeundo; at vero, si libentius opera tua uti vellet, nec intra nec extra confessionem illum respuere, sed potius te Deo commendare eumque meliori modo possibili dirigere deberes.

267. *Quid de confessariis, qui* ***mulieres libentissime audiunt,*** *et, statim ac foeminam aliquam prope confessionale vident, ad illam (maxime si sit iuvenis) advolant;* ***viros autem quantum possunt declinant?***

Apertissime patet quod pessime se gerunt. Nunquid viri animam non habent? Nunquid confessione magis non indigent quam foeminae? Nunquid non solent habere peccata graviora? Eccur itaque differentia ista?

Sacerdotes huiusmodi palam faciunt quod (ad minus) laborem effugere satagunt, et a spiritu Christi, cui magni peccatores magis cordi sunt, longe aberrant. Dixi *ad minus*, interdum enim suspectum ingerere possent quod foeminae ipsis valde magis placeant, et quod ex sympathia confessiones audiant. Dedecus (ne dicam obbrobrium) magnum hoc est; et pessimas habet consequentias.

Praeter scandalum, quod ex hac agendi ratione ingeritur, accidit ut viri, qui ordinarie magis indigent et raro sacramentis reficiuntur, a sacramentis ipsis magis magisque alienentur. Occasione paschatis aut alicuius magnae solemnitatis vel indulgentiae summo mane adsunt in choro vel sacristia : sed sacerdotes non veniunt; dormiunt. Expectant ipsi et suspirant. Aliquis sacerdos tandem se praesentat. Occurrunt, petunt ut illos audiat. Respondet: non possum. Sumit stolam atque ad audiendas mulieres se confert. Venit alius sacerdos, et idem facit. Ex tali agendi ratione quid expectandum, nisi ut viri quamlibet sacramenta recipiendi voluntatem amittant et amplius non redeant ?

Equidem ecclesiarum rectores, sive statuendo ut hic vel ille sacerdos viros audiat, sive (saltem quando viri turmatim accedere soleant) determinando horas, in quibus de more soli viri a confessariis omnibus audiantur, huic rei providere deberent ; sed quomodo providebunt, si sacerdotes recusent ? Provideant itaque rectores, et sacerdotes libenter obediant.

Quando adsunt viri (et adesse solent summo mane, ut modo dicebam), non est cogitandum de foeminis. Ipsae maiorem habere solent patientiam, faciliusque expectant ; et si eo die sine confessione remaneant, hoc parum refert ; alia die redibunt.

Aliquando dum multi viri sunt in sacristia, aliqui sunt etiam ad confessionale, et tunc isti quoque ad sacristiam advocentur.

Si autem iam sit in more positum quod talibus vel talibus diebus et horis confessarii non sint in confessionalibus, bene vero in sacristia ad audiendas virorum confessiones ; ex tali more iam cognito tam viri quam mulieres regulam sumunt, et nullum omnino inconveniens oritur.

Advertendum est etiam quod viri melius intelligunt, magis serio procedunt, atque ex eorundem confessionibus (maxime si frequenter ad sacramenta accedant) maior fructus percipitur. Ipsi insuper in familiis et societate (v. g. officinis, scholis, municipiis etc.) officia magis momentosa sustinere solent etc. ; unde specialissima de iisdem cura haberi deberet. Rogo atque rogo ut ista considerentur.

268. *Quid de confessariis,* ***qui poenitentes quaerunt ?***

Si malum est poenitentes a se repellere, malum est etiam illos ad se advocare, idque speciatim si de foeminis iuvenibus agatur, et maxime de illis quae suum stabilem confessarium habent.

Pessime autem se gerunt illi stultissimi confessarii, qui animadvertentes aliquam poenitentem tempore consueto non rediisse, inquirunt quid acciderit, per aliam poenitentem illam ut redeat invitant, querimonias movent, et, quasi thesaurum amisissent, pacem non habent.

Si tamen ageretur de aliquo magno peccatore qui a longo tempore non esset confessus, aut de infirmo, bene expedire posset ut, introducto sermone de confessione, eoque paullisper disposito, sacerdos ei dicat: *Eia age, confiteamur nunc.*

Caeterum regula ordinaria haec esse debet: *Neminem quaerere, neminem repellere.*

269. *Praeter commoditatem poenitentibus praestandam,* ***estne aliquid aliud notandum?***

Curandum praecipue ut (quantum fieri potes) poenitentes non expectent. Horae sint fixae, et confessarii sint *prompti:* idque maxime si res sit de viris, ut modo dicebam, aut de personis quae necessitatem habeant se cito expediendi, cuiusmodi speciatim esse solent matres familias et famulae; maxime vero si, confessione nunc non facta, difficile esset quod cito essent rediturae. In hunc finem personae devotae diebus ferialibus audiantur, aut (si veniant quando magnus est concursus) citissime expediantur.

Christifideles ius habent ut sacramenta ipsis ministrentur. Sacerdotes non sunt sacramentorum domini sed ministri.

Quamvis poenitentes essent infimae plebis, nihilominus sacerdotes pro Christi amore promptissimum eis, quasi Principes essent, servitium praestent.

Nec solum prompte, sed manifestissime *bono animo*, omnes excipiantur. Hoc valde deservit ut poenitentes (speciatim magni peccatores, maxime vero si prae verecundia non facile propria peccata accusent) libenter accedant, propriamque conscientiam plena sinceritate confidenter aperiant.

CAPUT II.

DE MINISTRO ACTU CONFESSIONIS.

ARTICULUS I.

Principia generalia.

270. *Quaenam sunt officia confessarii actu confessionis?* Auctores communissime dicunt, confessarium exercere debere officium *patris*, *doctoris*, *medici* et *iudicis*, idque explicant sequenti modo.

271. Ut **pater,** debet amare poenitentes tamquam filios suos spirituales; ita ut 1° talis amor sit *spiritualis*

pro bono animarum, et cum cautela (maxime quoad mulieres) ne quidquam amoris carnalis immisceatur. 2° Iam inde ab initio confessionis excipiantur *aequaliter* omnes, sive pauperes, sive rudes, sive utcumque defectuosi, maxime vero magis indigentes atque magni peccatores. 3° Denique sit amor *non parcens labori, incommodo, fastidiis, sacrificiis,* sicut vere esset in bono patre erga filios suos.

272. Ut **doctor,** praeditus scientia sufficienti, debet instruere poenitentem, si circa rem aliquam cum confessione connexam *ab eodem interrogetur*, vel si utcumque advertat quod instructione aliqua in confessione praecise suppeditanda *omnino indigeat.* In instructionibus autem *prudentiam adhibeat* ut vere ei prosit, nec (sine fructu) a peccato materiali in peccatum formale illum coniiciat.

273. Ut **medicus** debet *cognoscere morbos* spirituales poenitentis, eorumque momentosas circumstantias, gravitatem, atque occasiones; simulque niti ut poenitens ipse *vere sanetur,* non solum procurando *ut disponatur ad absolutionem,* sed etiam *adhibendo remedia*, ut meliori modo possibili de facto emendetur.

274. Denique ut **iudex,** debet iudicare an poenitens sit *certe dispositus,* vel (non obstante exhortatione) *certe indispositus*, vel *dubie dispositus.*

Absolutionem in primo casu ei dabit (excepta circumstantia rarissima in qua oporteret aut valde expediret ut prius aliquid exequeretur); in secundo autem casu negabit semper; in tertio denique casu interdum differet, et interdum dabit sub conditione prout spirituale poenitentis ipsius bonum exigere videbitur.

Notandum est etiam quod confessarius ut iudex simul et medicus circa *poenitentiae sacramentalis* impositionem recte se gerere debet.

275. *Circa officium confessarii actu confessionis sufficitne haec regula sic summatim exposita?* Negative ob duas rationes. Prima est, quia pro praxi maior explicatio omnino exigitur. Secunda est quia in hac regula considerantur partes confessarii fere solum erga poenitentem, sed aliquando oportet etiam ut prae oculis habeat bonum publicum, cavendo v. g. ne talis vel talis personae

nimis frequens auditio, vel in quibusdam circumstatiis confessionis ipsius nimis in longum protractio, vel ipsa absolutionis concessio aut dilatio, aliquod scandalum aliudve publicum malum productura sit. Oportet etiam ut bonum sacramenti respiciatur, non solum consulendo eiusdem ritui et rectae prolationi formae, sed etiam advertendo ut in conflictu, si nempe bonum poenitentis talem exposceret agendi rationem quae plus vel minus in praeiudicium sacramenti cederet, aut si bonum publicum aliquid exigeret, quod cum bono sive poenitentis sive sacramenti non cohaereret; in hoc (inquam) conflictu, excepto casu poenitentis certe indispositi (qui profecto nunquam absolvi potest), bonum poenitentis bono sacramenti, et bonum publicum utrique praeferri debet.

276. *Quomodo itaque sufficienter exposita remanebunt ea omnia quae a confessario actu confessionis praestanda sunt?* In hunc finem agendum est singillatim de rebus sequentibus. 1° De interrogationibus. 2° De instructionibus et admonitionibus. 3° De remediis assignandis. 4° De exhortatione facienda. 5° De absolutione danda vel differenda vel deneganda. 6° De poenitentia imponenda. 7° De confessione generali. 8° De forma et ritu. Denique 9° de nonnullis aliis advertentiis, speciatim quoad diversa poenitentium genera, prae oculis habendis.

ARTICULUS II.

De interrogationibus.

PUNCTUM I.

De obligatione interrogandi.

277. *Interrogationes* ***cur sunt necessariae?***

Saepe saepius necessariae sunt 1° ad cognoscenda peccata; 2° ad cognoscendas obligationes poenitentis; 3° ad cognoscenda remedia; 4° ad cognoscendas dispositiones. Quatenus autem ad huiusmodi fines necessariae videantur, fieri debent sine dubio, nisi aliquid obstet.

S. Th. (*in IV.* XIX) dixit : « Sacerdos debet perscrutari conscientiam « peccatoris in confessione, quasi medicus vulnus et iudex causam ». Et Rituale dicit : « Si poenitens numerum et species et circumstantias pec- « catorum explicatu necessarias non expresserit, eum sacerdos prudenter « interroget ».

Dixi *nisi aliquid obstet;* interdum enim interrogationes, quamvis ad praedictos fines necessariae forent, periculum mali maioris v. g. poenitentem in malitiam coniiciendo, scandalizando, offendendo, nimio taedio afficiendo etc. (1), continere possunt; et tunc (prudentia id exigente) omitti deberent.

Interdum etiam, quamvis non debeant, tamen possunt omitti ; idque contingit si propter interrogationes aliquod grave et extraordinarium incommodum confessario obveniret.

Incommoda levia et ordinaria certe non excusant; sed non est ita de gravibus et extraordinariis. Casus esse posset, v. g. tempore pestis ; vel si confessarius, propter stupiditatem aut surditatem poenitentis, facta una vel altera interrogatione nihil percipere potuisset (S. Ligorius *Praxis n. 20*); item si confessarius ipse propter interrogationes aliquando gravibus tentationibus exponeretur. Si tamen nimis frequenter id accideret, non ideo posset (sicut pro casu raro) interrogationes omittere ; sed deberet dimittere officium aut aliis mediis sibi consulere.

Quod si sacerdos propriae matris confessionem (v. g. urgente periculo mortis) audire cogeretur ? Deberetne interrogationes facere etiam circa peccata probrosa non satis declarata? R. Efficere positive ut propria mater rubori huiusmodi subiiciatur, mihi videtur maximum incommodum, cui, tum quoad filium tum quoad matrem, natura nimis repugnat. Sed haec quaestio nunquam ab auctoribus (quod sciam) agitata fuit ; eamque sapientioribus resolvendam relinquo.

---

(1) Idem dic a fortiori si confessarius sciret, poenitentem esse unam de illis levissimis foeminis, quae confessionem traducunt, nempe de confessione et de interrogationibus sibi a confessario factis facile loquuntur. Cum huiusmodi personis, si forte interrogationes genericae non sufficerent, non ideo confessarius ad particularia in genere luxuriae (etsi necessariae viderentur) descendere deberet. Hinc scripsit S. Lig. (*VI 632*) « Interro- « gationes in materia castitatis debent esse paucae et cautae, ne confes- « sarius, vel occasionem det investigandi, aut traducendi confessionem, « aut ignorantem doceat, aut offendat, aut se vel illum periculo exponat ».

278. ***Sub qua culpa*** *tenetur confessarius interrogationes facere?*

Navarrus, Sporer aliique dicunt, teneri sub gravi. Hoc tamen cum mica salis intelligi debet.

Equidem si interrogationum (quae facile fieri possent) defectus talis ac tantus esset, ut confessarius neque statum poenitentis cognoscere, neque congrua remedia ei suppeditare valeret, multo magis si exinde ipse sacramenti valor in discrimen coniiceretur; tunc certe culpa gravis adesset.

Si vero ex interrogationum defectu sola integritas confessionis detrimentum pateretur, non quatenus confessio mere generica acciperetur, sed quatenus aliquae interrogationes (v. g. circa numerum peccatorum aut circa aliquam circumstantiam speciem mutantem; aut circa aliquas species infimas bona fide reticitas) omitterentur; tunc non credo quod culpa sit mortalis. Ita sentit etiam Gury (*Cas. Consc. II 667*).

Ex eo autem quod poenitens peccaret mortaliter, si mala fide aliquid huiusmodi reticeret, non sequitur quod confessarius quoque, interrogationes omittendo, mortaliter peccet. Praeceptum divinum de accusandis omnibus culpis obligat quidem graviter; sed respicit poenitentes, quibus propter peccata commissa confessio ad poenam et fraenum quam maxime necessaria est. Confessarii autem tenentur quidem procurare ut confessiones eorundem sint integrae, sed haec obligatio in ipsis non ex peccatis a se commissis, sed ex alio capite provenit; estque minus rigorosa; secus enim, si esset peccatum mortale vel unam ex huiusmodi interrogationibus omittere, tunc officium confessarii nimis onerosum nimisque periculosum et odiosum evaderet. Adde quod sola integritas sacramenti (praescindendo a dicta obligatione poenitentis propria) non obligat sub gravi, ut patet etiam ex casu satisfactionis levis, quae a poenitente non adimpleretur (vide dicta *n. 135 II*), vel a confessario non imponeretur. Lugo (*XXV 49*).

PUNCTUM II.

Regulae principales circa interrogationes.

279. *Interrogationes* ***quibus dotibus*** *praeditae esse debent?* Oportet ut sint necessariae, prudentes, modestae, tempestivae. Me explico.

I. *Necessariae*, quatenus nempe exigantur ad fines mox supra recensitos (*n. 277*). Hoc tamen non impedit quominus interrogationes non stricte necessariae fieri possint, dummodo sint *utiles*.

Caeterum sedulo servanda est regula ritualis dicentis: « Caveat « (sacerdos) ne inutilibus et curiosis interrogationibus quemquam detineat ».

II. *Prudentes;* cavendum est scilicet ne aliqua interrogatio potius in malum quam in bonum redundet, ut supra (*n. 277* v. *Divi*) innui, et infra minutius explicabo.

Quid de illis, qui, ut intelligant an foemina se polluerit, dicunt: *Sensistine te madefactam?* R. Haec interrogatio, praeter quam quod indecens est et valde male sonat, est etiam imprudentissima; in plurimis enim et fere omnibus foeminis non extrinsecus (sicut in masculis) sed intrinsecus pollutio accidit; unde eadem interrogatio curiositatem poenitentis multipliciter acuere posset. Adde quod facile est inutilis; ex una parte enim si poenitens significaverit se tactus impudicos perpetrasse, iam subintelligitur quod actum ad suum naturalem finem perduxerit; et ex alia plures foeminae madefactionibus sive naturalibus sive morbosis, modo sine ullo et modo inchoato solum sensu venereo (ut notant Capellmann et Lecompte), ad modum distillationis non libidinosae (Cf. *Vol. II 734*) facile subiiciuntur.

III. *Modestae*. Faciendae sunt nempe verbis modestioribus. Egregie scripsit Frassinetti (*Diss. XI*): « Quis « piae aut saltem sanae mentis sacerdos inter sacra Ec- « clesia septa, medius inter altaria, super quae immo- « latur Agnus Dei, in administratione sacramenti, quod « est lavacrum eiusdem Sanguinis, quis audeat et non « horrescat vocabula adhibere lupanaribus potius consona, « praesertim alloquendo mulierculas, ut exquisite exquirat « omnium spurcitiarum genera? ». Expressiones, quibus modeste interrogationes de quolibet peccato fieri possunt, non desunt.

Sic, v. g. ad intelligendum an adfuerit sodomia, sacerdos quoad personas eiusdem sexus dicere poterit: *Fecistine id tactibus, an vero modo peiori?* Et quoad personas diversi sexus: *Peccastine etiam contra naturam?*

Si autem confessarius in promptu non haberet nisi verba quae sacerdotali pudori non convenirent, tunc interrogationem omittere non solum posset, sed sub gravi deberet.

Circa modestiam et prudentiam interrogationum, notandum insuper quod aliqua expressio potest adprobari *in uno loco, et non in alio*. Sic, v. g. S. Lig. (*Pratica XXII 18*) dicit, foeminas non timoratas interrogari debere (inter alia) an, elevatâ tunicâ viros ad mala desideria provocaverint? Apud nos de tunicae elevatione interrogatio facienda non esset.

IV. *Tempestivae.* Ordinarie expedit permittere ut poenitens suam faciat confessionem, quin valde interpelletur; secus enim periculum esset non solum quod confundatur et aliqua peccata obliviscatur; sed etiam quod, magna inquisitione territus, reliqua dicere non audeat.

Dixi *valde;* nonnullae enim interrogationes quae parum interrumpant (v. g. circa numerum, dum poenitens aliquod peccatum mortale accusat) fieri possunt; imo expedire solet ut fiant, ne confessarius, si forte confessio in longum procedat, obliviscatur, et ne poenitens taedio nimiove rubore afficiatur, eo quod circa peccata probrosa iterum sermonem instituere cogatur.

PUNCTUM III.

De interrogationibus quae fiunt ad cognoscenda peccata.

Interdum confessarius est certus de peccato a poenitente commisso et non accusato. Interdum dubitat ne poenitens sacrilege peccata reticeat. Interdum advertit peccatum reticeri ex sola oblivione vel inadvertentia. Interdum denique poenitens accusat quidem peccatum sed non sufficienter. Explico singula.

§ I.

De interrogationibus adhibendis quando confessarius est certus de peccato commisso et non accusato.

280. Tres casus contingere possunt.

Primus est si *ex notitia sigillo sacramentali non subiecta* sciret, peccatum fuisse commissum; tunc enim, si poenitens nihil accusaret, confessarius valde insistere posset ope interrogationum, ut accusatio peragatur.

Prudentia tamen (maxime si propriis oculis poenitentem peccantem non vidisset) necessaria erit; nec semper deberet dicere ei rotunde: *Eccur non accusas tale vel tale peccatum quod ego iam scio te commisisse?* Non semper, inquam; idque maxime si poenitens graviter offendi posset; interdum enim informationes possent esse falsae, vel forsan poenitens formaliter non peccavit.

Secundus casus est *si notitia ex complicis sacramentali confessione habeatur.*

In hac hypothesi licitae erunt certe illae interrogationes quae etiam absque tali notitia factae fuissent, aut quae fierent sive cum licentia prioris poenitentis expressa et secundo significanda, sive absque ullo periculo quod de confessione illius suspectus ab ipso secundo poenitente concipiatur.

Si subsisteret periculum istud, theologi communissime dicunt interrogationes non esse faciendas; sed advertendum quod ageretur non iam de sigilli fractione directa quae utique nunquam licet; bene vero solum de suspectu, vel de usu scientiae confessionis, qui aliquando intervenire posset sine ullo gravamine poenitentis; idque verificaretur si omnino praesumi deberet illum esse contentum quod suus complex, non obstante tali periculo, interrogetur. Equidem ut plurimum contentus esse solet, ut ex praxi patet. Sed de re ista sermo redibit infra, ubi *De sigillo.*

Tertius casus est si poenitens significet se habere peccatum de quo verecundatur, sed non audere dicere quale sit. Tunc confessarius dicere poterit: *Ego te interrogabo, solumque tibi reliquum erit ut affirmative vel negative respondeas. Quando interrogatio circa peccatum illud de quo verecundaris versabitur, cave ne deneges; sed affirma, aut saltem tace; ego enim etiam ex solo silentio tuo satis intelligam.*

§ II.

De interrogationibus adhibendis quando confessarius dubitat ne poenitens peccata aliqua sacrilege reticeat.

281. Quaer. I. *Quaenam sunt* ***causae principales cur peccata sacrilege reticentur?***

I. Causae principales sunt *verecundia* et amor proprius (*superbia*).

II. Respicere solent speciatim *res magis probrosas,* nempe 1º Peccata carnalia. 2º Furta. 3º Relapsus valde iteratos (confitendo apud eundem confessarium), aut numerum magnum quorundam peccatorum. 4º Graves murmurationes contra confessarium ipsum. 5º Quaedam peccata rariora et horribiliora, cuiusmodi essent, v. g. bestialitas, percussio parentum, invocatio daemonis atque commercia carnalia cum eodem.

III. Verecundia et amor proprius causare possunt sacrilegam reticentiam peccatorum in quibuslibet personis (etiam valde piis, etiam sacerdotibus, et praecipue dignitariis), sed *frequentius in pueris;* item *in foeminis,* quae etiam difficile auderent se accusare de ebrietate, nec non si erga confessarium ipsum alicui turpi desiderio consensissent.

IV. Reticentia sacrilega possibilis esset (et aliquando contingit revera), quamvis poenitens omnino sponte et cum voluntate omnia peccata accusandi ad confessionem accessisset (aliud enim est peccatum confitendi propositum facere, et aliud est illud de facto confiteri); imo et quamvis spiritualibus motivis (v. g. occasione missionis vel in conspectu mortis imminentis) quam maxime urgeretur; vel in hunc finem praecise confitendi peccata probrosa longum aut longissimum iter (v. g. ad aliquod Sanctuarium) suscepisset; sed multo facilius intervenit quando poenitens ipse *aliquo humano respectu* ductus, plus vel minus coacte confiteatur.

Casus huiusmodi contingere posset accedendo ad confessionem modo ex impulsu genitorum, heri, magistri etc.: modo ex regula communitatis

(v. g. monasterii, seminarii, collegii etc.); modo ex timore ne (v. g. in parvis paroeciis ruralibus) parochus et parochiani observent si quis ad sacramenta non accedat, dum accedunt alii (et speciatim in paschate), aut dum ille talibus vel talibus diebus vel festis semper accedere solebat.

V. Cresceret periculum quando poenitens ex respectu humano, vel aliis de causis, non solum confiteri, sed etiam illos *confessarios, a quibus nimis, cognoscitur*, adire cogeretur.

Hoc accidere potest speciatim in parvis oppidis, ubi ex una parte pauci adsint sacerdotes, et ex alia confessarii alienigenae nunquam aut raro advocentur.

Idem dic a fortiori si poenitens talem vel talem praecise sacerdotem ita adiret, ut ad alium divertere difficile ei esset. Casum habes in difficultate mutandi confessarium, aut aliqua vice adeundi extraordinarium.

Poenitens (v. g. ruri) ad alias ecclesias se conferre non potest, atque adeo cogitur confiteri semper apud parochum.

Puella semper confitetur cum propria matre apud talem sacerdotem, nec audet dicere matri se velle confiteri apud alium.

Pia mulier timet ne confessarius miretur si die consueta ad illum non redeat, aut ei displiceat si ad extraordinarium identidem migret: et maxime si confessarius ipse de hoc indicia vel signa manifesta ei dedisset.

Nihil dico de conventibus, ad quos extraordinarii non mitterentur. Celebris est propositio D. Thomae, qui dixit quod aliqui potius sine confessione morerentur, quam tali sacerdoti confiterentur.

VI. Periculum adhuc magis adaugeretur si poenitens cogeretur confiteri apud sacerdotem, qui ratione conversationis, negotiorum etc. eiusdem domum frequentaret, vel utcumque *confessarius nimis familiaris* ei esset.

VII. Mulieres, si forte ob infirmitatem vel surditatem extra confessionale confiteantur, specialissimae subiici solent verecundiae, et maxime si, *de facie ad faciem* sic confitendo, confessarius manum aut sudarium non interponeret.

VIII. Periculum adaugeretur etiam si confessarius vel *in principio confessionis se cognoscere poenitentem* patefaceret; vel, audito gravi peccato, *admirationem aut horrorem* ostenderet, suspiria emitteret etc.; vel e contra erga eundem ostenderet *nimiam existimationem* (quasi crederet impossibile quod mortaliter delinquere potuisset).

Pessime itaque se gerunt illi qui, dum, audito v. g. sacerdote accusante culpam in se mortalem dicunt v. g.: *Hoc certe accidit in somno: tu non consensisti: sic dicis non quia sic revera feceris, sed ex scrupulo*

etc.; vel, audita pia muliere fornicationem accusante, dicunt: *Eia age: hoc verum esse non potest: culpam non habes: fuisti oppressa: accidit per vim etc.*

IX. Verecundia et amor proprius magis magisque sentirentur atque adeo confessionem turpium peccatorum facilius impedirent, si confessarius *voce nimis elata* loqui soleret, aut alii poenitentes essent nimis prope et audire possent.

Nihil dico si confessarius *circa sigillum* aliquas imprudentias commisisset, et proinde poenitens aliqua ei revelare non auderet.

282. Quaer. II. *Praeter causas principales verecundiae et superbiae, adsuntne* ***aliae causae secundariae,*** *quae peccatorum reticentiae occasionem dare possunt?* Affirmative; et sunt speciatim sequentes.

I. *Timor.* Do exempla.

1°) Si confessarius ad singula peccata, vel utcumque non finita confessione, ad correctiones procederet; speciatim si diceret, v. g. *Nonne te pudet huiusmodi peccata committere? Es bestia: es damnatus* etc.; maxime vero si vix audito peccato graviori statim ostiolum confessionalis in faciem illius clauderet.

2°) Si confessarius vel omnes loci confessarii essent in fama magnae rigiditatis et severitatis.

3°) Si poenitens timeret ne confessarius, tali vel tali re audita, obligationem valde ingratam ei sit impositurus, prout in adamantibus et sponsis de futuro facile contingeret.

4°) Si confessarius esset amicus vel benefactor poenitentis, qui timeret eiusdem benevolentiam vel protectionem amittere, vel utcumque illum offendere si tale vel tale peccatum eidem accuset; et idem dic si ex tali vel tali peccati accusatione personae dilectae (complicis) imminutionem existimationis apud confessarium reformidaret.

5°) Si poenitens pertineret ad communitatem v. g. monasterium, seminarium, collegium etc.), et, faciendo confessionem apud praelatum vel rectorem, timeret ne ille cum eiusdem gravamine, confessionis scientia abusurus esset. Vide dicta *Vol. IV n. 699.*

II. *Ignorantia.* Hoc accidit speciatim quando poenitens

vel credit accusanda esse peccata commissa ante usum rationis, aut in somno, aut sine advertentia, aut per vim, aut utcumque sine culpa formali; vel confundit tentationes cum consensu; vel existimat sub gravi accusanda esse quoque peccata venialia (v. g. exiguum furtum, verbum inconcinnum etc.), aut circumstantias probrosas quidem sed ad peccati substantiam non pertinentes etc.; vel nescit quibus expressionibus peccatum commissum significare valeat. Nihil dico de pueris, qui facile existimant quod confessarius eorundam matri vel magistro peccata sit revelaturus etc.

III. *Defectus timoris Dei* et incuria propriae spiritualis salutis.

IV. *Consuetudo mendacii officiosi;* unde fit ut poenitens sic habituatus, quando de peccato aliquo, de circumstantia, de numero etc. interrogatur, statim more suo mendaciter respondeat.

V. *Negligentia confessariorum,* qui non adiuvent, non interrogent etc.; vel nimiam festinationem aut taedium ostendant.

283. Quaer. III. *Confessiones ex peccatorum reticentia sacrilegae de facto* ***suntne multae?***

Distinguendum est inter locum et locum. In paroeciis valde corruptis atque spiritualiter incultis, et maxime si poenitentes ut plurimum cogerentur confiteri apud paucos eiusdem loci sacerdotes, sine dubio confessiones ex reticentia peccatorum sacrilegae multae et in proportione valde elevata esse solent. Sed in paroeciis bonis, et ubi confessarii abundant, quantitas et proportio est valde minor, etsi adhuc quoad pueros et personas valde timidas notabilis remaneat.

Aliqui scriptores (speciatim diebus nostris) has distinctiones non faciunt, et dicunt confessiones sacrilegas plurimas absolute et in proportione quam maxime elevata ubique esse. Heilig dicit *tertiam partem* poenitentium sacrilege confiteri reticendo peccata. Mach vero dixit esse saltem *medietatem*, et quidem ita ut in multis locis ad 60 vel 70, et alicubi ad 80 vel 90 pro centum sacrilege confitentium numerus ascendat.

Aderitne hic exaggeratio? Meo sensu, affirmative. Rationes sunt sequentes.

I. Ex praxi patet quod plurimae personae (speciatim coniugatae vel aetate provectae) peccata probrosa minime committunt, simulque quod plu-

rimi viri et non paucae foeminae, si peccata probrosa committunt, illa etiam accusant.

II. Protestantes dicunt, confessionem non esse institutionem salutarem, bene vero esse carnificinam et ruinam animarum. Sed si vera essent praedicta, ac tale ac tantum malum practice subsisteret, nonne rationabiliter sic dicerent; et longe melius fuisset quod Christus Dominus confessionem non instituisset et res sicut antea reliquisset?

III. Rituale dicit: « Suggerit ut omnia peccata sua rite et integre « confiteatur, remota stulta illa *quorundam* verecundia, qua praepediti, « suadente diabolo, peccata confiteri non audent ». Nunquid Rituale dixisset *quorundam*, si de multitudine adeo ingenti ubique ageretur? Barruffaldi, in commentariis ad Rituale, innuit quod verbum *quorundam* verbo *aliquorum* aequivalet.

IV. Plurimis annis, ego ipse missionarii munus exercens, pro systemate habui vehementer adhortari populum mane et vespere toto tempore missionis, enarrando semper exempla terrifica, ut unusquisque in missione ipsa accusaret peccata eousque in confessione reticita. Alicubi reperii quod confessiones sacrilegas propter hanc verecundiam fecerunt non pauci; non tamen iuxta illas proportiones elevatissimas quae supra indicatae fuerunt; atque insuper, sin minus ut plurimum saltem frequenter, agebatur de peccatis commissis in pueritia (quando forsan malitia non adhuc cognoscebatur), vel ita ut de gravitate poenitens nunquam admonitus fuisset. Alicubi e contra parum et fere nihil reperii. In bonis paroeciis in quibus ex una parte parochi sunt zelantes, et saepe exercitia spiritualia vel missiones populo suppeditant, et ex alia parochiani non coguntur confiteri apud parochum vel capellanum, sed migrare possunt quo volunt; confessiones sacrilegae (quantum mihi ex propria experientia constat) non solent esse multae. Imo interdum idem accidit etiam in paroeciis in quibus parochi non sunt zelantes, forte quia in quibusdam locis peccata carnalia (de quibus maior verecundia haberi solet) minus abundant, aut quia incolae ex indole propria sinceri et aperti esse, vel cum maiori serietate in rebus suis procedere solent; unde, si non essent dispositi, iam nullatenus ad confessionem accederent. Hinc mea persuasio est quod hac in re differentiae (etiam magnae) inter locum et locum vere subsistant et omnino recognosci debeant.

V. Hoc patet etiam ex natura rei; ubi enim peccatores non coguntur ad confessionem accedere, et, quando confiteri volunt, possunt pro libitu adire quemlibet confessarium, qui etiam illos minime cognoscat, quomodo peccata reticentes (atque adeo cum plena advertentia et sine ulla necessitate sacrilegia committentes) possent esse multi? Equidem (ut supra innuebam) huiusmodi casus tunc quoque dari possunt, sed multos esse non posse, patet ex simplici ratione quod daretur effectus sine causa sufficienti.

284. Quaer. IV. *Quomodo itaque, intuitu periculi ne poenitentes peccata reticeant,* ***se gerere debet confessarius?***

I. Caveat imprimis ne ipse, sua agendi ratione, huic reticentiae causam, seu occasionem praebeat; qua de re vide supra dicta (*n. 281* V. VI. VII. VIII. IX *et 282* I. V).

II. Quomodo autem positive se gerere debeat, iam Rituale ipsum dat regulas, quae sunt tres. Dicit 1° In-

quirat num rite atque integre alias confessus fuerit. 2° Fiduciam ei praebeat et humaniter suggerat, ut omnia peccata sua rite et integre confiteatur. 3° Quotiescumque opus fuerit illum adiuvet.

285. Quaer. V. *Quid de prima regula:* « ***Inquirat num rite atque integre alias confessus fuerit?*** Haec regula (uti patet) discrete et non quoad omnes poenitentes (v. g. sacerdotes vel utcumque cognitos tamquam bene instructos et sinceros) intelligi debet.

286. Quaer. VI. *Quid de secunda regula:* « ***Fiduciam ei praebeat etc.*** »?

Dicit S. Lig. (*l. c. n. 3*): « Hoc maxime efficiendum « ut eis animus praebeatur, et dicatur ne timeant, quia « ipse absolvet eos ab omnibus peccatis; et quod si omnes « conscientiae sinus aperiant, deinde maximam pacem et « consolationem conscientiae assequentur ». Et S. Leonardus (*Disc. mist. n. 7*) suggerit ut dicatur: *Eia age: dic: ne timeas: ne dubites: ego te adiuvabo, te consolabo etc.* Dicit catechismus rom.: « Quod, si poenitentes « timorem ostendant, hortando animos (eis) addere oportet, « monendique sunt, nihil esse quod vitia sua aperire « vereantur, nullique mirum videri debere, si intelligat « homines peccare; qui quidem communis est omnium « morbus, et in humanam imbecillitatem proprie cadit ».

Notandum quod saepe oportet animum addere non solum in initio sed etiam in progressu confessionis, dicendo, v. g.: *Ne timeas: dic graviora.*

Aliqui suggerunt, ut ad praebendam confidentiam confessarius ante confessionem paullulum loquatur cum poenitente de rebus ad confessionem non pertinentibus, ut nempe poenitens ipse tanta sermonis familiaritate allectus confidentius omnia pandat.

Sed regulam istam ego non probo. Est contra praxim generalem confessariorum, et ex hoc ipso admirationem induceret in poenitentibus, qui facile confessarium pro viro levi aut curioso haberent.

Adde quod regula huiusmodi conversationibus impertinentibus aditum aperit; et non raro (maxime quoad foeminas) efficit ut poenitens non iam confidentius omnia pandat, sed e contra magis verecundetur et sic graviora peccata reticeat.

Quod tamen in aliquibus specialissimis circumstantiis, et maxime cum viro aegroto qui confiteri nollet, medium huiusmodi bene deservire possit, concedi debet.

287. Quaer. VII. *Quid de tertia regula:* « ***Quotiescumque opus fuerit, illum adiuvet?*** ».

Aliqui scriptores, praedominati (ut supra vidimus) a persuasione quod peccata sacrilege reticentes sint in multitudine adeo magna ut iam fere omnes tales censeri debeant, consequenter docent quod necessitas interrogationum ad extorquendam confessionem adsit semper aut quasi semper; et quidem ita ut non sufficiat aliqua interrogatio, sed confessarius magnam insistentiam, astutiam, et exquisitas industrias, non iam in aliquibus specialibus et raris casibus (quod concedendum est), sed passim, et quidem ex vera et gravi obligatione, adhibere debeat. Dicunt v. g. quod, si poenitens sit in malitia constitutus, facile interrogari debet an aliquod peccatum turpe commiserit, et, quatenus negative respondeat, negatio ut plurimum pro affirmatione accipiatur, et suggestive dicatur: *Eia age, quot vicibus peccatum istud commisisti?* Si autem confessarius nesciat an poenitens (v. g. puer vel puella) sit in malitia, confessarius non iam (repeto) aliqua vice, sed passim, procedat ad interrogationes genericas et ambiguas, dicendo, v. g.: *Fecistine aliquam rem indecentem,* vel *impertinentiam,* vel *inverecunditatem,* vel *aliquem iocum pravum?* Vel: *Fuistine immodestus?* Vel: *Habuistine aliquam curiositatem?* Sive autem poenitens affirmative sive etiam negative respondeat, ei dicatur: *Quando sic fecisti aderatne* aut *viditne te aliquis? Fecistine id clam? Ubinam eras? Si te ita facientem vidissent genitores, quid tibi fecissent? Si te aliquis vidisset, nunquid rubore suffusus fuisses? Quid sunt indecentiae quas commisisti?* Habito autem aliquo indicio (etsi non certo) peccati turpis, confessarius dicat: *Intellexi; et, si vis dicere verum, peccatum istud tu nunquam in confessione accusasti, sed illud tacuisti semper prae verecundia: nonne est ita? Quod illud nunc confessus sis, nonne es contentus? Quo ivisses si hanc confessionem non fecisses et mortuus fuisses? Nunc ergo dic: Qua aetate res huiusmodi facere caepisti? Quisnam te hanc malitiam docuit?* etc.

Quod haec vel alia similis agendi ratio aliquando bonum effectum habere possit, imo expediat, vel etiam (pro-

pter indicia specialia) sit necessaria, admittunt auctores probatissimi cum S. Lig. (*Prax. n. 90 et Hom. Ap. App. IV* § 1 *n.* III).

Quod autem frequenter vel fere semper locum habere debeat, nego prorsus, ut dixi. Rationes sunt sequentes.

I. Ostendere suspectus quod poenitens peccata turpia commiserit, atque insuper illa reticeat et sacrilege confiteatur, facile potest illum offendere, atque efficere ut ad talem confessarium nunquam amplius redeat, ut facto et experientia patet.

II. Valde autem insistere ut confiteatur peccata, quae negat commisisse, de se aptum est ut magis offendatur.

III. Taedio insuper et molestia afficiuntur poenitentes, atque contingere potest quod (ut ita dicam) veluti torqueantur: et proinde ipsa confessio non parum odiosa reddatur.

IV. Poenitentes valde frequentius indigent auxilio confessarii pro rebus magis necessariis, nempe pro contritione et perseverantia; sed dictum systema facile efficit ut pro hoc auxilio eis praestando tempus et modus deficiat. Et notandum quod exhortatio fervens est etiam medium validissimum ut verecundia vincatur et peccata accusentur, ut ex praxi patet.

V. Postquam poenitens responderit negative, audiendo quod confessarius interrogat: *quot vicibus id fecisti,* confunditur, et facile credit quod haec interrogatio respiciat aliquid aliud quod prius dixerat; unde confessarius loquitur de una re, et poenitens intelligit de alia, et sic facile res eo desinit ut ambo confundantur, nihilque percipi possit: vel etiam ut confessarius credat poenitentem commisisse ea quae reapse non commisit. Consequentiae autem perniciosissimae esse poterunt; ut statim explico.

VI. Facile enim subsequetur periculum quod pueri, puellae et generatim iuvenes, in malitiam vel curiositatem coniiciantur. Sic autem confessarius, dum vellet adiuvare poenitentem removendo verecundiam, ei maximum praeiudicium inferret coniiciendo illum in malitiam.

Nihil dico de casibus, in quibus expediat ut poenitentes in bona fide relinquantur, et interrogatio improvide prorsus in malam fidem illos coniiciat. Haec autem nedum quoad pueros et puellas, sed etiam quoad alios contingere potest; unde v. g. scripsit S. Lig. (*Praxis* § *IV n. 41*): Circa

« peccata coniugum respectu ad debitum maritale, ordinarie (N.B) loquendo, « confessarius non tenetur nec decet interrogare, nisi uxores an illud red- « diderint, modestiori modo quo possit, puta, *an fuerint obedientes viris « in omnibus :* de aliis taceat, nisi interrogatus fuerit ». Et hanc doctri- nam probavit S. Poenitentiaria (*8 Inn. 1843*) apud Gury (*II 930*).

VII. Si confessarius passim vel frequenter responsum negativum pro affirmativo acciperet, tamquam surdus haberetur.

VIII. Systema huiusmodi facile efficeret ut confessiones nimis in longum (cum taedio etiam aliorum poenitentium apud confessionale expectantium) producerentur.

IX. Si confessarii ex vera obligatione sive gravi, sive etiam tantummodo levi, ita se gerere deberent, tunc confessio nedum poenitentibus (ut dixi) sed etiam confessariis ipsis odiosa redderetur; quod nequit esse de intentione Christi, qui, confessionem instituendo, utique intendere non potuit, ut poenitentium et confessariorum tormentum esset.

X. Confessio, veridica quae sic tandem obtineretur, ut plurimum non magni momenti esset; qui enim sunt habituati non solum in reticendis sed etiam in commitendis peccatis, sequentibus vicibus se gererent sicut antea, et in praesenti quoque confessione difficile contritionem haberent de sacrilegio quod hic et nunc committere volebant, quasi enim per vim peccatum accusassent.

XI. Quamvis autem praxis ita se gerendi cum omnibus aut fere omnibus efficeret ut numerus aliquantulum maior poenitentium peccata sic accusantium haberetur; lucrum istud damna et pericula supradicta non satis compensaret; nec profecto expedit nocere plurimis ad iuvandum aliquibus; hoc enim esset veluti perdere decem ad lucrandum unum.

288. Quaer. VIII. *Quaenam itaque sunt* ***speciales illae circumstantiae,*** *in quibus, etiam cum insistentia vel quibusdam industriis et astutiis, expedit ut, ad finem obviandi verecundiae poenitentis, interrogationes fiant?*

Hoc, intuitu particularium indiciorum, expedire solet in casibus sequentibus.

I. Si poenitens, ipso suo modo loquendi (v. g. adhibendo suspiria, verba dimidiata, trepidationem, titubantiam

etc.) signum praebeat quod ad accusandum aliquod peccatum confessarii auxilio indiget; ut notat Baruffaldi (*Commentar. Ritualis*).

II. Si confessarius animadvertisset quod poenitens aliis vicibus prae rubore peccata reticuit, vel solum interrogationibus adiutus illa accusavit.

III. Si poenitens ex una parte ostendisset se esse iuvenem vel puellam in occasionibus illecebrosis, sine oratione, sine sacramentis etc. vitam ducentem, et ex alia (quamvis a longo tempore ad confessionem non accessisset) nullum, ne cogitationis quidem, in materia *sexti* peccatum accusaret; ut notant Pallavicini (*Sacerd. Santif. Lett. I n. 19*), et S. Leonardus (*Disc. mist. n. 7*).

IV. Si persona coniugata (speciatim dives) circa matrimonii usum de nihilo se accusaret, et unum tantummodo vel alterum filium in primis matrimonii ipsius annis genuisset, atque adeo de onanismo gravissime timendum esset.

Reapse S. C. S. O. interrogata quid sentiendum sit de hac propositione : *Nunquam expedit interrogare de hac materia (onanismi) coniuges, etiamsi prudenter timeatur ne matrimonio abutantur?* Die *21 Maii 1851* respondit : *Propositionem, prout iacet, esse falsam, nimis laxam et in praxi periculosam.*

Caute tamen (dicendo v. g. an circa usum matrimonii aliquem conscientiae remorsum habeat) procedendum esset, ne forte poenitens sit in bona fide, et absque ullo fructu a peccato materiali in formale coniiciatur.

V. Si confessarius extraordinarius confessiones audiat in paroecia vel parvo oppido, ubi vel parochus et capellanus tantummodo vel utcumque pauci sint confessarii, et speciatim si agatur de pueris vel puellis, maxime vero si paroecia ipsa sit valde corrupta, inculta etc.

Hoc enimvero infertur ex frequentia sacrilegae reticentiae quae tunc passim notatur ab auctoribus, v. g. S. Lig. (*Hom. Ap. App. IV* § II *n. 6*), P. Io. Leieune (*Avvisi ai Parr. novelli* apud Zelle in opusc. *La Confessione L. I C.* III), Card. Giraud (*t. c. C. IV*), Mach (*Tesoro del Sac. P. II C.* VI). etc.

VI. Si agatur de moribundo (quod tamen uti patet, discrete intelligi debet). S. Lig. (*l. c. § I n. 3*).

289. Quaer. IX. *Quid (in casibus supradictis)* ***de modo practico interrogandi,*** *ut poenitens quanto minus fieri possit verecundiae subiiciatur, et sic facilius peccata sua confiteatur?*

Supponendo semper quod attentis circumstantiis non adsit periculum illum offendendi vel in malitiam coniiciendi, deservire possunt regulae sequentes.

I. Interrogare ad modum non dubitantis sed certe supponentis quod poenitens tale vel tale peccatum commiserit, interrogare scilicet, ut vulgo dicitur it. *a patto fatto;* dicendo, v. g. *Tu peccata turpia commisisti; nonne est ita?* Speciatim cum poenitente qui alia vice (maxime si cum magna difficultate) lapsus carnis accusavit, bene deservire solet si dicatur: *Tu multis vicibus commisisti peccatum consuetum; nonne est ita?*

II. Incipere a longe: dicendo, v. g. *Audisti sermones turpes: nonne est ita?... Habuisti malas cogitationes: nonne est ita?* Si puella habeat adamantem, confessarius dicere posset: *Hic iuvenis tibi dicit mala verba: interdum remanes sola cum solo: procedit ad aliquod osculum: non tenet manus suo loco: adsunt confidentiae etc.: nonne est ita?*

III. Supponere semper malum maius illo quod poenitens verisimiliter commisit. Exempla. Poenitenti v. g. qui verisimiliter solas pollutiones commisit, confessarius dicit: *Commisistine turpia cum viris? Cum mulieribus?* Illo autem negante, subiungit: *Solum itaque a te ipso peccata commisisti: nonne est ita?* — Poenitens verisimiliter fornicatus fuit viginti vel triginta vicibus; et confessarius, ne ille, interrogatus de numero, respondeat (prout ordinarie accidere solet) *aliquoties*, dicit: *Hoc peccatum commisisti octoginta* vel *centum vicibus*: *nonne est ita?* — Redit poenitens, qui identidem recidivus esse solet; et confessarius dicit: *Hac vice res valde male se habuerunt. Pravis cogitationibus consensisti innumeris vicibus: nonne est ita? Factis autem bis vel ter singulis diebus: nonne est ita?*

IV. Culpare modo diabolum, modo fragilitatem, modo virum tentatorem, modo socios etc., dicendo, v. g.: *Diabolus hac vice te valde tentavit: fragilitas est magna: quot vicibus cecidisti?* vel: *Ille socius proh quantum est pravus et malitiosus! Impudentiam habuit non solum*

faciendi tibi pravos sermones, sed etiam committendi tecum res turpes: nonne est ita?

V. Praeter interrogationes, valde bene deserviunt etiam confessiones sive generales sive annuales, ut ex praxi patet.

290. Quaer. X. *Quid* ***de cautelis adhibendis, ne*** *confessarius, dum vellet interrogationibus adiuvare poenitentem, illum* ***in malitiam coniiciat?***

I. De hoc valde timendum est speciatim quoad *pueros et iuvenes;* nec fidendum si dicant aliquid (forsan sine cognitione sensus sive auditum, sive lectum in libro praeparationis ad confessionem) quod malitiam redoleat. Puer quidam dixit se clam commisisse peccatum carnis cum sorore; et dicere intendebat se cum sorore carnem manducasse die veneris, idque fecisse clam, ne mater eos percuteret.

II. Nec malitia adest semper in adultis; non paucae enim reperiuntur personae adultae (speciatim foeminae caelibes) quae de rebus venereis nihil vel fere nihil sciunt.

III. *Stante incertitudine an poenitens sit in malitia,* interrogationes ita solum fieri possunt, ut poenitens ipse, si sit in malitia, intelligat; et, si in malitia non sit, nihil percipiet vel aliud intelligat. Huiusmodi sunt expressiones ambiguae et genericae, quarum exemplum dedi supra (*n. 287*).

IV. Supponendo autem quod poenitens *plus vel minus dignoscatur in malitia,* cavendum ne coniiciatur in malitiam maiorem. Quid enim si, dum puella se accusavit de cogitationibus, vel sermonibus, vel curiositatibus, confessarius illam aperte et libere interrogaret de tactibus, pollutionibus aliisque turpium peccatorum speciebus, quas forte adhuc ignorat?

Sedulo notandum non deesse poenitentes, qui ex quodam vitio (aut etiam quia iam inde a pueritia sic a matre instructi fuerunt) ad quamlibet interrogationem semper affirmative respondent. Dignoscitur hoc vitium si interrogati de rebus sive oppositis sive impossibilibus aut prorsus inverisimilibus (v. g. an semel, an centies, an millies tale vel tale peccatum commiserint) respondent semper affirmative.

Non desunt etiam pueri et iuvenes qui ex curiositate malitiosa cupiunt interrogari a confessario, ut addiscant ea quae adhuc ignorant; et pariter in hunc finem semper affirmative respondent.

Sunt etiam puellae adhuc magis malitiosae, quae sive ex libidine, sive ut postea in conversationibus rideant de confessario, non solum ad quaslibet interrogationes respondent affirmative, sed etiam ruborem fingunt et enixe petunt ut interrogentur.

V. Aliqui dicunt quod si puella aliqualis malitiae indicium praebeat, quaeratur ab illa an se ipsam ob meram delectationem tetigerit. Sed haec doctrina mihi non placet; nonne enim in pollutionis malitiam vel curiositatem illam sic coniiciendi magnum periculum esset? Verba itaque magis velata et generica adhiberi deberent, dicendo, v. g. an secum ipsa aliquid ex malitia commiserit, vel an fuerit immodesta; et, quatenus affirmet, an ita se gesserit non solum oculis sed etiam modo peiori?

291. Quaer. XI. *Estne aliquid aliud notandum circa modum se gerendi ut poenitens ex verecundia nihil reticeat?* Notari possunt sequentia.

I. Interrogatio: *Fecistine aliquid peius,* generatim valde bene deservire solet, ut, dum poenitens aliquod peccatum (v. g. osculum, amplexum etc.) accusavit, absque periculo illum in maiorem malitiam coniiciendi, cognoscatur an in eodem genere ad ulteriora (nempe tactus vel copulam) processerit.

II. Si ageretur de poenitente stabili, de quo dubium sit ne peccata reticeat, valde expedire solet ut confessionem generalem, vel annualem, faciat (ut supra innuebam); ex praxi enim apertissime patet quod huiusmodi confessiones mirum in modum deserviunt ut peccata omnia sincerissime accusentur, adiuvante confessario, qui dicere poterit v. g.: *Qua aetate in malitiam intrasti? Quaenam fuerunt primae res indecentes quas commisisti? etc.*

III. Insuper expedire non solet ut confessarius, de dicta reticentia timens, sic et simpliciter in initio confessionis interroget poenitentem utrum in praeteritis confessionibus peccata ex verecundia reticuerit; facillime enim id statim negabit.

Uxpedit potius ut ad praedictam confessionem sive generalem sive annualem (iuxta circumstantias) faciendam illum invitet. Si autem huiusmodi confessio iam aliis vicibus facta fuerit, vel quomodolibet poenitentem ad illam invitare non expediat; tunc confessarius, audita confessione, dicere poterit: *Tu certe habes aliquem scrupulum circa vitam praeteritam. Eia age; in hac confessione debes te quietare prorsus, et a scrupulis omnibus conscientiam tuam liberare. Nonne verum est quod aliquem scrupulum habes?*

IV. Interdum personae, quae iam sincerissime plurima peccata (etiam probrosissima et enormissima) accusa-

verunt, dicunt se habere aliquod aliud, ad quod accusandum se inducere nequeunt.

Animadvertendum est quod, etsi vere agi posset de aliquo delicto (v. g. de invocatione daemonis) vel de aliqua circumstantia mutante speciem vel enormiter aggravante, ut plurimum agitur de scrupulo, seu de re, quae (sive quia nullatenus fuerit peccatum, sive quia fuerit circumstantia iam implicite accusata vel parum mali superaddens) non sit necessario accusanda. Confessarius itaque interrogare poterit poenitentem, an, dum rem illam fecit, crediderit se graviter peccare, vel an propter illam circumstantiam habuerit specialem et magnum conscientiae remorsum. Si respondeat negative, dicat, ut quietus remaneat, nec esse necessarium ut quidquam accuset.

Idem dic de illis, qui in aetate nimis puerili turpia commiserunt, si forte illa explicare verecundentur.

Subiungat tamen confessarius: *Liber es: si vis tacere, tace; et si vis dicere, dic.*

§ III.

De interrogationibus adhibendis ne poenitens ex oblivione vel inadvertentia aliquod grave peccatum prorsus reticeat.

292. Si manifeste appareat, aut positive timendum sit, quod poenitens (etsi solum ex oblivione, et non ex malitia, ut supra) in materia necessaria non sufficienter se accusaret; tunc illum interrogandi (si prudenter fieri possit) **obligatio** aderit.

Frassinetti (*Diss. XI*), citans Lugo, docet quod si poenitens diligenter prout potuit se examinaverit, et nihilominus bona fide non sufficienter se accuset, tunc confessarius non tenetur eum interrogare.

Sed haec doctrina (sic absolute enuntiata) admitti nequit. Est enim contra rituale, et cedit in magnum praeiudicium integritatis materialis sacramenti, quam confessarius (utpote sacramenti ipsius minister) procurare tenetur. Est etiam contra sententiam communissimam theologorum; et certe Frassinetti perperam citat Lugo, qui (*XXII 18*) apertissime dicit: « Debere etiam confessarium interrogare eum, qui diligenter se examinavit, « si peccatum oblitus illud praetermisit: quia, si non esset interrogandus « qui satisfecit obligationi examinandi diligenter suam conscientiam, neque

« etiam esset interrogandus rusticus, qui multa omittit ob ruditatem et « ignorantiam; nam hic etiam diligenter se examinavit....; et tamen omnes « fatentur, rusticum esse interrogandum ». In textu autem a Frassinetti adducto (*VI 589*) Lugo dicit dumtaxat, quod gradus diligentiae, ad quem tenetur confessarius in interrogando, non est maior quam sit gradus diligentiae, ad quem tenetur poenitens in se examinando, quatenus ambo solum ad ordinariam et discretam, non vero ad extraordinariam et nimis onerosam diligentiam tenentur.

293. Dixi obligationem interrogandi adesse *si manifeste appareat aut positive timendum sit* etc.; et casus practicus esset, v. g. si poenitens diceret se interrogationibus indigere quia examen facere non potuit aut quia valde obliviosus est; aut si confessarius, advertens quod poenitens conscientia laxa laborat, vel negligenter se examinavit, vel a longo tempore non est confessus et multa peccata fecit mentemque valde confusam habet, perspiciat esse omnino necessarium ut illum adiuvet. Ita docent Roncaglia, Palao etc.

Sed, praescindendo ab his casibus, vera et gravis obligatio poenitentem interrogandi circa peccata confessioni iam factae extranea, non adest; secus enim obligatio de re nimis indeterminata scrupulisque quam maxime obnoxia confessariis imponeretur.

Attamen **de consilio** esse poterit si aliquae interrogationes superaddantur, speciatim circa munera proprii poenitentis status.

294. Loquendo de interrogationibus non stricte necessariis, caveat confessarius ne ridiculas, taediosas, offensivas, aut scandalosas interrogationes faciat; sed ordinarie *interroget solum de peccatis communibus et verisimilibus*, considerando aetatem, conditionem, statum, officium, sexum, regionem, et mores poenitentis, nec non tempus a quo non est confessus, aliasque circumstantias.

Quid enim si, v. g. nobilem matronam interrogares an se inebriaverit; an furta commiserit; an cum sacerdote peccaverit (1); an a confessariis sollicitata fuerit; an non solum in usu matrimonii aliquo modo deliquerit, sed praecise sodomiam cum marito perpetraverit etc.? Hinc D. Th. (*IV.* XIX) scripsit: « Interrogetur (poenitens) de peccatis quae « consueverunt in hominibus illius conditionis abundare ».

(1) Si positive timendum esset quod mulier cum sacerdote peccaverit, interrogatio fieri deberet a longe, dicendo, v. g. an etiam circa aliquam personam sacram pravas cogitationes habuerit?

Dixi *ordinarie;* interrogationes enim circa casus non communes fieri possunt (attamen semper modo prudenti) *in confessionibus generalibus* aut multorum annorum, semper ac de re non omnino inverisimili agatur.

Denique bonum consilium erit, si, finita accusatione (maxime circa materias probrosiores), poenitens interrogetur in genere, *en aliquid amplius in conscientia ei remaneat* (et interdum an aliquam abnormitatem, it. *stranezza,* commiserit); an vero sit perfecte quietus et tranquillus?

Si neget se esse tranquillum, aut si taceat vel haesitet; tunc adhuc magis adiuvandus erit, curando ut intelligatur qua in specie conscientiae remorsum adhuc habeat (v. g. an circa peccata solitaria, an vero circa ea quae commisit cum aliis etc.); exinde enim ad alias interrogationes (attamen solum si modeste et prudenter id fieri valebit) circa casus non communes et abnormes in ea specie contingentes procedi poterit.

Si autem poenitens, interrogatus de speciebus omnibus eo in puncto contingentibus, semper negative respondeat, et nihilominus dicat se adhuc non esse quietum, tunc magnum indicium seu certitudo moralis habebitur quod agatur de scrupulo et turbatione inani; unde confessarius dicere poterit non esse necessarium ut (non obstante turbatione illa) quidquam amplius accuset.

§ IV.

De interrogationibus adhibendis si poenitens ex conscientia laxa vel utcumque ex falso dictamine aliquid reticeat.

295. De re ista opportunius sermo habebitur infra, ubi agetur de instructionibus poenitenti suppeditandis.

§ V.

De interrogationibus adhibendis circa peccata quae poenitens accusat, sed non sufficienter declarat.

296. *Quandonam interrogationes ex capite isto poterunt esse* ***necessariae?***

Patet imprimis quod ordinarie non sunt necessariae interrogationes 1° quoad sola venialia; 2° quoad mortalia quae sine advertentia vel consensu commissa fuerint (si

nempe confessarius iam adverterit quod cogitationes turpes vel blasphemiae etc., a poenitente accusatae, sine culpa formali fuerint); 3° quoad poenitentem, qui in confessione facienda accuratus deprehendatur, neque ullum rationabile dubitandi motivum praebeat.

Poterunt itaque esse necessariae dumtaxat 1° si confessarius sensum verborum poenitentis non intelligat; 2° si poenitens species infimas mortalium non declaret; vel 3° eorundem circumstantias speciem mutantes aut aliter pro confessionis integritate explicatu necessarias certe aut verisimiliter reticeat; vel 4° eorundem numerum non explicet; vel 5° ambiguum relinquat an de mortali agatur. Adde 6° si non cognoscatur an adsit materia confessionis sufficiens. Sed haec sunt explicanda.

297. *Quid si confessarius* ***sensum verborum poenitentis non intelligat?*** Patet, de eodem sensu poenitentem esse interrogandum. Sed pro praxi notanda sunt sequentia.

I. Variae pro variis locis (ad hoc vel illud peccatum indicandum) expressiones adhibentur; unde oportet ut sacerdotes iuniores a provectioribus instructionem petant; maxime vero si quis ad alia loca, ubi diversum idioma (it. *dialetto*) adhibetur, se contulerit.

II. Loquendo de nostris locis, (N. B. ad instructionem confessariorum neotericorum, ut statim intelligant atque inutilibus et forsan periculosis interrogationibus parcant) nonnulla exempla magis practica hic suppedito (omissis expressionibus nimis plebeis, quas tamen etiam, si circumstantiae ita exigerent, cognoscere oportebit).

a) Vir dicit: *Peccatum commisi cum muliere;* et viceversa mulier dicit: *Peccavi cum viro.* Hoc intelligendum est non de solis tactibus, sed de copula. An tamen perfecta, an vero onanistica fuerit, ordinarie ambiguum erit. Sed practice extra usum matrimonii haec ambiguitas nihil refert; communissime enim inter solutos circumstantia onanismi non iam pro mutante speciem, sed pro peccati gravitatem diminuente, consideratur,

Sequentes quoque expressiones non solos tactus sed copulam significant: *Ivi ad mulierem: dormivi cum muliere: tractavi mulierem: rem habui cum muliere; feci matrimonium cum non mea; feci quidquid volui cum muliere; solatium coepimus; nobis invicem satisfecimus; confusi sumus;* Idem si mulier dicat: *Lapsa sum cum viro; passa sum a viro seduci; viro obsecuta sum; mecum fecit quidquid voluit; venit in lectum; honori meo respectum non habuit* etc.

Si autem vir diceret, v. g.: *Peccavi cum muliere, sed ei nihil feci,* vel *ei nihil facere potui,* vel *ei respectum habui,* vel *me retraxi,* vel *illa se retraxit,* vel *non proprie perrexi*... vel *solum supra vestes;* tunc copula consummata non fuisset.

b) Vir dicit: *Tetigi mulierem.* Haec expressio indicat tactus obscoenos. Idem intelligi debet si mulier diceret: *Permisi ut tangerer,* vel *tetigi virum;* aut si poenitens diceret: *tetigimus nos invicem.* Si autem expressiones essent de iocis (it. *scherzi*), tunc vel de tactibus obscoenis quidem sed superficialibus et fugacibus supra vestes, vel de aliis tactibus (v. g. in uberibus) res esset. Vir dicit: *Fui liber* (it. *sgarbato*) *cum muliere; non tenui manus suo loco;* mulier dicit: *Vir ad me pertingit, sed solum manibus;* vel *aliqua confidentia inter nos fuit.* Expressiones istae sunt ambiguae, et incertum relinquunt an de tactu levi vel fugaci, an vero de tactibus morosis et cum pollutione res fuerit.

c) Pollutio in corpore proprio procurata indicari solet sequentibus verbis: *Feci turpia a me ipso: me corrupi; me madefeci: satisfactionem* (it. *sfogo*) *mihi procuravi: stupratus sum a me ipso: tactus turpes a me ipso feci: inconcinnitates* (it. *sconcezze*) *a me ipso feci.* Idem dic (ordinarie) de illa simplici expressione: *Me tetigi,* vel *peccatum feci a ipso.* Notandum quod expressio it.: *Mi sono sconciata,* abortum significat. Expressio autem: *Fui immodesta,* est ambigua. Si poenitens, agens de peccatis commissis a se ipso, diceret, v. g.: *Non fui modestus, misi manus supra me ipsum ubi non decet;* hae quoque expressiones (maxime in foeminis) ambiguae sunt; saepe enim de solis immodestiis ex levitate, curiositate, aut quodam vitio (sine malitia procurandi commotiones carnales), agitur. Confessarius itaque dicere poterit: *Adestne malitia? Facisne id ex fine pravo?* vel etiam, si persona iam certe sit in malitia: *Acciditne aliquis turpis effectus?* Ambigua est quoque expressio: *Feci impertinentias.*

d) Quoad peccata commissa inter personas eiusdem sexus, videndum an poenitens loquatur de iocis (it. *scherzi*), vel de tactibus, vel de turpitudinibus. *Ioci* (maxime inter foeminas) indicant levitates, v. g. dum sibi invicem manus in sinum iniiciunt. *Tactus* indicant tactus in pudendis. *Turpitudines* tum eosdem tactus, tum sodomiam indicare possunt. Itaque expressio: *Turpia feci,* (quando agitur de peccato commisso inter socios) est ambigua, quatenus non certe sodomiam significat; unde poenitens (intellige si iam sit adultus et in magna malitia) sic interrogari poterit: *Res, quas facitis, fiuntne manibus; an vero etiam alio modo peiori?*

Notabilis est casus puellarum dicentium: *Fecimus medicum et infirmam;* vel: *Fecimus parturientem et obstetricem;* vel: *Fecimus puerum et nutricem.* In primis duobus casibus agitur de immodestia cum denudatione et tactibus turpibus: et hic iocus satis frequens in puellis solet esse principium malitiae multorumque peccatorum. In tertio casu agitur (uti patet) de solis uberibus atque ordinarie de inconcinnitate sine malitia gravi.

e) Quoad abusus in matrimonio, expressiones: *Vir non vult familiam,* vel *se retrahit,* onanismum; *immittit in os: me lambit: lingua utimur etc.* irrumationem (de qua aliquid dictum est supra *Vol. II n. 855. 876*) significant. Expressio: *Vir venit a retro* est ambigua. Significare potest vel sodomiam, vel copulam modo belluino peractam aut utcumque non proprie sodomiticam (Cf. *l. c. n. 872. 874*). Petendum erit an omnia sic contra naturam consummentur, an vero in loco naturali res finiatur. Ambigua quoque est expressio: *Manibus nos tangimus;* agi enim potest de tactibus ad copulam praeparatoriis, et de tactibus sine intentione copulae exercitis,

et sic vel cum vel sine periculo pollutionis (Cf. *l. c. n. 852 et seqq.*). Ambigua denique solet esse expressio uxoris dicentis: *me tangis*; forte enim ad complendum quod actu copulae defuit, ita se gerit (Cf. *l. c. n. 877 et seqq.*).

III. Quando poenitens ambigue se exprimit, interdum expedit illum inducere ut melius se exprimat; reservando interrogationes (non sine debita prudentia et modestia) ad casum in quo ab eo ipso explicatio sufficiens obtineri nequeat. Hinc confessarius dicere poterit: *Explica quid feceris*, vel etiam: *Quomodo fecisti?*

Verum est quod theologi passim notant, non esse inquirendum de modo quo peccatum commissum fuit; sed hoc non valet pro casu in quo poenitens interrogetur de modo ut species peccati intelligi possit.

§ VI.

De interrogationibus adhibendis si poenitens species infimas mortalium non exprimat.

298. Certe debet confessarius interrogare quando poenitens modo nimis generali se accuset, ut puta, si diceret: *Turpia feci* (quin distinguat an solitarie an vero cum aliis etc. deliquerit).

Quaenam autem advertentiae prae oculis haberi debeant quoad interrogationes, quae ad detegendas species infimas peccatorum diriguntur, satis patet ex dictis supra (*n. 47*).

§ VII.

De interrogationibus, quoad circumstantias speciem mutantes vel utcumque ad confessionis integritatem explicatu necessarias, adhibendis.

299. Imprimis recolantur dicta *n. 47 et 128*. Dein notentur vel inferantur sequentia.

I. Hic quoque applicanda est regula de omittendis ordinarie interrogationibus circa casus non communes, et speciatim si omnino inverisimile sit quod talis vel talis circumstantia in casu concreto locum habuerit.

II. Non oportet ut fiant interrogationes circa circumstantias, quae inutiliter exprimerentur; qua de re vide dicta *n. 46 III.*

III. Idem dic de interrogationibus quae confessionem nimis difficilem vel taediosam (iuxta dicta *n. 47 3°*) redditurae essent.

IV. Similiter non oportet ut fiant interrogationes circa circumstantias, quae, quamvis mutent speciem, tamen communiter non percipiuntur, aut fere nihil aestimantur, iuxta dicta (*n. 47 2°*). Scripsit Roncaglia (*V.* III): « Non « esse interrogandos poenitentes iuxta subtilitates (theo- « logicas), sed secundum quod cognosci solent ab illo poe- « nitentium genere ».

Sic fideles communiter quidem percussionem sacerdotis aut parentum; vel peccatum carnale cum huiusmodi personis, aut cum aliis stricta cognatione coniunctis, commissum; vel furtum rei sacrae etc., ab aliis percussionibus, aut peccatis carnalibus, aut furtis distinguunt; cognoscunt etiam circumstantiam scandali; sed plurimi rudes (ut *l. c.* notavi) videntur nihil aut parum aestimare ipsam circumstantiam adulterii (ut notat etiam S. Lig. *Praxis n. 39*), quam videntur apprehendere solum ut minuentem.

Videtur etiam quod *blasphemiam haereticalem* distinguant ab aliis blasphemiis solum propter maiorem enormitatem in genere iniuriae contra Deum, non vero propter peccatum contra fidem (de hac enim distinctione rudes nullum omnino indicium dant).

V. Hinc Pallavicinius eo usque processit, ut scripserit (*II.* IX *2*); « Confessarios in universum excusari posse ab onere interrogandi de cir- « cumstantiis etiam mutantibus speciem; nam aut poenitens in peccando « advertit ad malitiam specificam, et tunc eam non interrogatus aperiet...; « vel non advertit, ac proinde peccatum nec contraxit, nec explicare te- « netur. Quod si aliquando maior ad peccandum malitia, maiorque ad se « examinandum negligentia afferatur, non ob paucos hos eventus proba- « biles imponi debet hoc onus confessariis universaliter ».

Haec tamen Pallavicinii doctrina paulo laxior videri potest, et certe ad minus tutius est ut confessarius de circumstantiis magis obviis adulterii, incestus, scandali etc. interroget; quod etiam ad maiorem poenitentis tranquillitatem deserviet, ne scilicet, si postea addiscat illas circumstantias esse accusandas, conscientiae remorsu torqueatur, atque confessiones repetendas esse vereatur.

VI. Quidquid sit de hoc, certum est quod multo facilius circa species infimas communiter notas (Cf. *n. 46 I*), quam circa circumstantias speciem mutantes, confessarius veram et strictam interrogandi obligationem habet.

VII. Circa circumstantias aggravantes, etsi teneri vellet doctrina (Cf. *n. 128*) excludens obligationem eas accusandi, quamvis essent aggravantes enormiter vel utcumque magnam impressionem facerent. confessarius reminiscatur non tam opinionum theologorum, quam conscientiae poenitentis habendam esse rationem, qui, nisi illas explicet, vix ac ne vix quidem poterit remanere tranquillus.

Casus practicus accidit speciatim in furto circa materiae ablatae quantitatem si extraordinaria fuerit. Alius casus est si tactus genitalium (aut uberum foeminae) non manu sed ore peractus fuerit (Cf. S. Lig. *VI 935*). Attamen unusquisque videt quod in hoc ultimo casu interrogatio (quae speciatim iuxta supradicta *V in fin.* locum habere potest) nunquam facienda est sic et simpliciter, sed solum utendo saepe indicata interrogatione: *Tactus acciditne manibus, an vero alio modo?* Poenitentes interdum huiusmodi peccatum subindicant, illud appellando *osculum* cum indicatione partis; unde confessarius tunc dicere poterit: *Fuitne verum osculum; an vero aliquid aliud?*

Poenitentes credunt etiam explicare debere, quoad oscula, an fuerint simplicia et consueta: an vero in partibus insolitis (v. g. in uberibus, vel in pudendis, vel in ore linguâ introducta). Si itaque confessarius de hac re graviter pertimescat, postquam poenitens de osculis se accusaverit, dicere poterit (speciatim in confessione generali): *Fuerunttne oscula simplicia et consueta; an vero fuerunt interdum magis malitiosa?*

VIII. In praxi aliqua difficultas contingit quando confessarius interrogare debet circa copulam fornicariam et alios actos impudicos a copula distinctos.

300. Quoad copulam, si cum foemina innupta habita fuerit, passim monent inquirendum esse an fuerit consummata (it. *se l'atto fu compito?*), non tantum ut accusetur peccatum in sua specie, quantum ut (si vere consummata fuerit) confessarius de aliis rebus inquirere possit, et speciatim an abortus procuratio intervenerit.

301. Quoad alios actus impudicos, poenitentes proprio nomine illos indicare solent, accusando nempe amplexus, oscula, tactus (cum indicatione partis tactae) etc.; quin tamen de pollutione, aut de pollutionis periculo, aut de aliis circumstantiis (ex quibus dignosceretur an de peccato gravi vel levi agatur) quidquam dicant. Non raro enim res huiusmodi fiunt solum obiteri ex ioco et levitate. Similiter non explicant utrum tactus fuerint reciproci necne. Confessarius itaque interrogare poterit 1° Utrum hi tactus, amplexus etc. facti fuerint cum malitia gravi? 2° Utrum fuerint reciproci?

302. Sed quid de illis, qui, facientes confessiones generales aut longi temporis, accusatis fornicationibus vel adulteriis, de his actibus incompletis nihil dicunt?

R. Interrogari debent, utrum, quando actum completum facere non potuerunt aut noluerunt, ad alia (v. g. amplexus, oscula, et confidentias liberiores vel turpes) diverterint. Habita responsione affirmativa, ad summum interrogentur ut supra; utrum scilicet in rebus huiusmodi adfuerit malitia gravis, et an tactus graviter malitiosi fuerint reciproci.

Notitia magis distincta (N. B.) non est necessaria, quia peccati species et gravitas sic sufficienter (saltem quantum practice et moraliter fieri potest) quaesita iam fuit; et alioquin, si confessarius minutius interrogaret, facile periculo se exponeret, et forsan (maxime in viris) taedium et admirationem ingereret. Hinc Navarrus (*V 4*) scripsit: « In peccatis carnalibus (confessarius) non nimium « descendat ad peculiares circumstantias.... , ne seipsum « aut poenitentem ad aliquam delectationem alliciat.... « Consequenter summatim tantum debet interrogare de « osculis, amplexibus aliisque tactibus impudicis ».

§ VIII.

De interrogationibus circa numerum.

303. De hoc sufficiunt supra dicta (*n. 50 et seqq.*).

§ IX.

De interrogationibus directis ad intelligendum an peccata poenitentis sint gravia aut levia.

304. Certe procurare debet confessarius ut statum conscientiae poenitentis sufficienter cognoscat, et praecipue (quantum possibile et necessarium erit) animadvertat an et quaenam habeat peccata mortalia (quae, uti patet, seria medela indigent).

Saepe poenitentes rudes dicunt: *Pater, blasphemavi; quamdam personam odio habeo; habui cogitationes tur-*

pes; feci iudicia temeraria; filiis meis mortem vel etiam infernum imprecatus sum; tali vel tali vigilia carnem manducavi; furta domestica commisi; missam die festo non audivi; me tetigi etc. Prima fronte multa peccata mortalia hic adesse videntur; sed interdum contingere potest (maxime in illis personis quae Dei timorem habent) quod nihil grave reapse adsit. Forsan enim poenitens non veras blasphemias (sed solum verba platealia) protulit. Forsan pro odio significare intendit quamdam contra personam maleficam aversionem sive mere naturalem et non voluntariam, sive talem ut nullum malum grave ei exoptet aut charitatis obligationibus graviter deficere intendat. Cogitationes turpes forsan involuntariae fuerunt. Iudicia temeraria forsan reapse temeraria non fuerunt, aut non mortalia, aut poenitens sine reflexione ea concepit. Imprecationes contra filios et alios, etsi fuissent de malis gravissimis, tamen facillime ore dumtaxat et non ex corde (nisi de offensione maxima recepta et de acerrimo odio ageretur), aut sine reflexione ad culpam, prolatae fuerunt. Comestio carnis in vigilia forsan accidit quia poenitens tunc quod vigilia esset in mentem non habebat aut aliqua necessitate excusabatur. Furta domestica forsan fuerunt ad emendas rés necessarias. Missa forsan propter impossibilitatem audita non fuit. Tactus forsan fuerunt propter necessitatem aut sine malitia gravi.

E contra aliquando verba poenitentis credere facerent, peccatum fuisse veniale, dum reapse mortale fuit. Exempla. Vir dicit: *Cum foemina nugatus sum* (it. *ho scherzato*); *aliquod pugillum tritici furatus sum; propter vinum laetatus sum.* Puella dicit: *Feci ineptias cum socia; vanitatem habui.* Mulier dicit: *Non multum concordiam servo.* Sub his expressionibus foeditates, furta gravia, ebrietates, immodestiae scandalosae, et discordiae graves latere possunt.

Opportunae interrogationes itaque (intellige si vera detur in re gravi ambiguitas) fieri debebunt.

In praxi tamen, speciatim quando agitur de solis sermonibus, aut cogitationibus, aut osculis, aut tactibus non obscoenis, maxime si de personis rudibus res sit, non

solet esse facile distinguere an peccata fuerint mortalia an vero venialia; neque semper modestia et prudentia sinit ut poenitens interrogetur an cum periculo pollutionis haec perpetrata fuerint. Confessarius itaque angi non debet, et faciat solum illas interrogationes quae sat faciles videntur; idque maxime si poenitens alio confessario stabili utatur, aut non sit habituatus, aut quomodolibet non oporteat ut illo in puncto cura specialis impendatur.

Ut plurimum confessarius dicere poterit: *Aderatne malitia magna? Credebasne te peccare graviter?*

§ X.

De interrogationibus directis ad cognoscendum (quoad personas pias) an ea, quae accusata fuerunt, materiam sufficientem confessionis constituant.

305. Quod interrogationes ex vera necessitate fieri debeant ad cognoscendum an adsit materia sufficiens, in praxi vix contingit, quandoquidem per accusationem peccatorum vitae praeteritae huic periculo consulitur. Vide supra dicta (*n. 78 et seqq.*).

Sed de interrogationibus directis ad cognoscenda peccata, iam satis.

PUNCTUM IV.

De interrogationibus directis ad cognoscendas obligationes, remedia, et dispositiones.

306. *Quid de interrogationibus* ***ad cognoscendas obligationes?***

Huiusmodi interrogationum necessitas adesse poterit ad detegendum an poenitens teneatur ad evitandam aliquam occasionem, vel ad restitutionem, vel ad famae aut scandali reparationem, vel ad externam cum inimico reconciliationem, vel ad aliquam denuntiationem etc.

Excipe nisi ex una parte poenitens esset in bona fide, et ex alia his interrogationibus in malam fidem sine spe

fructus illum coniicere non expediret, ut melius infra explicabitur.

307. *Quid de interrogationibus* ***ad cognoscenda remedia?*** Sunt praecipue quae fiunt ad detegendas causas et radices peccatorum. Sic, v. g. causae pollutionum saepe saepius, praeter libidinem, sunt cogitationes, sermones, lectiones etc. Et, si foemina peccet cum viro, causa esse possunt vel libido; vel miseria; vel pecunia quam forte recipiat; vel timor perdendi benevolentiam heri aut (si esset mulier rusticana) domini fundi aut ministri (atque adeo subeundi damna etc.); vel timor contristandi adamantem et perdendi occasionem matrimonii; vel amor et sympathia (quia nempe ille vir sit iuvenis atque pulcher, bonusque ei videatur); vel vanagloria; vel denique timiditas et levitas quae in foeminis est ita naturalis, ut aliquae requisitae (etiam de rebus huiusmodi) speciatim cum aliqua insistentia, non audeant recusare. Omnes autem norunt quod causae peccatorum sunt habitus pravi, incuria et negligentia (non adhibendo media salutis), maxime vero occasiones proximae sive voluntariae, sive necessariae, sive in esse, sive non in esse.

308. *Quid de interrogationibus,* ***ad cognoscendas dispositiones?***

R. Si confessarius iam sit moraliter certus quod poenitens legitimum dolorem et propositum afferat, tunc nulla in hunc finem interrogatio necessaria erit; secus si grave dubium de dispositionis defectu subsistat.

Huiusmodi dubium ex duplici capite oriri potest, nempe vel *ex effectibus* vel *ex causis* poenitentiae deficientis.

Effectus sunt, nulla emendatio, nullus emendationis conatus, et nulla mediorum applicatio.

Causae sunt ignorantia, inadvertentia, et magnus affectus seu magna adhaesio ad aliquam culpam.

Porro si effectus poenitentiae deficientis non conspiciantur, credendum erit poenitentiam veram subsistere. Et idem dic si nulla conspiceretur ex illis causis, quae poenitentiam impedire solent.

309. Theologi suggerunt communiter ut considerentur

effectus, et iuxta hanc methodum poenitens esset interrogandus, an aliis vicibus de iisdem peccatis confessus fuerit, et an post confessionem aliquo modo se emendaverit, aut remedia praescripta adhibuerit. Hinc theoria notissima *de signis extraordinariis* quoad habituatos et recidivos ortum habuit.

Suarez e contra suggerit potius ut considerentur *causae*, inquiens (*XXXII.* 11): « Quoad displicentiam pec-« cati (commissi), facile potest sibi satisfacere confessor ; « quia, si poenitens est homo non valde rudis et apparet « moratus, nullam diligentiam in hoc tenetur confessor « adhibere ». Videndum itaque, iuxta Suarez, an homo sit valde rudis, ne scilicet ex ignorantia vel inadvertentia verum dolorem verumque propositum non conceperit. Videndum etiam an sit male habituatus, ne scilicet ex habitu pravo a vero dolore et proposito concipiendo impediatur. Attamen non quilibet habitus pravus huiusmodi impedimentum affert, sed ille dumtaxat qui afficit voluntatem, quatenus homo soleat esse fixus in voluntate peccandi (prout in magno odio, in magno amore, in casu restitutionis, et in respectu humano facile contingit). Vide *De Recidivis* (*Ed. V n. 43 et seqq.*).

Iuxta hanc ultimam methodum valde expeditiorem (et, attento solo officio iudicis, sufficientem), interrogationes necessariae sunt tantummodo in duobus casibus, nempe quando timendum sit ne poenitens sive ex magno affectu ad peccatum, sive ex ignorantia (ad quam reducitur inadvertentia) dolore et proposito requisito careat.

In casu *magni affectus ad peccatum*, ordinarie congruas interrogationes facere debebit confessarius, ut cognoscat an poenitens ad illud relinquendum vere paratus sit; atque ut plurimum ad illum disponendum valde laborare debebit. Si tamen in aliquo casu extraordinario ex una parte non magna esset spes fructus et ex alia urgeret necessitas absolutionem omnino concedendi, confessarius, interrogationibus circa illud peccatum omissis, deberet potius procurare ut poenitens ad illud non reflecteret et propositum in genere conciperet, iuxta dicta (*n. 32 et 23*).

Pro casu autem solius *ignorantiae* vel inadvertentiae

nulla in praxi adest difficultas, sufficit enim poenitentem interrogare: *an ex corde doleat et proponat.* Suarez (*l. c.*) dixit: « Quando (confessarius) non habet sufficientia signa « doloris, potest et debet interrogare poenitentem, an ex « animo detestetur peccatum, cui affirmanti credere tene- « tur. Et hoc idem dicendum est de proposito in futurum, « quando ex confessione non oritur specialis aliqua obli- « gatio restituendi vel relinquendi occasionem proximam « peccandi, sed solum communis et generalis obligatio « non peccandi de caetero ». Attamen in praxi ad minus tutius erit interrogare poenitentem non solum an doleat, sed etiam cur doleat.

Si autem poenitens habeat obligationes speciales, v. g. restituendi; reconciliationem exequendi; scandalum reparandi; maxime vero occasionem deserendi, utique tunc de his quoque (ad cognoscendum an sit dispositus) interrogationes fieri debebunt.

Appendix.

De interrogationibus circa poenitentis complicem, et speciatim de vetito eiusdem nomen exquirendi.

310. I. *Potest confessarius* circa personam poenitentis complicem (et idem dic si non fuisset stricte complex, sed solum *obiectum peccati,* ut puta, si per vim oppressa fuisset), quamvis forte in cognitionem illius deveniat, *petere ea, quae omnino necessaria sunt* ad cognoscendam speciem peccati, vel ad providendum circa remedia; an scilicet fuerit consanguinea, vel coniugata; an habitet cum poenitente in eadem domo etc. Caute tamen si verendum sit ne poenitens iustam habeat rationem occultandi aliquam circumstantiam; ut puta, si dixisset se peccasse cum sacerdote, et timeri deberet ne forte ille esset poenitentis ipsius consanguineus et confessarii amicus etc.; tunc enim potest dari casus, in quo poenitens excusetur a declarando non solum quod secum habitet, sed etiam quod sit sacerdos, iuxta dicta (*n. 76*).

II. *Potest etiam confessarius* (ut notat Lugo *XVI*

832 cum aliis. Cf. Gury *n. 502*) adigere poenitentem ut sibi (intellige *extra confessionem*) *revelet* complicem, vel tentatorem, *si ad talem revelationem stricte et praecise teneretur* iure naturae aut positivo.

III. *E contra* si confessarius de nomine complicis vel de aliis circumstantiis (quae personam designent) interrogaret *ex mera curiositate;* vel etiam ex fine quidem recto (v. g. *ad correctionem faciendam*), sed ita ut certe vel probabiliter (prout ordinarie contingit) id poenitenti ingratum et molestum futurum esset; tunc male se gereret *graviterque peccaret;* sic enim ad minus sacramentum odiosum redderet.

IV. Si autem non solum interrogaret, sed insuper *poenitenti renuenti absolutionem denegaret,* adhuc valde peius et iniuste procederet, neque solum peccaret contra ius naturae, sed etiam contra gravissimas bullas Benedicti XIV, qui addidit etiam *excommunicationem* atque *denuntiationis* onus imposuit, prout statim explico.

In Bulla *Ubi primum* legitur: « Graviter et districte, divini inter« minatione iudicii.... prohibemus ne (Confessarii) poenitentes.... *interro« gare praesumant* de nomine socii, seu complicis, loco habitationis, vel « aliis huiusmodi adiunctis sive circumstantiis expressiorem magisque indi« viduam eiusdem complicis manifestationem concernentibus; eidem poe« nitenti, si manifestare renuerit sacramentalem *absolutionem denegando* ». Prius autem in Bulla *Suprema* dixerat, hanc esse « intolerandam impru« dentiam.... et praxim scandalosam et perniciosam, ac tam famae proxi« morum, quam ipsi etiam sacramento iniuriosam, tendentemque ad sacro« sancti sigilli sacramentalis violationem, atque ab eiusdem poenitentiae « sacramenti tantopere proficuo et necessario usu fideles abalienantem ».

Inflixit autem (ut dixi) excommunicationem; et haec 1° est Rom. Pont. reservata et hodie quoque viget; 2° lata fuit non contra confessarios sed contra docentes esse licitam huiusmodi praxim.

Denique circa onus denunciandi statuit 1° fieri debere intra mensem S. Officio; 2° Denuntiandos esse tam huiusmodi docentes, quam praedictos confessarios qui alicui poenitenti ut supra interrogato et renuenti absolutionem denegaverint; 3° Denunciationem (ex Bulla *Apostolici ministerii*) fieri debere, quamvis forte confessarii per meram imprudentiam ita se gessissent. Attamen (N.B) ab hoc onere poenitens ipse immediate sic interrogatus eximitur; secus enim se ipsum prodere teneretur.

Contra non denunciantes olim aderat excommunicatio; sed hodie (propter bullam *Apostolicae Sedis*) haec non viget.

Denique sedulo notandum quod lex ista casus interrogationis legitimae mox supra notatos (*I. II*) non respicit, ut in tract. *De Occasionariis* (*Ed. V n. 290*) demonstravi. Vide etiam *Monit. Eccles.* (*III.* 1 *pag. 172*), et conveniunt quoque auctores rigidissimi, ut videre est apud Baccari (*II ex 5*), Antoine (*in nota*) etc.

ARTICULUS III.

De instructionibus seu monitionibus poenitenti suppeditandis.

PUNCTUM I.

De necessitate et dotibus instructionis.

311. ***Cur necessariae*** *sunt instructiones?*

Quia poenitentes interdum consilia petunt; interdum, quamvis dubitent an aliquid sit licitum vel illicitum, de consilii petitione non sunt solliciti et sic cum conscientia practice dubia ad actus procedunt; interdum denique conscientia prorsus erronea laborant et credunt licitum quod est illicitum, neque habere obligationes quas habent, vel e contra; et quandoque circa res summi momenti sive circa fidem, sive circa alia media necessaria ad salutem (v. g. necessitatem concipiendi verum dolorem et propositum atque deserendi occasiones proximas); sive denique circa educationem filiorum et alia munera proprii status, in magna ignorantia versantur.

Ex omissione autem instructionis sequitur quod, si poenitens credat esse peccatum quod non est, remanet expositus periculo peccandi; si autem credat esse licitum quod est illicitum, vel non habere obligationes quas habet, tunc sequitur quod lex Dei non observatur, et inordinationes (ordinarie ipsi poenitenti vel aliis perniciosae, et subindae perniciosissimae), quae impediri possent, non impediuntur.

312. *Quandonam* ***tenebitur*** *confessarius poenitentem instruere?*

In tribus tantummodo casibus 1° Si poenitens interroget. 2° Si instructio cum peccatis ab eo accusatis connexionem habeat et necessaria videatur. 3° Si ex indiciis positivis confessarius animadvertat quod poenitens momentosa aliqua instructione prorsus indiget.

Si ultra hos terminos poenitentes instruendi obligatio imponeretur, confessiones nimis protraherentur, nimisque onerosae et odiosae tam confessariis quam poenitentibus redderentur.

313. *Instructio* ***quibus dotibus*** *praedita esse debet?* Debet esse recta et prudens. Sed hae duae dotes sunt explicandae.

PUNCTUM II.

De rectitudine instructionis.

314. *Rectitudo instructionis* ***in quo consistit?*** Cavendum *ne falsum dicatur;* quod ex ignorantia, vel ex praecipitatione (nihil examinando, et quasi divinando), vel ex indole ad facilitatem vel rigiditatem nimis proclivi, et subinde ex quadam timiditate, vel etiam ex aliqua passione (v. g. ut confessarius concursum habeat, aut quibusdam poenitentibus, speciatim divitibus placeat), provenire potest. Sed nunquid confessarius de lege Dei et Ecclesiae pro libitu suo disponere potest? Nonne sic legis transgressiones ei ipsi imputarentur?

315. *Falsae decisiones* ***quotupliciter*** *intervenire possunt?* Si erretur *circa factum* vel *circa ius.*

Ne confessarius erret *circa factum,* cavebit imprimis ne poenitentis dicta perperam intellexerit. Dicit, v. g. vir coniugatus se cognovisse uxorem modo praepostero. Nunquid statim dabit sententiam de peccato mortali, quasi certe de sodomia ageretur, dum de alio casu (ut innui supra *Vol. II n. 862. 874*) agi posset?

Ne autem erret *circa ius,* debet 1° habere scientiam sufficientem. Debet 2° de necessariis distinctionibus non oblivisci.

Aliqui, dum audiunt, poenitentem aliquo modo deliquisse contra sextum, statim irruunt in eum dicendo: *damnaberis; hoc est peccatum mortale:* his enim in rebus (dicunt intra se) non datur parvitas materiae. Sed falluntur; oportet enim distinguere. Peccatum mortale adest quidem semper in fornicatione, sodomia, bestialitate, et pollutione vel delectatione venerea *directe quaesita;* sed in cogitationibus, sermonibus, aspectibus, osculis et quandoque etiam tactibus (si libido non adsit vel non sit directe quaesita) utique parvitas materiae et peccatum veniale contingere potest.

Oportet 3° considerare circumstantias; saepe enim aliqua circumstantia sufficit ut tale vel tale principium non amplius recte applicetur.

Oportet 4° ut, si casus sit difficilis, confessarius (qui illum statim resolvere nesciat) remittat poenitentem ad aliud tempus, ut interim studio et consilio rem dirimat. Si tamen poenitens (antequam ad actum procedat) decisioni futurae stare sit paratus, ordinarie absolvi poterit.

Oportet 5° ut, ad non errandum diligentia sit proportionata secundum quod casus sit maioris vel minoris momenti; atque etiam iuxta moralem possibilitatem in actu practico.

Quamvis denique 6° confessarius diligenter cavere debeat ne errores committat; tamen non ad talem ac tantam diligentiam tenetur, ut scrupulis et anxietatibus subiiciatur; secus enim audiendarum confessionum officium nimis difficile, taediosum, odiosum, et, quoad ipsius confessarii conscientiam atque salutem aeternam, periculosum redderetur; quod iuxta Christi Domini institutionem esse nequit. Vide *De Recidivis* (*Ed. V n. 10*).

316. *Quid* ***de necessitate scientiae*** *in confessario?*

Scientia necessaria est ob sequentes rationes.

I. Agitur de re difficili. Quoad alia sacramenta, si formula sciatur, id quasi sufficit; sed in sacramento poenitentiae sacerdos tria officia valde momentosa et non semper facilia exercere debet. Ipse est iudex, medicus et doctor; unde oportet ut leges divinas et ecclesiasticas (quoad casus facile occurrentes) probe cognoscat.

Poenitentes cuiuscumque generis ad eum accedere possunt, nempe pauperes et divites, saeculares et ecclesiastici, subditi et superiores, coelibes et coniugati, milites, mercatores, magistratus etc.; et confessarius speciales illorum obligationes scire tenetur.

Casus difficiliores, speciatim tempore paschatis et sacrae missionis, non sunt rari sed frequentes. Illorum decisio nequit tunc consultatione comparari, sed in promptu baberi debet.

Neque difficultas ad iudicandum de obligationibus restringitur; sed oportet insuper ut tum de dispositionibus tum de remediis prompte et bene consilium sumat.

Nunquid haec omnia facilia erunt? « Quis nescit (dicebat S. Grego- « rius Magnus) occultiora esse vulnera cordium quam corporum? ».

Adde difficultates quae cum rudibus, scrupulosis, verecundis etc. occurrunt.

Adde consilia danda personis quae in via perfectionis dirigi petunt.

Adde demum casus satis difficiles et frequentissimos occasionariorum, habituatorum, habentium odia, habentium onera restitutionum, et multo magis illorum qui ex una parte duritie cordis laborant et ex alia in maximo aeternae damnationis periculo versantur.

II. Agitur de re maximi momenti.

Agitur enim de tuendis iuribus Dei in eiusdem sanctissimae legis observantia; unde dici potest cum Rege Iosaphat: « Videte quid faciatis, non enim hominis exer- « cetis iudicium, sed Domini ». Agitur insuper de salute non corporum sed animarum, ut scilicet fratres nostri ab aeterna damnatione eripiantur, et in aeternum salventur. Hinc rectissime dicebat quidam Episcopus: « In huius « sacramenti administratione errare valde facile et simul « quam maxime perniciosum est ».

III. Sacerdos scientia necessaria destitutus, et nihilominus confessarii officium exercens, magno apud Deum peccato se reum redderet. Porro si iudex aut medicus corporalis graviter peccaret si absque scientia sufficienti officium exerceret; quanto magis iudex et medicus spiritualis? « Vae vobis, duces caeci » dixit Christus Dominus (Matt. *23*), et « si caecus caeco ducatum praestet, « nonne ambo in foveam cadunt? ». Hinc S. Ligorius (*Prax. n. 18*) dicere non dubitavit: « Affirmo in statu « damnationis esse eum confessarium, qui sine sufficienti « scientia ad confessiones excipiendas se exponit ». Prius catechismus romanus dixerat: « Non vulgarem scientiam « necessariam esse ». Et rituale subiunxerat: « Quantum « potest maximam scientiam et prudentiam (confessarius) « studeat sibi comparare ».

Excipiendus est tamen casus necessitatis, et speciatim si Episcopus minus sufficientem subiecti scientiam iam noverit, et nihilominus audiendarum confessionum officium illi assignaverit, eo quod scilicet, propter sacerdotum penuriam, alicui populo meliori modo providere minime potuerit; « melius est enim (dixit Lugo *D. 21 n. 74*) quod « habeant confessarium indoctum in tali necessitate, quam

« quod omni remedio destituantur ». Attamen in tali etiam eventu sacerdos posset quidem confessiones audire, sed gravem haberet obligationem addiscendi, ut idem Lugo (*l. c.*) et S. Lig. (*L. 3 n. 628*) sedulo notant. Vide supra (*Vol. IV n. 266*).

317. Aliqui se illudunt dicentes: *Episcopus me approbavit; ergo de scientia sufficienti certus esse possum*, Dixi *se illudunt;* nonne enim de facili contingere potest, quod aliquis satis adaequatas interrogationibus sibi in examine factis responsiones dederit, et nihilominus in multis aliis, quae omnino scitu necessaria sunt, ignorantia magna laboret? Si autem id revera alicui accidisset, quomodo scientiam sufficientem haberet? Nunquid approbatio infundit scientiam? Dixit S. Ligorius (*l. c.*): « Nec excu« sabit eum Episcopi approbatio, si manifeste se noverit « inhabilem; approbatio enim non infundit scientiam ne« cessariam, sed supponit », seu praesumit; praesumptio autem veritati cedere debet.

318. Aliquis posset dicere: *Ego iam mea studia theologica perfeci; id itaque satis est.*

Haec quoque magna esset illusio; quot enim sacerdotes studia perfecerunt, sed sine attentione, sine assiduitate, sine profectu! Quot circa plurimas regulas practicas, quae sunt adeo necessariae, nullo modo edocti fuerunt! Quis nescit, in scholis multa (postea privatim addiscenda) praetermitti? Quot demum in iuventute quidem ad studia incubuerunt, sed postea fere quidquid didicerunt obliti sunt! Profecto quid prodest si olim didiceris, dum quae didicisti hodie ignoras?

319. Aliqui dicunt: *Sufficit scire principia generalia moralitatis; et unusquisque suo proprio sensu ex illis deducere poterit, quomodo casus particulares resolvendi sint.* Stultissima illusio haec etiam est. Insudarunt Suarez, Lugo, Sanchez aliique acerrimi ingenii viri, ut casuum particularium veras resolutiones invenirent, eo quod in plurimis punctis, propter circumstantiarum complicationem, veritatem invenire difficillimum sit. Nunquid ergo quilibet suo proprio sensu statim et ex abrupto quomodo decidendum sit cognoscet? Praeterea non raro a positiva legum

notitia casuum resolutiones (v. g. circa censuras, reservationem, impedimenta matrimonii etc.) pendent. Tunc autem principia generalia moralitatis ad quid deservient?

320. Alii demum dicunt: *Ad quid scientia? Sufficit experientia.* Sed hic quoque magnus error est.

Imprimis iuvenes experientiam non habent.

Deinde experientia versatur circa facta, non circa ius. Qnid prodest experientia ut decidatur, v. g. an haec actio sit licita vel illicita, vel in tali casu obligatio restitutionis, vel censura, vel reservatio etc. adsit vel non adsit?

Sed in rebus etiam quae pertinent ad meram poenitentis directionem, experientia sine praevia scientia ut plurimum nihil aliud est nisi longa et perpetua errandi consuetudo. Si autem interdum experientia efficeret, ut tandem aliqua bona regula dignoscatur, nonne haec nimio pretio staret; pretio scilicet multorum errorum, iuxta proverbium *errando discitur?* Rectissime scripsit Gury (*n. 609*): « Experientia non potest scientiam supplere, « sed solum eam iuvare; ubi autem scientiae praesidio « destituatur, in errores plurimos eosque gravissimos te- « merarium confessarium impellet ».

Hac illusione speciatim senes laborare solent; et hoc in puncto digna est ut referatur sequens Habertii sententia: « Peior est senis experientiâ suâ freti, quam iu- « venis adhuc imperiti conditio: in isto enim satis est ut « seratur, in illo evellendi vepres, et removenda tumidae « fiduciae obstacula ». (*De oblig. Conf. Append, ad p. 1*).

321. *Scientia* ***quanta*** *esse debet?*

Quamvis non exigatur in gradu eminenti (vae enim si magni theologi dumtaxat confessiones audire possent!); nihilominus scientia sufficiens exigitur; tanta scilicet ut confessarius bene et prompte iudicare sciat in casibus frequentioribus, qui ei occurrere poterunt, iuxta conditionem poenitentium quos audire debebit. Secus enim saepe saepius in tricis versaretur, et proinde deberet vel passim temere et quasi divinando se resolvere, et sic multos errores committere; vel nimis frequenter iudicium suspendere, et sine absolutione (vel cum obligatione redeundi) poenitentes dimittere. Hinc theologi hanc statuunt regulam: *Confes-*

sarius sciat de frequentibus iudicare, et de aliis dubitare ut libros vel peritiores consulat. (Vide S. Lig. *L. 6 n. 627* et Lugo *d. 21 n. 70*).

Dixi *iuxta conditionem poenitentium quos audire debebit;* alii enim casus occurrere solent ruri et infra annum; alii vero in magnis civitatibus et speciatim tempore paschali vel occasione missionis, quibus in circumstantiis magni peccatores et personae cuiuslibet generis cum casibus diversissimis turmatim accedunt; unde tunc maior scientia necessaria est.

322. *Quid de necessitate* ***studii?*** De re ista vide supra (*Vol. IV n. 590*).

323. *Quid de* ***usu opinionis probabilis?*** Confessarius uti potest qualibet opinione probabili (intellige *probabilitate iuris*), et quidem (meo sensu) non solum circa licitum sed etiam circa illicitum, dummodo vere sit solide probabilis; ita tamen (N. B.) ut in praxi illam adhibeat, quae (attento speciatim bono poenitentis) magis opportuna et expediens videatur.

De re ista agitur ex professo in theologia fundamentali (ubi *de conscientia*).

PUNCTUM III.

Quomodo instructiones debeant esse prudentes.

Prudentia exigitur quando poenitens procedere videtur cum conscientia erronea, sive 1° credat esse mortale quod veniale est, sive 2° quod est illicitum credat esse licitum et sic in bona fide versari videatur.

324. *Quotuplex est* ***bona fides?***

Potest esse I. *Perfecta* (scilicet excludens quodlibet dubium et prorsus tranquilla) vel *imperfecta* (scilicet subdubitans aut credens esse veniale quod est mortale).

II. *Certa* (dum confessarius sit certus de bona fide poenitentis), vel *incerta*.

III. *Duratura* vel *non duratura*.

IV. *Innoxia* (quando ex illa, praeter fractionem materialem legis, nullum aliud malum provenit, prout si circam nullitatem matrimonii iam contracti versetur), vel

noxia, prout solet esse circa peccata contra sextum (habitu non adhuc contracto), occasiones proximas, res scandalum adducentes, nullitatem matrimonii contrahendi, vel in Superioribus muneri proprio cum spirituali subditorum detrimento deficientibus.

Denique oriri potest *ex ignorantia facti* (dum v. g. quis ignorat rem quam possidet esse alienam, aut hanc diem esse vigiliam etc.), vel *ex ignorantia iuris* sive positivi, sive naturalis.

325. *Quid de practica possibilitate* ***bonae fidei circa leges positivas?*** Quamvis ageretur de iuro claro (quidquid dicant theologi) bona fides est certe possibilis (ut ex facto manifestissimo patet) etiam in personis ecclesiasticis; imo in quibusdam casibus et circumstantiis est etiam (et quidem interdum incredibili modo) facilis; sed multo frequentius (loquendo de legibus non vulgariter notis) accidit in personis saecularibus, quae prorsus ignorare solent v. g. quod incestus impediat petitionem debiti coniugalis, quod adsit impedimentum *crimen etc.*

326. *An dari possit* ***bona fides*** *ex ignorantia invincibili et inculpabili* ***circa praecepta iuris naturalis?***

S. Lig. dicit (*I 170*), huiusmodi ignorantiam dari non posse nedum circa suprema legis naturalis principia (quod certe admitti debet) sed nequidem circa eorum proximas conclusiones, cuiusmodi sunt etiam v. g. ea quae referuntur ad sextum praeceptum.

At vero haec doctrina cum hac extensione sic absolute et sine exceptionibus prolata veritati conformis non videtur; et reapse ab auctoribus passim exceptiones indicantur.

Scavini (*I 158*) dicit: « Nisi forte in rudibus *ad breve tempus* ». Del Vecchio (*I 96*): « Non facile admittitur, nisi forte aliquando in rudi- « bus ». Gury (*I 123*): « Nisi vel raro, vel ad breve tempus *in rudibus* « et *pueris* ». D'Annibale (*I 180*) dicit: « *Regulariter;* nam barbaries etc. ». Lehmkuhl (*I 187*): « *Diu* inculpabiliter ignorari nequeunt ».

Frassinetti (*Diss. I*) illam admittit in iuvenibus, et quoad plura *in usu matrimonii*. Ipse S. Alphonsus (*Mon. sanct. XVIII.* 1 *14*) concedit dari posse in aetate puerili.

Auctor celebris opusculi cui titulus *Istruzione per novelli confessori* (*I 170*) aperte dicit: « Malitiae ignorantia invincibilis dari potest, ut « multi admittunt *in mollitie,* et alii in simplici *fornicatione* ».

Circa ipsam fornicationem D. Thomae (*De malo III.* VIII) scripsit:

« Si ignoretur deformitas, puta, cum quis nescit fornicationem esse peccatum, voluntarie quidem facit fornicationem, sed non voluntarie facit « peccatum ».

Undenam enim cognitio peccati mortalis, speciatim *circa quasdam impudicitias*, facile derivabit? Dices: ab ipso lumine rationis. Resp. Quod aliquis obtenebratus alicuius indecentiae suspectus facile oriri possit, concedo. Quod autem praecise malitia peccati mortalis facile omnibus pateat, nego. Porro, si Plato, Socrates, Cato, Solon etc., ut videre est apud Segneri (*Incred. IV* et *Quaresim. XX.* IV), hanc malitiam non satis cognoscebant (1), imo, si inter theologos ipsos non defuerunt qui erronee crediderint modo dari posse parvitatem materiae in re venerea, modo pollutionem et fornicationem iure quidem positivo sed non naturali esse illicitas; quomodo ideas his in rebus erroneas pueri, agricolae, pastores, nautae et idiotae habere non poterunt? Dices: instructio non deest. Respondeo: Imo deesse solet: propter timorem enim iniiciendi malitiam ubi non est, parochi et concionatores de rebus istis nihil dicunt. Genitores quoque perfectum silentium servant. Confessarii demum cautissime procedunt.

Sed quod hac in re magis convincit, est experientia. Centies audivi personas fide dignissimas, quae facientes in sacris missionibus confessionem generalem mihi dixerunt, prorsus nescivisse, v. g. quod se polluere esset peccatum, seque (nedum in puerili sed etiam in adulta aetate) id fecisse, usquedum ab aliquo confessario de huius actionis inhonestate monitae fuerint; qua re cognita, statim cessarunt.

His praemissis, ad quaestionem propositam sic responderem. Ignorantia inculpabilis circa praecepta naturalia dari potest; attamen aliter et aliter.

Facillime datur circa quaedam subtiliora quae a rudibus non animadvertuntur, v. g. circa obligationem quae interdum adest restituendi *in solidum;* item circa conclusiones a primis principiis satis remotas, atque ubi circumstantiae valde complicantur; unde saepe ne viri quidem doctissimi percipiunt quomodo res se habeant.

Difficilius autem datur ignorantia circa illa, quae, attento etiam solo lumine rationis, ita clara sunt, ut a catholicis viris doctis sine ulla controversia admittantur. Aliquando tamen indocti, ignorando rationes quibus docti moventur, vel accipiendo pro validis rationibus ea, quae doctis sophismata apparent, credunt non adesse obligationes ubi revera adsunt.

327. Hunc autem effectum producere possunt speciatim sequentia.

(1) Plato, Socrates, Cato vagam venerem: Licurgus furtum callide perpetratum: Solon lasciviam: Aristotiles occisionem infantium superfluorum vel deformium: Seneca suicidium: Cicero et Plinius vindictam, licita esse credebant.

I. Interventum alicuius circumstantiae hallucinantis (v. g. mendacium vel iuramentum falsum ad salvandum aliquem a morte; vel onanismus coniugalis ne uxor in partu moriatur, aut ne habeatur proles quae ali nequeat).

II. Defectus instructionis (speciatim in surdo-mutis).

III. Instructio falsa: multo magis si doctrinae erroneae valde communes evasissent, aut si a confessario auditum fuisset aliquid esse licitum.

IV. Publica corruptio morum, seu barbaries.

V. Ingenii debilitas, aetas puerilis, et speciatim si quis esset semifatuus.

Casus practici sunt praecipue circa peccata cogitationis; circa simplices motus carnales: circa inordinationes in usu matrimonii: circa superstitiones: aliquando etiam circa impudicitias solitarias, et circa fornicationes inter sponsos de futuro, factis iam publicationibus etc.

328. Advertendum tamen quod *saepe saepius ignorantia aut non est duratura* (v. g. circa mollitiem); *aut non est perfecta*, quatenus aliquod dubium, aliquis remorsus, aliqua temere agendi formido (non sine cognitione aliqualiter peccandi) intervenit.

Attamen sola erubescentia naturalis non sufficit, ut cognitionem peccandi adfuisse decernatur; quaedam enim erubescentiam pariunt et clam fiunt, etsi licita sint, ut notat S. Lig. (*La Monaca santa XVIII.* 1 *14*).

329. *Utrum circa obligationem deserendi* ***occasionem proximam*** *voluntariam bona fides dari possit?* Circa tempus et modum, affirmative. Circa substantiam quod detur bona fides valde difficile, sed possibile est. Casum habes speciatim si immisceatur aliqua circumstantia hallucinans, et speciatim aliqua necessitas, etsi in rigore non sufficiens, prout in adamantibus vel sponsis de futuro, contingere potest. Cf. *De Occasionariis* (*Ed. V n. 29 et seqq.*).

330. *Utrum circa obligationem restituendi unusquisque pro sua parte (intellige semper data possibilitate), vel reparandi magnum scandalum, vel reconciliationem cum inimico faciendam, et uno verbo* ***circa obliga-***

tiones communiter notas, *bona fides dari posset?* Ut in responso praecedenti.

331. ***Quomodo cognoscitur*** *quod poenitens sit in bona fide?*

I. Si sponte vel interrogatus dicat se credere nihil mali esse; vel si (persuasionem ostendendo) excusationes non prorsus insulsas in medium adducat.

II. Si ea de re nunquam se accuset nullumque scrupulum ostendat, et maxime si aliqua ex circumstantiis mox supra (*n. 327*) indicatis superaddatur.

332. *Quomodo confessarius praevidere poterit,* ***fructum admonitionis esse certum*** *vel* ***incertum?*** R. Considerando 1° rem in se, nempe an sit facilis, an vero ardua; 2° vires poenitentis, nempe an sit virtuosus, an vero debilis vel parum dispositus; 3° influxum exhortationis, utrum scilicet vesba confessarii (attenta idoneitate illius et intelligentia poenitentis, nec non considerando an adsit tempus necessarium ad illum persuasum reddendum) multum, an vero parum influere possint.

333. *Quaenam sunt* ***regulae generales*** *circa admonitionem faciendam vel omittendam?*

R. Facienda est si bonum tantummodo, aut plus boni quam mali productura sit; si e contra malum tantummodo aut plus mali quam boni productura esset, tunc foret omittenda.

Si autem confessarius esset perplexus, et tam in facienda quam in omittenda admonitione aeque perspiceret periculum, tunc pro libitu suo se gerere posset. Sed haec principia generalia pro praxi sunt explicanda.

334. *Quaenam itaque sunt* ***regulae particulares,*** *quae ad praxim magis deserviunt? Et imprimis quibusnam in casibus* ***admonitio fieri debet?*** R. Fieri deberet in casibus sequentibus.

I. Si poenitens *crederet esse peccatum quod non est,* vel se habere obligationem, quam revera non haberet, et cui forsan vel certe non esset satisfacturus.

II. Si *crederet esse mortale quod est veniale.*

Nec ut plurimum obstaret si ex tali admonitione ad venialia illa committenda occasionem sumpturus esset;

quandoquidem (ut recte dicit S. Lig. *III 130*) « melius « est permitti innumera venialia quam unum mortale ».

Dixi *ut plurimum;* si enim ageretur de veniali quod facile disponeret ad mortale, ut puta, si puella crederet se peccasse mortaliter eo quod leve osculum ab adamante acceptasset; prudentia aliquando suadere posset ut in sua persuasione relinqueretur; ne, intelligendo fuisse veniale, oscula facilius permissura et sic ad peiora transitura foret.

III. Si poenitens iam certe in bonam partem admonitionem accepturus atque *certe obtemperaturus* foret.

Excipe nisi alia mala praeponderantia reformidari deberent, ut puta, si mulier admonita de nullitate matrimonii, ipsa quidem denegatura esset obedientiam viro copulam petenti, vel consensura foret separationi; sed ex hac ipsa denegatione vel separatione secuturum esset scandalum; aut alia mala gravia vel gravissima a parte viri aut filiorum pertimesci possent.

IV. Si poenitens admonitionem accepturus quidem esset *in malam partem, sed ad breve tempus,* ita ut confessarius (in re momentosa) insistendo, rationes adducendo, et absolutionem denegando, iam certe illum persuasum et obedientem reddere poterit.

Excipe nisi hic et nunc adesset necessitas illum absolvendi, aut admonitio ad meliorem opportunitatem reservari posset.

V. Si poenitens *interrogaret;* tunc enim ordinarie ex una parte gravem conscientiae remorsum habebit, et ex alia erit dispositus ad se gerendum iuxta responsum.

Dixi *ordinarie;* interdum enim interrogatio potest esse ad modum admirationis aut scrupuli, vel utcumque compatibilis cum bona aut non graviter mala fide; et aliunde res posset esse adeo ardua, ut de executione, iuxta responsum confessarii, parum vel nihil sperari posset.

Si itaque confessarius animadverteret non expedire ut poenitenti interroganti veritatem aperiret, non equidem posset declarare licitum quod illicitum est, sed (ut post Lugo dicunt Salmant. *XII.* III *36*) poterit « fingere se « non audivisse, vel non attendisse, vel oblitum fuisse « respondere ».

VI. Si poenitens *laboraret conscientia lava,* ita ut propter dictamina quae conscientiam minime tranquillam relinquere possent, male se gereret et illicita committeret.

VII. Si ageretur *de re iam communiter nota,* unde bona fides iam non esset praesumibilis vel certe esset brevi tempore duratura.

Excipe nisi propter speciales circumstantias, ex admonitione quae hic et nunc fieret, de malo praeponderanti esset formidandum, unde melior opportunitas expectari deberet.

VIII. Si alicuius legis aut obligationis *ignorantia esset poenitenti valde perniciosa*, ut puta, si celebraturus esset matrimonium invalidum (speciatim ex impedimento a quo dispensatio abtineri non posset, cuiusmodi esset v. g. impotentia); maxime vero si contracturus esset pravum habitum vel commissurus multa aut innumera peccata formalia, ut puta, si adolescentulus ignoraret pollutionem (quam nunc committere incipit) esse peccatum, vel poenitens nesciret adesse obligationem deserendi occasionem proximam voluntariam. In hoc postremo casu occasionis proximae superadderentur etiam circumstantiae mox supra indicatae (*nn. VI et VII*), quod scilicet timendum esset de conscientia ita laxa, ut bona fides esset difficile praesumibilis et certe brevi tempore duratura foret.

Aliquae tamen (ut supra innuebam) occasionum species (v. g. quoad adamantes ex intentione matrimonii se invisentes plus aequo) cum bona fide (non quoad peccata sed quoad visitationes) stare possunt, nec semper sunt huiusmodi ut admonitio (sub denegatione absolutionis) fieri debeat. Vide *De Occasionariis Ed. V n. 29 et seqq.*) Et ratio est quia poenitens ex ipsa admonitione et denegatione absolutionis in statum adhuc peiorem (propter alienationem a sacramentis vel peccatorum reticentiam sacrilegam) coniici posset.

IX. Admonitio fieri deberet etiam, *si de hoc magna adesset necessitas propter bonum aliorum*, prout contingere posset si omnino exigeretur aliqua publica retractatio, vel si poenitens aliquod magnum malum (v. g. provocando ad duellum. faciendo bellum iniustum etc.) perpetraturus, aut aliquod magnum scandalum illaturus foret.

Ex una parte enim tunc quoque difficilis esset bona fides, et ex alia spes, etiam exigua, impediendi huiusmodi mala et scandala, periculo (si quod esset) praeiudicium inferendi poenitenti praeponderaret.

Et hoc in puncto celebris est doctrina Cardinalis De Lugo, qui (*De Poen. XXII.* II *37*) scripsit : « Infero quid dicendum sit de obliga-« tione quam habent confessarii praelatorum, principum, gubernatorum, « et similium, quando vident aut sciunt ipsos non satisfacere revera suo « debito circa collationem beneficiorum, electionem ministrorum, sub-« ditorum gubernationem, circa eleemosynas ex superfluis faciendas de « redditibus ecclesiasticis et alia similia : de quibus illud notandum est, « raro contingere quod ignorantia sit invincibilis et inculpabilis: item raro « contingere quod ignorantia illa non afferat secum scandalum in subditis, « qui facile putant licita, quae a praelatis et principibus fieri vident, vel « certe non afferat damnum commune : quare regulariter confessarius te-« netur admonere poenitentem, quicumque ille sit, de sua obligatione ; « nec satisfacit muneri suo, absolvendo a peccatis quae poenitens dicit, « sed potius imponit suis humeris peccata caetera et errores, quos in poe-« nitente dissimulat, et, caeco caecum ducente, ambo in aeternam foveam « cadent. Si formidet potentis faciem, non assumat sibi pastoris officium ; « sed modeste se excuset, tamquam minus aptum ad onus illud portan-« dum. Haec autem dicta sunt de confessario qui scit, poenitentem non « satisfacere revera suo debito. Si autem hoc non scit, sed habet rationem « dubitandi, interroget poenitentem, qualiter se gerat in his. Si vero « dubium confessarii sit circa ipsum ius, et obligationem poenitentis, con-« sulat auctores. atque etiam homines doctos et pios (salvo singillo con-« fessionis), et tunc, si errorem poenitentis inveniat, modeste moneat, ra-« tionem in promptu habens suae monitionis ».

X. A fortiori fieri deberet admonitio. *si, propter malefacta poenitentis, scandalum provocaret factum ipsum confessarii, qui, nulla imposita obligatione, absolutionem concederet atque ad sacram mensam accedere permitteret;* maxime si iam esset casus publici peccatoris vel excommunicati notorii, cui, tali vel tali obligatione non adimpleta, communio (aut viaticum) dari nequiret; vel si facile spargi posset credulitas quod non adsint obligationes quae revera adsunt, et esse licita quae illicita sunt. Hoc autem contingeret speciatim 1° Si confessarius non ex notitia aliunde habita (ut supra *n. IX*), sed ex ipso tenore confessionis poenitentis, talem vel talem obligationem ei intimare debuisset, et non intimasset, unde poenitens ipse divulgare posset se fuisse absolutum quin de obligatione ipsa quidquam ei dictum fuisset. 2° Si confessarius magna existimatione et auctoritate gauderet. 3° Si poenitens non semel sed habitualiter ad sacramenta accederet. Casus verificari posset v. g. in poenitente qui (apud nos) notorie bona Ecclesiae usurpata emisset, nec cum Ecclesia se composuisset, si nihilominus absolveretur et sicut alii ad sacramenta admitteretur. Hinc dicit S. Lig.

(*n. 615*) admonendum esse poenitentem laborantem quoque ignorantia invincibili et quamvis non speraretur fructus, *si in iis versetur facti circumstantiis, quae* (ut ait Benedictus XIV Const. *Apostolica*), *confessario dissimulante, peccatorem in pravo opere obfirment, non sine aliorum scandalo, cum quis arbitratur ea sibi licere quae ab iis, qui Ecclesiae sacramenta frequentant, impune exerceri animadvertit.*

XI. Denique aliquando fieri debet admonitio *ex rigorosa lege Ecclesiae,* quae v. g. iubet ut de obligatione confessarios sollicitantes denuntiandi poenitentes admoneantur.

An autem lex ista epicheiam in aliquo casu rarissimo habere possit, vide opusculum *De sollicitatione* (*n. 384 et seqq.*).

335. *Quinam in particulari sunt casus, in quibus admonitio plus mali quam boni productura esset, atque adeo omitti, et* ***poenitens in bona fide relinqui deberet?***

Supposito semper quod monitio a bono publico non exigatur, casus huiusmodi sunt sequentes.

I. Si monitio id unum efficere posset ut poenitens a peccato materiali in formale iugiter coniiceretur; ut puta, si, celebrato matrimonio invalido, dum non admonitus illo utitur bona fide, si admoneretur, in eiusdem usu mala fide foret preservaturus; aut de hoc adesset periculum. Idem dic si poenitens sive in aliquo puncto Fidei, sive utcumque pravo aliquo principio, ex errore vel ignorantia non formaliter culpabili, ita laboraret, ut confessarius ad illum convincendum se idoneum minime reputaret; neque illum sine absolutione dimittere expediret.

II. Si ageretur de moribundo, et confessarius perspiceret aut formidaret, illum non fore obtemperaturum, nec tempus et modum adesse eundem persuasum reddendi.

III. Si ex una parte urgeret necessitas hic et nunc absolutionem concedendi, et ex alia credi vel timeri deberet quod poenitens propter admonitionem ex disposito indispositus redderetur. Casus iste contingere posset speciatim in novis sponsis eo mane matrimonium celebraturis. Et notandum quod necessitas potest esse adeo urgens,

ut, sciente quoque poenitente talem vel talem obligationem adesse, confessarius permittere vel etiam positive procurare posset, ut illam hic et nunc in mente non haberet.

IV. Si quavis alia de causa ad meliorem opportunitatem monitio reservanda foret. Hoc accidere posset quamvis hic et nunc bona spes haberetur, sed in posterum (v. g. quia poenitens magis dispositus vel confessarius magis paratus erit) cum maiori securitate et uberiori fructu idem effectus obtinebitur.

336. Quaer. I. *An, deficiente spe fructus, monitio omitti debeat,* ***etsi peccatum materiale poenitentis in damnum proximi redundaret,*** *ut puta, si bona fide illegitime possideret haereditatem, vel debitam non faceret restitutionem, vel contractus usurarios celebraret?*

Affirmative (ut docet etiam Lugo *XXII.* II *26*); ex una parte enim confessarius respicere debet imprimis salutem spiritualem sui poenitentis, et ex alia, absente (ut supponitur) spe fructus, admonitio confessarii quidnam proximo iuvaret?

Quum tamen absentia absoluta cuiusvis spei fructus vix unquam sit certa, haec regula pro casu mali enormissimi (ut mox supra dicebam *n. 334* IX) exceptionem subiret.

337. Quaer. II. *Quid de regula, quae passim reperitur apud theologos, quae dicit* ***monitionem esse faciendam toties quoties de publici boni detrimento agatur?*** Regula ista, ut advertit Frassinetti (*not. 139*), sano modo intelligi debet; plura enim tunc quoque consideranda sunt; nempe 1° Quanti momenti sit detrimentum illud; et quantum poenitens in illud influat. 2° Quanta sit spes illud impediendi admonendo poenitentem; si enim (hic quoque repeto) admonitio nihil profutura sit, quomodo bono publico consultum erit? 3° An adsint alia media opportuniora et efficaciora quibus bono publico consuli possit. 4° An forte melius sit tam pro poenitente quam pro bono publico procedere indirecte, aut reservare admonitionem ad meliorem opportunitatem (v. g. exercitiorum spiritualium). 5° An culpa sit certa, an vero incerta; redarguere enim poenitentes, aut iisdem suspectum ostendere de culpis non commissis, confessionem ipsam

non parum odiosam redderet, et poenitentes a sacramentis alienaret; idque eidem bono publico valde officeret. Denique hic etiam advertendum quod confessarius *ex officio suo* tenetur quidem consulere sacramento et suo poenitenti, sed non bono publico (de quo alii ex officio solliciti esse tenentur); cui proinde non qua confessarius (nisi ipse sua agendi ratione scandalum praebiturus esset), sed qua proximus, consulere debet ex lege charitatis, quae in hypothesi non facile urgeret.

338. **Casus.** Contra Sempronium parochum senem fuit auditum quod evangelium non explicet. Ille tamen frequentissime ad confessionem accedit; et, interdum apud Caium confessarium iuvenem peccata sua accusans, de praedicta omissione nihil omnino dicit. Caius dicit intra se: De peccato Sempronii non sum certus: forsan vox publica est exaggerata; forsan Sempronius subinde evangelium explicat; forsan potest habere iustas causas se eximendi; forsan aliquo familiari sermone vel aliis modis defectui supplet: ex meo silentio certe non efformabitur credulitas quod parochi evangelium explicare non teneantur: poenitens est senis de quo desperandum est quod suas antiquas habitudines mutaturus sit: ego sum iuvenis, nullamque cum eo confidentiam habeo: utcumque certus sum quod (si verba de hac re facerem) illum graviter offenderem; proverbium autem dicit: *Quod offendit non convertit.* His rationibus ductus Caius ab admonitione directe facienda abstinet; et ego dicerem non esse culpandum.

339. *Quid si poenitens, de aliqua sua obligatione* ***admonitus,*** *reluctaret et* ***excusationes in medium adduceret?***

Si excusationes iam clare sint iustae, tunc nihil difficultatis.

Si sint ita frivolae, ut bona fides supponi non possit, tunc insistendum.

Si vero bona fides subsistere videatur, tunc prudentia adhiberi debet (ita tamen ut dissimulatio confessarii scandalum non afferat quasi nempe reprobanda approbaret). Exemplum. Poenitens dicit: *Pater, restituere non possum; media non habeo.* Interrogatus de suo statu, re-

spondet se esse pauperem artificem, numerosam prolem habere, vel quid simile; unde argui potest quod vere in bona fide sit. Tunc confessarius facile quidem abstinere poterit a minutioribus inquisitionibus, quibus forte possibilitas restituendi saltem aliquam debiti partem reperiretur (ex praxi enim patet quod restitutionum executio difficillime et rarissime obtinetur); sed, ne dissimulatio scandalum ullum inducat, confessarius conditionaliter loquatur dicendo, v. g.: *Si vere media non habeas, pro nunc excusaris; sed concipe intentionem restituendi si aliquando poteris.* Cf. S. Lig. (*n. 614*).

340. *Explica quomodo dari possit* ***casus perplexitatis,*** *in quo confessarius sive faceret sive non faceret admonitionem, bene se gereret.* Exemplum esset in moribundo, de quo non esset certum an circa onera restitutionum, reparationum etc. sit in bona vel mala fide; et confessarius aeque timeret sive silendo, sive loquendo; si enim esset in mala fide, damnaretur; et si esset in bona fide, monitio posset esse occasio damnationis illius.

341. *Debetne confessarius poenitentem* ***circa principalia fidei mysteria*** *instruere?*

Certe haec mysteria *sciri debent* a poenitentibus, quandoquidem Innoc. XI damnavit sequentem propositionem: « Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret « ignorantia mysteriorum Fidei, et etiam per negligen- « tiam, etiam culpabilem, nesciat mysterium Sanctissimae « Trinitatis, et Incarnationis Domini Nostri I. C. ».

In praxi tamen confessariis hac de re generatim *scrupuli non sunt iniiciendi;* supponendum est enim quod christiani mysteria ista cognoscant, sin minus iuxta formulas in catechismis dioecesanis expositas (quod non est necessarium), saltem in substantia, quod utique sufficit. Vide Frassinetti (*Dissert. XIII et not. 174*).

Verum est quod S. Leonardus a Portu Mauritio circa haec mysteria obligationem instruendi poenitentes imponit; sed advertendum quod loquitur de iis, qui neque a parentibus neque a parochis ullam instructionem habuerint. Id autem (apud nos) difficile accidit.

Attamen *in specialibus circumstantiis* (maxime quoad pueros) de hac ignorantia iure timendum esset.

Tunc autem *modus* interrogandi poenitentem posset esse sequens: Quisnam creavit mundum? Deus. — Quot sunt Dii? Unus. — Scisne tu quod nihilominus in Deo adsunt tres Personae; et prima vocatur Pater, secunda Filius, tertia Spiritus Sanctus? Scio. — Scisne etiam quod secunda Persona, nempe Filius, venit in hunc mundum ad moriendum in cruce pro nobis, et vocatur Iesus Christus? Scio. — Scisne tu, Deum esse infinite bonum et datarum esse tibi veniam peccatorum tuorum, et Paradisum si bona opera feceris? Scio. — Scisne tu haec omnia esse firmiter credenda, quia Deus illa dixit et revelavit? Scio.

ARTICULUS IV.

De remediis assignandis.

342. *Veramne habet confessarius* ***obligationem remedia assignandi?***

Affirmative ordinarie. Catechismus romanus dicit: « Diligenter providendum est, ut ea remedia aegroto adhibeantur, quae ad illius animam sanandam, et in posterum contra morbi vim muniendam aptiora videantur ».

Rituale nicit: « Imprimis meminerit confessarius, se iudicis pariter « et medici personam sustinere.... Audita confessione..., remedia peccatorum tradet ». Et in Iure Canonico legitur: « Sacerdos sit discretus et « cautus, ut more periti medici infundat vinum et oleum vulneribus sauciatis, diligenter inquirens et peccatorum circumstantias et peccata, quibus prudenter intelligat, quale eis debeat consilium praebere, et cuiusmodi medicamentum adhibere, diversis experimentis utendo ad sanandum « aegrotum ».

Dixi *ordinarie,* haec enim obligatio iutelligenda est pro casibus, in quibus remediorum assignatio vere necessaria sit; si enim poenitens sola venialia (quae speciale periculum incidendi in mortalia secum non ferant) haberet; aut circa remedia instructione non indigeret; aut illa adhibere iam solitus esset; tunc bonum quidem erit consilium si nihilominus de remediis aliquod verbum dicatur, sed stricta obligatio non aderit.

Ad determinandum autem *gradum culpae in omissione assignationis remediorum* (an scilicet sit gravis vel levis), considerari debet non solum periculum relapsus (aliud enim est si poenitens ex occasione proxima vel prava consuetudine, et aliud si fortuito casu dumtaxat, peccaverit); sed etiam quanta sit spes fructus; si enim remediorum assignatio parum influere posset, defectus assignationis gravis esse nequiret.

Ordinarie negligentia gravis erit solum si confessarius de occasione proxima deserenda poenitentem non admoneret; aut si illum ex una parte pravis habitibus magnisque tentationibus subiectum et ex alia ad suscipiendam animae suae curam bene dispositum, adiuvare negligeret.

343. *An remedia assignari debeant* ***imponendo illa sub vera obligatione,*** *an vero solum sub consilio?*

Respondeo cum Card. de Lugo dicente (*Respon. moral. I.* XXVII *5*): « Poenitens solum debet implere poenitentiam « sibi a confessario impositam; quoad reliqua vero, potest « quidem confessarius declarare poenitenti ea, ad quae « aliunde poenitens sub peccato tenetur, v. g. restitutio- « nem, relinquere occasionem proximam peccandi, abstinere « a tali contractu usurario, et alia similia, quae si poe- « nitens non habet animum observandi, non est dispositus « ad absolutionem: non tamen potest confessarius quidquam « aliud sub peccato ei praecipere, nisi id quod in poeni- « tentiam imponit, in qua imponenda habet se ut iudex: « quoad alia vero se habet ut medicus, cuius non est prae- « cipere, sed consulere et declarare aegroto, quae sint « media necessaria vel utilia ad sanitatem tuendam vel « recuperandam ».

Quae tamen doctrina non placet Filliuccio dicenti (*Brev. instr. III*): « Haec remedia..... proponenda esse « poenitenti, ut ipse sponte assumat aliquod (ex variis « indicatis) tamquam necessarium: vere enim ipse tenetur « ad aliquod ex iis assumendum ».

Quidquid sit de hoc, certe prudentia exigit, ut confessarius, contentus de imponenda sub praecepto fuga occasionis (quae obligatio ab omnibus recognoscitur), quoad alia (ut praxis est) ad consilium et exhortationem ordi-

narie se limitet. Dixi *ordinarie;* interdum enim expedire posset ut remedium aliquod valde necessarium ad modum poenitentiae sacramentalis iniungat.

344. *Remedia* ***suntne assignanda ante exhortationem;*** *an vero postea?* Si facile sit quod poenitens illa acceptet, tunc indifferens est sive prius sive postea indicentur; si vero poenitens verisimiliter difficultatem sit oppositurus, et maxime si insuper omnino oporteat ut illa acceptet; tunc ante exhortationem erunt proponenda, ut exhortatio ipsa ad difficultates vincendas deserviat, maioremque vim habeat.

345. ***Quaenam remedia*** *erant assignanda?*

Quoad personas a quibus parum fructus sperari potest (prout facile sunt qui raro aut solum in paschate ad sacramenta accedunt; et plurimi rudes qui vix mane et vespere signum crucis facere solent); sufficere poterit si confessarius fugam occasionis proximae (si quae sit) ab iisdem exigat; atque ad frequentanda sacramenta (in maioribus solemnitatibus) nec non ad devote orandum saltem diebus festis), eos enixe adhortetur.

Si autem poenitens sit dispositus vel disponi possit ad curam magis efficacem subeundam (et speciatim si constituat se sub directione stabili, ut de facto emendari valeat); tunc confessarius longe maiorem illum adiuvandi diligenter aptioribus remediis obligationem habebit. Haec diligentia a poenitentibus huiusmodi valde desiderari, iisque plurimum placere solet.

Alia autem sunt remedia generalia (quae omnibus peccatis aptantur), et alia particularia. Oportet ut confessarius illa cognoscat, non iam ut singulis vicibus cuilibet poenitenti ea omnia assignet, sic enim confusionem ingereret et nihil obtineret: bene vero ut, iuxta circumstantias, modo unum et modo aliud suggerat, pro eiusque seria applicatione plus vel minus insistat.

346. *Quaenam sunt* ***remedia generalia?*** Imprimis praecipuum remedium practice (et speciatim quoad rudes) solet esse magnus timor damnationis aeternae (1).

(1) Curandum est ut poenitens de hoc singulis diebus intra unam et alteram confessionem memoriam renovet. In hunc finem ascetici suggerunt

Maxime autem valet etiam considerațio aliorum motivorum, v. g. paradisi; Dei infinite digni ut ametur et non offendatur; praesentiae Dei; infelicitatis peccatoris etiam in hac vita; et e contra pulchritudinis virtutis eiusque etiam terrenae consolationis atque utilitatis. Insuper alia remedia generalia sunt speciatim frequentia sacramentorum; oratio fervens (ad obtinendam gratiam praecavendi a relapsibus) mane et vespere, et speciatim adveniente tentatione: examen conscientiae cum actu contritionis quolibet vespere.

Non oportet ut poenitens legere sciat. Si habeat bonam voluntatem, melius forte quam monachus, haec remedia cum magno fructu praestare poterit.

Interdum cum fructu applicatur etiam remedium faciendi aliquam eleemosynam, vel aliud opus mortificationis (v. g. quoad personas valde bene dispositas, octo vel decem cruces cum lingua in terra) toties quoties tale vel tale peccatum committitur.

Ad obtruncandum pravum habitum aliquando valde deservit, si poenitens qualibet hebdomada ad confessionem rediens, vivide imaginetur, hebdomadam illam esse ultimam vitae suae, et sic maximam adhibeat vigilantiam maximosque conatus, ut ad finem illius sine relapsu perveniat.

Item si modo has modo illas preces novendiales instituat, cum firmo proposito dies illos sanctificandi et abstinendi a peccatis in honorem B. Virginis vel Sanctorum pro quibus aeedem preces instituuntur.

Adde auditionem verbi Dei, lectiones spirituales etc.

347. *Quid de* ***remediis particularibus?***

I. Haec solum contra vitium praedominans vel magis noxium sollicitâ curâ dirigi debent, ut prudenter notat Croix (*n. 1828*).

II. Causa mali investiganda est. Qui arborem noxiam

---

ut poenitens quotidie propositum, meditationem, et conscientiae examen faciat. Optime! Sed personae rudes, in laboribus occupatae, et infinitis curis distractae, vix quidquam de rebus huiusmodi praestare possunt. Aliquid aliud itaque quod personis omnibus facile sit, nec minorem efficaciam habeat, suggeri poterit. Effice, v. g. ut poenitens, audiendo sonitum campanae ad salutationem angelicam invitantis, intra se dicat: *Haec est vox Dei, quae me admonet ut me emendem, et recorder ignis aeterni parati peccatoribus.*

destruere vult, ictus ad radicem dirigit; et medicus, qui non fucatas sed efficaces medicinas adhibere vult, totus in eo est ut causam morbi cognoscere et destruere possit. Optime scripsit S. Cyprianus: « Non sitis contenti in « morbis gravibus tangendi manum; tangite et cor. Im- « peritus est medicus, qui tumentes vulnerum sinus manu « parcente contrectat, et in altis recessibus viscerum virus « inclusum, dum servat, exaggerat. Aperiendum vulnus « est, et secandum; et, putaminibus amputatis, medela « fortiore curandum ».

Causae peccatorum sunt passiones humanae; sed frequenter illa passio, quae primo intuitu causa esse videretur, vel reapse non est causa, vel non est principalis; saepe enim vel ab aliis passionibus magis latentibus, vel ab aliquo obiecto externo suscitatur. Do exempla.

Causa blasphemiarum solet esse ira; sed interdum ex habitu contracto, aut ex stultissima iactantia, sine ulla ira blasphemiae proferri solent; aut, si proferantur ex ira, haec forsan ut plurimum a ludo (quando chartae male vertunt) excitatur.

Causa turpium lapsuum foeminae cum viro solet esse libido; sed interdum est paupertas; nulla voluntas laborandi; gulositas: pulchrarum vestium desiderium; amor personae quae ad peccatum invitat; vanitas seu ambitio habendi adamantes; indoles levis qua facillime annuit in omnibus, et animi imbecillitas, seu quaedam excessiva timiditas, qua nihil recusare audet; interdum etiam timor ne vir, propter repulsam iratus, lapsus revelet; denique imprudentia in adeundis vel non removendis periculis.

Causa proxima pollutionum utique est libido; sed saepe saepius adsunt causae paullo remotiores quae illam suscitant, nempe 1° cogitationes de rebus venereis; 2° oculorum libertas; 3° sermones pravi; 4° lectiones eroticae; 5° conversationes geniales, choreae etc.; 6° otium vel etiam solitudo; 7° excessus in cibo et potu; 8° habitus inveteratus; 9° occasiones se lavandi, aut satisfaciendi aliis necessitatibus corporalibus; 10° quidam morbi (maxime in foeminis, et speciatim morbus qui medice appellatur *pruritus vulvae*. Recole dicta *Vol. II n. 784 et sqq.*) etc.; 11° obsessio diabolica.

Causa murmurationum ut plurimum est quaedam levitas seu loquacitas; sed non raro vera causa est odium vel invidia.

Causa proxima litium et contumeliarum est quidem ira: sed interdum causae principales sunt superbia (amor proprius), avaritia etc.

Causa furtorum aliarumque iniustitiarum interdum quidem est mera avaritia (iuxta illud « Quid non mortalia pectora cogis, auri sacra fames? »); sed non raro causae sunt paupertas, ludus, luxus, pigritia, gula, luxuria etc.

Dices: quomodo confessarius veras peccatorum causas cognoscere poterit? R. Valde deservire solet si poenitens

interrogetur dicendo: Cur sic fecisti? Interdum interrogari poterit de antecedentibus, de consequentibus, aut de circumstantiis concomitantibus, v. g.: Antequam te polluas, habesne in mente semper aut fere semper malas cogitationes? Qua in circumstantiâ solitus es te polluere etc.? Persona de qua oblocutus es, quid mali tibi fecit? Pecuniam furto ablatam quomodo expendisti?

III. Cognita vera causa mali, confessarius totus in eo erit ut illam destruat vel diminuat, curando praecipue 1° ut passiones non excitentur et quantum fieri potest non sentiantur; 2° ut, quando nihilominus insurgunt, compescantur et frenentur. Oportet tamen ut vires tum physicae tum morales poenitentis, aliaeque circumstantiae considerentur. Exempla.

348. Titia solet se polluere, et finge quod causa pollutionis neque in occasionibus externis, neque in pravis cogitationibus, neque in morbo aliquo physico, sed *in sola libidine* reponi debeat.

In hoc casu remedium particulare esset maceratio corporalis, nempe ieiunium, cilicium, flagellationes et vigiliae. Ab huiusmodi remediis suggerendis multi confessarii refugiunt, sed ab iisdem modo absoluto refugiendum non est; imo illa aliquando fortiter suggeri debent, si nempe ex una parte necessaria sint, et ex alia poenitens voluntatem energicam habere videatur. Sed, si Titia, de qua loquimur, esset paupercula, vel debilis, vel parum fervens, vel coniugata, vel gravida, vel lactans etc. utique tunc haec remedia adhiberi nequirent. Attamen poenitens alia remedia adhibere poterit; et speciatim sequentia.

1°) Insurgentibus motibus venereis graviter periculosis (praeter remedia generalia, iam supra indicata, orationis et magni timoris aeternae damnationis) mutare situm; scilicet, si sit in lecto, vertere se prompte ad aliud latus (maxime evitando situm supinum aut pronum), et rosarium vel sacrum numisma collo appensum manu tenere. Melius autem esset si aliquantulum sederet in lecto, vel etiam e lecto surgeret. Interdum tamen media ista non iuvant, solumque pro effectu habent ut motus carnales diutius durent et persona dormire non possit; quo casu solum ea ad quae stricte tenetur adhibere debebit. Stricte autem tenetur 1° animo suo repugnare; 2° honeste se componere, si forte sive manibus sive aliter eo situ, (fere solum ad foedos actus exequendos apto), male compositum se reperiat (accidere tamen posset quod actu nedum voluntario, sed etiam prorsus involuntario iterum male se componeret).

Si autem pollutiones diurno tempore committantur, maxime iuvat fugere statim nullaque prorsus interiecta mora a loco ubi persona tentatur, et se distrahere atque solitudinem huiusmodi personis perniciosissimam evitare.

2°) Iuvare solent defatigationes, et solum quando somnum valde urget lectum petere, et mane cito surgere.

3°) De balneis frigidis aliisque remediis vide dicta *Vol. II* (*n. 772 et seqq.*).

4°) De quodam alio remedio subinde efficacissimo vide dicta *Vol. II. (n. cit.)*.

5°) Recolendum est etiam consilium Apostoli dicentis : « Melius est « nubere quam uri ».

349. Si causa pollutionum (prout fere semper accidit) reponenda sit *in pravis cogitationibus*, tunc cura principalis illas pro obiecto habebit. Proposita, examina, preces etc. ad illas eliminandas dirigantur ; quovis tempore, et speciatim insurgentibus motibus carnalibus, magno conatu expellantur, et mens convertatur ad pias et salutares cogitationes (quae sint determinatae et in promptu semper habeantur). Maxime vero oportebit ut otium declinetur atque honestae distractationes procurentur. Attamen remedia quoque prius indicata (si proximum pollutionis committendae periculum adesset) adhibeantur.

350. Si mulier peccet *propter occasiones satisfaciendi necessitatibus corporalibus*, v. g. propter menstrua, atque ad se lavandam ; tunc confessarius non utique poterit interdicere ei ut a necessariis abstineat ; secus enim alia et forsan peiora mala provocarentur. Attamen iubebit ut cito se expediat et modestiam (quantum fieri potest) adhibeat.

Ablutionibus vero, quae non ob menstrua, vel utcumque ad procurandam munditiem omnino necessariam (Cf. *Vol. II n. 782* II), sed ob alias minoris momenti causas (v. g. tempore aestivo) peraguntur, abstineat ; vel saltem easdem ad paucas vices reducat.

Ad casum autem satisfaciendi licite necessitatibus corporalibus non est reducendus casus illarum miserrimarum mulierum, in quibus, nisi pollutionem sibi procurent, fastidiosissimis incommodis et doloribus subiiciuntur, a cibo abhorrent, dormire non possunt, vires amittunt, in terram cadunt, laboribus ineptae evadunt etc. De hoc infelicissimo casu recolantur dicta (*Vol. II n. 745* III *in nota et 786* II), et quod, si sint in bona fide, prudentia adhibeatur.

351. Si causa *in pruritu morboso* reponi debeat, curandum ne ad illum extinguendum manus adhibeantur. Unctiones potius aliaque media indicata *Vol. n. 785* adhiberi deberent. Si non iuvarent, ad medicum recurrendum esset ; et, si de illius honestate certitudo non haberetur, mulier non sola sed alia comite ad illum se conferat.

De pruritu *ex defectu munditiei*, vide *Vol. II n. 782 et seqq.*

352. Sed quid de *hysterismo?* Hysterismus est magna (speciatim ex aliqua uteri infirmitate) nervorum debilitas et irritabilitas, unde quidquid minimum sufficit ut persona perturbetur, vel terreatur vel quaquaversus abnormissime procedat. Propter mentis perturbationem, quae nullius momenti sunt, enormia videntur ; et omnia mirum in modum exaggerantur, transversim accipiuntur, vel etiam phantasiae pro factis habentur.

Status huiusmodi est dementiae proximus ; imo interdum in veram dementiam degenerat.

Sicut aliae res omnes, ita etiam ea quae ad venerem spectant maximam impressionem faciunt, unde, speciatim si persona sit naturaliter libidinosa, motus carnales adeo vividi evadere possunt, ut in furorem eroticum, et tandem in veram nymphomaniam (seu maniam veneream) degenerent ; quo in statu misera infirma viros apprehenderet, coram ipsis se denudaret, aliaque faceret, quae ad illam in manicomio occludendam cogerent.

Rebus ad huiusmodi excessum deductis, utique persona non esset amplius conpos sui, neque culpae capax ; sed in aliis consuetis huiusce morbi stadiis reatus (etsi plus vel minus attenuatus) admitti debet.

Confessarius tamen caute procedat, ne, loco diminuendi morbi vim, excessivis correctionibus illam adaugeat. Deambulationes, laetas distractiones, alimenta substantiosa consulat (medici balnea maritima praescribere, et curam potassiae adhibere solent).

353. In casu *obsessionis diabolicae,* curandum ut persona liberetur, in quem finem, si usus aquae benedictae non sufficiat, exorcismi adhiberi debebunt; donec autem liberatio non sequatur, toto nisu satagendum erit ut non consentiat (Et de his vide dicta in alio uno opusculo *De directione animarum piarum n. 12*).

Caeterum si mulier sit histerica, non facile eius dictis credendum erit; quamvis enim diceret, daemonem in forma viri sibi apparuisse, et haec vel illa ei dixisse aut fecisse; vel in se ipsa hoc vel illud phenomenon (v. g. uteri tumescentiam, lactis ab uberibus egressum etc.), contingere potest quod ex phantasia (sicut in dementibus accidit) haec omnia procedant. Adde inclinationem maximam, cui personae huiusmodi subiici solent, decipiendi alios (quidquid vix credibile perpetrando et sufferendo) ut commiserationem inveniant. Certitudo absoluta obsessionis in his personis haberetur solum quando facta praeternaturalia (quae nullo modo ab illis ipsis procurata esse possent) testibus fide dignis patuissent; vel poenitens ipsa palam faceret se habere talem ac tantam malitiam, et scire res in genere luxuriae adeo (ut ita dicam) exquisitas, ut (attentis circumstantiis) nonnisi a diabolo sic instrui potuisset.

354. Si autem *propter occasiones extrinsecas* lapsus accidant, remedia indicavi in tractatu *De Occasionariis* (*Ed. V*), speciatim *nn. 80* ubi de occasione proxima; *139-144* ubi de concubinatu; *186* ubi de sectariis; *226* ubi de vitio cauponae; *251* ubi de adamantibus; *261* ubi de onanismo inter coniuges; *265* ubi de periculis domesticis: *270* ubi de famulabus; *271* ubi de scholis et collegiis: denique *276* ubi de officinis sermonem habui.

Hic dico dumtaxat curam esse difficillimam si occasio sit necessaria, maxime vero si amor intercedat, prout accidit in puella quae cum adamante peccet; quo casu fere unicum remedium esse solet ut matrimonium quo citius fieri possit concludatur, atque interim puella tempestive procuret ut mater vel soror praesens sit, donec iuvenis cum ipsa permanebit; et quidem ita ut ne unico quidem momento sola cum solo remaneat.

Si vero occasio voluntaria sit, si nempe aliquo modo evitari possit, tunc mulier viri alienationem omnino et firmiter procurare debebit (dicendo ei, v. g. quod parentes non sunt contenti, quod dicteria timentur etc.).

Interdum illam vel illam domum, aut illum vel illum locum deserere oportebit, ad bonam poroeciam, vel domum honestam migrando.

355. Denique si peccata propter *extraordinariam levitatem* accidant, fuga a personis periculosis, et amicitia cum personis honestis et piis, magis atque magis necessaria erit.

IV. Caeterum confessarius adiuvet quidem poenitentem opportunis consiliis (ut hucusque innui), aut etiam tradendo eis aliquem librum spiritualem, vel (si expediat) aliquod instrumentum poenitentiae; sed non facile aliter.

Caveat quoad ipsas eleemosynas, ne a foeminis vaferrimis (quae veniunt solum ut pecuniam carpant) decipiatur;

non tamen improbandus foret si poenitentes vere indigentes, eleemosynis quoque (sed caute) adiuvaret.

Caveat ne onus quaerendi personaliter novum servitium, maxime vero admonendi tentatorem, in se suscipiat. Si tamen poenitens in monasterio locum tutum quaereret, tunc expedire poterit ut illam adiuvet.

V. Aphorismus dicit: *Medicus satagat ut tuto, ut celeriter, ut iucunde curet.* Nempe 1° Remedia tutiora et efficaciora aliis praeferri debent. Verissimum hoc est; sed considerandae sunt vires poenitentis, propter quas non raro a remediis minus tutis minusque efficacibus incipiendum est. 2° Malis spiritualibus prompte occurrendum iuxta aliud proverbium: *Principiis obsta; sero medicina paratur, cum mala per longas convalnere moras;* et remedia quae cito, aliis quae pedetentim sanitatem afferunt (si fieri possit) praeferri debent. 3° Comiter procedendum est, et curandum (interdum industriosis modis) ut poenitenti remedia placeant, eaque libenter accipiat et exequatur.

VI. Bona etiam est regula quae dicit, curanda esse *contraria contrariis;* iuxta dicenda *De poenitentia sacramentali.*

VII. In cura poenitentium quatuor pericula adsunt, a quibus solerter cavendum.

Primum est quod poenitens nihil faciat. Confessarius itaque non facile assignet remedia quae adhiberi non solent; cuiusmodi esset, v. g. praescribere filiis ut veniam a parentibus petant (nisi forte de offensa gravissima res fuisset). Imo generatim, indicatis remediis, interroget poenitentem utrum illa adhibere possit, atque lubenti animo executurus sit?

Secundum est quod poenitens sit negligens, aliquando scilicet remedia adhibeat et aliquando non. Rediens itaque, an et qualiter remedia adhibuerit (nisi prudentia aliter suadeat) interrogandus erit.

Tertium periculum est, quod in posterum sincerus non sit, aut curam simul et curantem relinquat. Confessarius itaque illum rogabit, ut, non obstante quolibet relapsu et qualibet negligentia, redeat atque sinceritatem semper adhibeat, neque sibi unquam mirum erit si rela-

batur, aut si tentatione victus remedia negligat. Dicat ut solum propter Deum et salutem animae suae, non vero propter confessarium tantummodo, a relabendo caveat et remedia applicet; atque ita in quolibet eventu, velut aegrotus ad medicum, quo magis indiget eo confidentius, redeat; quatenus illum quidem iterum atque iterum in visceribus Christi exhortabitur; sed non (nisi forte ad modum patris) illum obiurgabit.

Quartum periculum est quod poenitens, propter relapsus (et fortasse etiam negligentiam) desperationi se tradat. Si itaque confessarius hoc periculum advertat, animum illi (quantum poterit) addere debebit; curando ut negligentiam quidem excutiat, sed simul desperationem evitet.

VIII. Si confessarius animadverteret quod talis vel talis curandi modus, notabili iam tempore transacto, nullum bonum effectum produceret, alium modum aliaque remedia (diversis experimentis utendo ad sanandum aegrotum) tentare deberet; idque maxime si peccatorum radices non bene cognoscere potuisset; aut si, attenta poenitentis indole, suspicaretur quod alia methodus magis profutura foret.

IX. In his omnibus confessarius magnam patientiam adhibeat, et maxime caveat, ne videndo relapsus, exiguum fructum, et forte etiam aliquem inespectatum excessum, animo ipse quoque deiiciatur; medela enim spiritualis, si optatam salutem tam cito non afferat, id saltem obtinebit ut poenitens non ruat in illam abyssum adhuc horribiliorem, in quam certe ruiturus esset, si eiusdem cura destitueretur. Reminiscatur se esse patrem. Reminiscatur etiam quod non iuxta fructum sed iuxta laborem a Deo praemium obtinebit.

ARTICULUS V.

De exhortatione facienda.

356. ***Cur*** *exigitur exhortatio?* Quia summi momenti est, et fructus confessionis ex illa maxime pendere solet. Exigitur scilicet duabus de causis. 1° Ut poenitentes hic et nunc ad verum dolorem et propositum,

atque adeo ad absolutionem valide recipiendam disponantur. 2° Ut in posterum seriam se emendandi curam adhibeant. Incuriae confessariorum, qui levissime hac in re ordinarie procedunt, communissima illa atque horribilissima in peccatis stabilitas, quae in fere omnibus poenitentibus conspicitur, magna ex parte tribui debet.

357. Factum manifestissimum est quod poenitentes fere omnes de emendatione propria serio solliciti minime sunt. Redeunt semper cum iisdem peccatis : in tentationibus et occurrente occasione semper cadunt eodem modo, eademque facilitate : lapsuum numerum (etsi iam quadraginta, quinquaginta, sexaginta etc. aetatis annos habeant) nunquam diminuunt; et saepe lapsus ipsos adaugent, atque consuetis peccatis alia quoque superaddunt. Imo plurimi palam faciunt quod de interno animi dolore et proposito ne cogitant quidem, et totam confessionis substantiam in verbis reponunt ; nec desunt qui accusant tamquam peccata ea quae iam cognoscunt esse licita, imo forsan debita ; vel accusant facta aliena, aut etiam (eandem semper accusationem repetendo) peccata quae ea vice minime commiserunt. De peccatis autem vere a se commissis, si sint venialia, passim existimant nulla opus esse emendatione, et deleri etiam sola aqua lustrali sino ullo dolore et proposito ; imo iam esse committenda, quia secus ad confessionem accedendo nihil haberent quod dicerent. Si autem peccata sint mortalia, facile existimant sufficere aliquod desiderium et velleitatem inefficacem emendationis, eo quod impossibile esse sibi persuadeant in occasionibus ab iisdem abstinere. Imo non raro (maxime si agatur de amoribus, de concubinatu, de onanismo coniugali, de odio, de furtis etc.), cum positiva et obstinantissima voluntate in huiusmodi perseverandi, confessionem faciunt et absolutionem praetendunt.

Factum istud semper notatum fuit a viris experientiam habentibus. Audiantur aliqui. S. Lig. (*Tannoia IV 30*): « Multi accedunt ad confes- « sionem indispositi ». P. Segneri (*Crist. ist. III.* XIV): « Qui putant bo- « nam confessionem consistere totam in verbis, quique ad conversionem « cordis nullo modo attendunt, sunt plurimi ». Lugo (*De Poen. XV.* IV *53*): « Ne tunc quidem, quando in fine anni confitentur, habent verum « dolorem et propositum firmum, sed velleitatem et propositum infirmum : « qui defectus in huiusmodi personis frequentissimus est » (Vide *De recidivis Ed. V n. 46*). De re ista habemus etiam alia documenta solemniora. Leo XII (Bulla *Charitate Christi*) dixit : « Sistunt se multi sacramenti « poenitentiae ministris imparati prorsus ». Et catechismus rom. (*De Sacr. poen. in fin.*) testatur, nimis esse verum « ut iam plerique ex fidelibus « ad peccatorum veniam impetrandam nullum intimum animi dolorem at- « que gemitum cordis necessarium putent sed illud satis esse existiment « si speciem tantum dolentis habeant ». Imo hodie saepe ne haec quidem species adest.

358. Hinc confessarius ex ipso officio iudicis, atque ut poenitens peccatorum remissionem obtineat, debet esse sollicitus de illius dispositione vera, ut scilicet ille quantum sit peccati malum cognoscat, atque serium et efficax se emendandi concipiat propositum, sine quo absolutio valida esse nequiret.

S. Gregorius (*I Reg.*) dicebat : « In fructu, non in foliis aut ramis « poenitentia cognoscenda est », et Albertus Magnus (*Parad. an. III 8*) subiunxit: « Argumentum falsae contritionis habet qui..., continuo post « dolorem eadem vel alia (peccata) committere non reformidat ». Denique « (ut alios multos praetermittam) S. Augustinus (*serm. 393*) exclamabat: « Poenitentes, poenitentes, poenitentes (si tamen estis poenitentes, et non « estis irridentes), mutate vitam ». Equidem humanae fragilitati tribuendum est multum ; sed non ita ut in veris poenitentibus fragilitas eo usque procedere possit, ut emendatio nulla unquam conspiciatur. Scripsit Lugo (*De Poen. XIV*, IX): « Qui efficaciter proponit et serio rem aliquam, quam « aliunde moraliter implere potest, non ita facile obliviscitur statim sui « propositi ; sed saltem per aliquod tempus perseverat, et difficilius vel « rarius cadit ». Et P. Segneri (*Penit. istr. VIII*): « Si ad me redis sem- « per cum iisdem peccatis, commissis cum eadem facilitate et cum aequali « negligentia in procuranda emendatione, quomodo potero iudicare te poe- « nitere ex toto corde?... Mulier quae heri mortuum maritum deflebat, et « hodie iam est nova sponsa, alio marito accepto, nimis clare indicat ex « corde minime flevisse; verae enim lacrymae verusque luctus non tam « cito cessant ».

359. Sed, supposito etiam quod poenitens absolutionem validam reciperet, quid hoc si non emendetur, et iam totam vitam in continuis peccatis ducat? Nonne eodem fere modo, si agatur de mortalibus, in periculo damnationis aeternae; et, si de venialibus, in periculo poenas in purgatorio diuturnissimas subeundi versabitur? Scriptum est: *Quae seminaverit homo haec et metet.* Insuper quid prodest si homines aliquo momento sint boni, dum habitualiler sint perversi, habitualiter contra Deum delinquant, et habitualiter proximum turbent atque offendant? Quod interest vere, est ut inordinationes cessent et lex Dei observetur.

Oportet itaque ut confessarii non solum de dispositione praesenti sed etiam de emendatione futura, eaque seria, eaque notabili, eaque constanti (quantum fieri potest) soliciti sint. Hinc D. N. I. C. dixit: « Posui vos ut eatis « et fructum afferatis et fructus vester maneat ».

Ad quid profecto continuae confessiones sine ullo fructu? Nunquid intentio D. N. I. C. esse potuit ut confessio ad illusoriam scenam reduceretur? Imo ut esset quasi pulvinar ad tranquillius dormiendum in peccatis? Porro persuasio obtinendi veniam pretio adeo exiguo, etsi scilicet nullum serium emendationis studium habeatur, iam (attentis passionibus humanis) nonnisi ansa ad fidentius peccandum esse potest, prout reapse (heu nimis!) contin-

tingit, et obvium est audire dicentes: *si peccabo, confitebor*. Hinc rectissime dixit celebris Salvatori (*II.* 11) quod confessarius vero zelo procurandi emendationem non praeditus, etsi foret primus totius mundi theologus, esset *un guasta mestiere;* faceret scilicet magis malum quam bonum.

360. Neque dicas, adesse alia media quibus homines emendationem propriam procurare possent; hoc enim est medium nedum aliis praestantius sed etiam necessarium. Est praestantius quia 1° confessarius omnium poenitentium circumstantias et difficultates cognoscere, et sic magis convenienter, magis apte, magisque plene remedium apponere potest. 2° Cura confessarii potest esse assidua et diuturna. 3° Medium istud specialissima gratia Dei (quae *sacramentalis* dicitur) corroboratur. Est autem necessarium quia 1° ubi agitur de vitiis extirpandis, ne ipsae quidem missiones sufficiunt, nisi confessarii postea assidua cura conversos adiuvent. 2° Confessarii ex officio proprio ad hoc stricte tenentur. Confessarius enim non solum est iudex sed etiam medicus, et Rituale dicit quod ille *efficacibus verbis* nedum ad dolorem et contritionem, sed etiam *ad vitam emendandam et melius instituendam* poenitentem adducere debet. Adde quod confessarius est etiam pater; sed quid non facit pater ad salvandum filium?

361. Inaestimabiles autem sunt huius praxis utilitates. Sic enim obtinentur verae conversiones et seriae mutationes vitae. Sic multi salvabuntur, qui secus damnarentur. Sic poenitentes, qui ordinarie amant adiuvari, et virtutis iucunditatem experientur, valde contenti remanebunt. Quod autem contenti remanserint facile manifestabunt, et subinde peccatores aut personas quomodolibet valde indigentes ad illum bonum confessarium adducent. Adde quod, dum confessarius totus est in procuranda emendatione, in cogitando de remediis etc., magis magisque ipse quoque liber erit a tentationibus et periculis, quae huiusmodi ministerium comitari solent; magnumque coram Deo meritum pro zelo et labore suo sibi comparabit.

362. Sed quid si poenitens haberet sola venialia? Multi confessarii, quando agitur de solis venialibus, contenti quod poenitentes se accusent in genere de peccatis vitae praeteritae (ad finem, uti aiunt, ponendi in tuto validitatem absolutionis), de eorundem venialium emendatione mini-

me sunt solliciti. Sed haec regula non est bona. Peccata venialia multas et frequentiores inordinationes atque turbationes (in familiis, monasteriis etc.) secum trahunt, purgatorium merentur, Deum offendunt, gratiis divinis obicem ponunt, et graviorum lapsuum periculum inducunt. Adde quod, quamvis poenitens de peccatis vitae praeteritae vere doleret (qua de re subinde est valde dubitandum), semper verum erit quod peccata venialia accusata propter defectum doloris et propositi (quod iam manifeste de illis ordinarie concipi non solet) nunquam delentur, et sic miseri poenitentes (qui forte existimabunt veniam obtinuisse) heu quam diu pro his peccatis (utique innumeris semperque crescentibus et nunquam remissis) in igne purgatorii poenam luere debebunt!

363. ***Quo modo*** *facienda est exhortatio?* Rituale dicit: « Audita confessione, perpendens peccatorum. quae « ille commisit, magnitudinem ac multitudinem, pro eorum « gravitate ac poenitentis conditione, opportunas corre- « ptiones adhibebit, et ad dolorem et contritionem effica- « cibus verbis adducere conabitur, atque ad vitam emen- « dandam ac melius instituendam adducet ».

Ergo exhortatio I. fieri debet *audita confessione:* non itaque post unum vel alterum peccatum auditum, sed solum in fine; secus poenitens non attenderet et de peccatis adhuc accusandis cogitaret; imo periculum adesset ne, audita primi peccati correctione, alia accusare verecundetur.

II. Consistere debet *in verbis efficacibus:* non itaque in longis praedicationibus, sed in verbis succosis quae magnam impressionem faciant.

III. Debet esse *iuxta poenitentis conditionem, opportuna* et prudens; cavendum scilicet ne correctio poenitentem (v. g. personam bene instructam vel in dignitate constitutam et aliunde bene dispositam) offendat; item ne quemquam, propter modos asperos et inurbanos (dicendo v. g. *es bestia; es damnatus: nonne te pudet venire ad me cum peccatis huiusmodi? Merereris ut hostiolum confessionalis tibi in faciem clauderem etc.*) ad indignationem provocet: item ne poenitentem in animi deiectionem vel in manifestum periculum reticendi in posterum peccata coniiciat etc.

Debet denique 4° dirigi ad duo, scilicet (ut supra dicebam) tum *ad dolorem et contritionem* praesentem, tum *ad vitam emendandam et melius instituendam* in futurum.

464. *Quinam esse poterit* ***tenor exhortationis,*** *ut poenitens ad dolorem et contritionem praesentem excitetur?*

Si poenitens peccata mortalia commiserit, ut plurimum, modus aptior exhortationem faciendi mihi videtur sequens: « *Conf.* His peccatis heu quantum malum feci-« sti! Imprimis (attende, fili mi, et responde) quid perdi-« disti? *Poen.* Paradisum. *C.* Ita est: perdidisti paradi-« sum, nempe bonum immensum et felicitatem aeternam. « E contra quid tibi meruisti? *P.* Infernum. *C.* Ita est; « abyssum tormentorum, et carcerem ignis, ignis aeterni. « Considera insuper, fili, considera: his peccatis tuis quem-« nam offendisti? *P.* Deum. *C.* Ita est, offendisti Deum « tuum: offendisti patrem tuum coelestem, qui tanto amore « dignus est, atque tantopere te diligit. Aspice Deum tuum « in cruce confixum. Audi quod dicit: Quid feci tibi, aut « in quo contristavi te, responde mihi! » Heu quantam « patientiam habuit Deus tuus in sufferendis tot atque « tantis atque adeo continuis offensis! Quisnam pater ter-« renus adeo patiens extitisset? Heu quanta est miseri-« ricordia tui boni Dei! Brachiis extensis te expectat, et « vult tibi ignoscere. Nunquid non meretur amari? Nonne « tibi displicet te illum offendisse? *P.* Utique. *C.* Visne « tu illum iterum offendere? *P.* Minime ».

Adsunt etiam motiva doloris, quae a particularibus peccatorum speciebus, (v. g. blasphemiis, impudicitiis etc.) deduci possunt. Haec etiam efficaciam habere solent, et valde expedit ut confessarii illa cognoscant et in promptu habeant. Vide Salvatori, Caietanum a Bergomo etc.

365. *Quomodo se gerere poterit confessarius,* ***ut poenitens vitam emendare ac melius instituere de facto incipiat?*** Regulae sunt duae.

Regula I. Supponendo quod poenitens nullum hucusque de peccatis, quae accusavit, serium emendationis studium praesetulerit, efficere oportet, ut ille *necessitatem emendationis vivide percipiat.*

Optime scripsit Lessius (*De Iust. et iur. I.* II *29*): « Omnes fere lapsus et peccata hominum ex defectu con-« siderationis provenire...; nam omnes vel fere omnes

« ideo peccant, quod malitiam peccati, et poenam ipsi de-
« bitam vel non considerent, vel non satis considerent ».

Contra hanc primam regulam deficiunt illi confessarii qui poenitentibus nimis blandiuntur, eorumque peccata modo hysterismo, modo violentiae diabolicae, modo necessitati naturae (quasi vis irresistibilis theoriam admitterent), modo indoli naturali etc. ita tribuunt, ut ea iam fere nihil facere videantur. Item illi qui peccata mortalia declarant esse venialia, quod facilius accidit quando ea solum in parte, et non in complexu (attentis scilicet circumstantiis) considerant, Item illi qui satis habent ut exhortatiunculam quamdam frigidissimam et memoriae traditam omnibus poenitentibus faciant. Verba efficacia sunt necessaria, ut rectissime dicit rituale ; sed praedicta exhortatiuncula ordinarie nullam efficaciam habet.

Notandum est insuper quod poenitentes, dum confessarius loquitur, ad eius verba attendere non solent, sed cogitant de aliis rebus, et praecipue an adhuc habeant peccata accusanda. Oportet itaque ut confessarius ad modum dialogi procedat, prout faceret si aliud negotium momentosum cum poenitente componere deberet. Per interrogationes scilicet et responsiones efficiendum est ut ille motiva emendationis (quae sunt infernus, purgatorium, paradisus, amor Dei, pulchritudo virtutis etc.) bene intelligat. Dico *bene intelligat ;* interdum enim poenitentes infernum, maxime vero purgatorium (quod forte pro magna fortuna habent) parvi facere videntur; et tunc vivide explicandum est eis qua de re agatur.

Valde autem iuvant similitudines, dummodo aptae, breves, et vividae admodum sint; v. g.: Dic, quaeso, nunquid committeres hoc peccatum (etsi quam maxime tentareris) si postea in igne vel unico temporis momento stare deberes? Abstineres a tali peccato pro praemio temporali, vel ad obsequendum amico, et non abstinebis pro paradiso et pro amore Dei ? etc.

Prodesse solet etiam efficere ut poenitens intelligat se frustra sperare veniam peccatorum quae accusat, et confessiones esse invalidas, nisi emendationis serium propositum habeat ; qua de re confessarius dicere poterit :

Nunquid tu crederes personae quae iam a longo tempore aliquid tibi promitteret, nec unquam promissa servaret?

In conclusione autem interroget poenitentem, an itaque velit se emendare, eoque affirmative respondente, reponat: Nunquid haec confessio erit sicut aliae hucusque a te factae quae nihil valuerunt? Nunquid hac quoque vice nullum serium emendationis studium adhibebis? Confessiones sine emendatione quid iuvabunt? Nonne eodem modo ad infernum ibis? Vis emendari: sed quandonam incipies? etc.

Regula II. *Emendationem reddere facilem quantum fieri potest.* Ad hoc obtinendum deserviunt sequentia.

Deservit 1° *destruere* (ut supra dicebam) *radices peccatorum*, et speciatim imminuere vim passionum, quae poenitentem ad peccandum impellunt.

Hic autem noto quod confessarius ipse suis verbis illam non parum imminuere potest destruendo deceptiones a passionibus ipsis inductas. Cur peccamus? Quia passiones repraesentant ut bonum quod est malum, atque ut malum quod est bonum. Aristotiles dicebat, *omnem peccantem esse quodammodo ignorantem*. Destruamus igitur illusiones istas; et, si perfecte id faciemus, iam non peccabimus.

Exemplum sit in ira. Irascimur inordinate contra res adversas, quia illas ut malum magnum accipimus. Sed reflectamus paullisper. Nunquid mala adeo transitoria huius mundi sunt revera mala magna? Nunquid merentur ut sic irascamur? Nonne sic essemus sicut pueri qui de ioculo ablato vehementissime irascuntur, dum, si domum flammis destrui viderent, indifferentes essent? Insuper res adversae nonne sunt occasio pretiosissima merendi praemia aeterna? Nonne efficiunt ut poenas peccatis nostris debitas in hac vita solvere possimus? Nonne sic sunt bona maxima? Hoc modo ablata erit illusio. Quod malum et infortunium videbatur, iam bonum et fortuna apparebit, et sic ira cessabit. Quinam enim contra bonum et contra fortunam irascitur?

Aliud exemplum dari potest in foemina amore capta erga virum cum quo peccat. Cur illum amat? Quia tamquam bonum, beneficum et sibi convenientem illum consi-

derat. Fac itaque ut reflectat illum esse scelestissimum, maleficentissimum, et causam suae damnationis etc. Si funditus et vivide haec intelligat, iam bonitas, beneficentia et convenientia illa disparebit, et amor cessabit. Pulchritudo quoque solet esse causa amoris. Sed quid magis illusorium? Qui hodie tam pulcher tibi videtur, nonne cito senex deformis, nonne cito cadaver horribile, nonne cito massa putredinis erit?

366. Ad emendationem facilem reddendam deservit 2° *Assignatio remediorum,* de quibus verba feci supra (*n. 342 et seqq.*).

367. Denique deservit 3° *Audire difficultates easque ita destruere ut poenitens prorsus persuasus evadat.*

Difficultates huiusmodi, si versentur circa remedia, interdum possunt esse tales, ut, loco unius remedii propositi, aliud suggeri debeat. Sed saepe poenitentes circa ipsam cessationem a peccatis difficultates opponunt.

Aliquando dicunt emendationem esse impossibilem. Supponendo quod confessarius debitas fecerit distinctiones (quae tamen saepe nimis negliguntur) et cognoverit agi de veris peccatis formalibus, non vero de peccatis tantummodo materialibus, aut de meris tentationibus (saepe enim poenitentes confundunt sensum cum consensu, vel se accusant de peccatis indeliberatis, vel etiam, ut supra dicebam, de rebus quas licite iterum facere possunt imo aliquando debent); supponendo, inquam, quod agatur de veris peccatis, a quibus poenitens absolute abstinere teneatur; persuasionem quam ipse habeat de impossibilitate ab iisdem abstinendi, prorsus destruere oportet.

Hoc autem non tam doctrinis generalibus (v. g. quod Deus non praecipit impossibilia, vel quod gratia Dei non deerit etc.), quam adducendo exempla aliorum qui se emendaverunt, et recurrendo ad similitudines supra indicatas (*n. 365*) praemiorum aut poenarum temporalium, obtinetur.

Si autem poenitens non iam impossibilitatem sed magnam difficultatem obiiciat; tunc confessarius maxime virtutis pulchritudinem, atque iucunditatem ineffabilem quae provenit ab actu virtuoso; et e contra turpitudinem peccati et remorsum illud comitantem atque subsequentem, proponendo: magnitudinem apprehensae difficultatis (caeteroquin non valde duraturae, et gratiae divinae auxilio nec non prudentium mediorum applicatione imminutae) magis illusoriam quam realem esse ostendat; et denique concludat quod pro Paradiso assequendo, et pro Deo non offendendo, nulla difficultas obstare potest.

Si autem difficultas vere maxima esset, et iam, v. g. de ipso periculo infirmitatis vel etiam mortis ageretur; tunc confessarius nullam ostendat perplexitatem, sed magno animo curet ut poenitens vere sit dispositus ad resistendum non obstante quocumque sacrificio et ipsa morte: et dicat quod, quandoquidem iam mori debemus, mors omnium pulcherrima esset quae eveniret ad non peccandum.

368. *Nunquid confessarius curam adeo magnam adhibere debebit* ***cum poenitentibus omnibus?***

Negative, sed solum iuxta necessitatem et spem fructus; si nempe poenitens iam sit serio sollicitus de sua emendatione, vel, supposita incuria, confessarius animadvertat quod, ex eius responsis, indole bona, ingenio perspicaci etc., parum sufficit ad illum excutiendum et serio determinandum. Sed si e contra, attenta eiusdem stupiditate, cerebrositate, ineluctabili pusillanimitate, experientia iam facta (et interdum etiam surditate), perspiceret quod multa verba effundere esset laterem lavare; maxime vero si fortis correctio futura esset perniciosa, prout contingere posset si poenitens characterem convulsivum, exaggeratum, scrupulosum, ad desperationem proclivem etc., ostenderet; utique tunc admonitio valde brevis esse poterit vel etiam debebit.

Sed, ab his casibus praescindendo, quilibet poenitentes adiuvandi sunt efficaciter, ut supra; et si aliqua distinctio fieri debeat, haec sita erit in adhibendo zelo maiori, non iam pro divitibus, et nobilibus, aut pro personis eruditis et politiore sermone loquentibus, aut pro poenitentibus propriis stabilibus, aut pro animabus piis etc.; bene vero pro iis qui in maioribus necessitatibus spiritualibus versantur. Huiusmodi sunt speciatim habituati in peccatis mortalibus, et maxime si quaedam circumstantiae superaddantur; scilicet 1° si occasionum quoque laqueis devinciantur; 2° si scandalum praebeant; 3° si statum suum miserrimum atque damnationis aeternae periculosissimum comprehendere non videantur; 4° si non habeant confessarium stabilem et casu adveniant vel confessarium inutilem habeant; 5° si rarissime aut solum tempore paschali ad confessionem accedant; 6° si non unicum, sed multa (v. g. blasphemiarum, furtorum, pollutionum, fornicationum etc.) vitia habeant, et sic vere sint magni peccatores; 7° si iam senes et morti vicini sint.

Hinc generatim specialissimus zelus adhibendus est *erga viros* (maxime rudes et pauperes); isti enim non solum, propter peccata plurima et incuriam accedendi ad sacramenta, in statu periculosissimo versari; sed etiam

foeminas tentare et quaquaversus magnam morum corruptionem in aliis inducere solent. Adde quod (ut ordinarie contingit) quo magis indigent, eo magis a confessariis declinantur, atque, ad instar evangelici paralitici dicentis *hominem non habeo*, sine auxilio relinquuntur.

369. *Quibusnam* ***tentationibus subiici possunt confessarii*** *ne hanc methodum adeo salutarem adhibeant?*

Prima tentatio est *labor et impatientia*. Equidem quod de re laboriosa agatur, negari non potest. Sed quid inde? Nunquid renuntiabimus fructui, nunquid relinquemus liberum cursum peccatis, nunquid deficiemus officio nostro, propter laborem? Confessarius imprimis est pater; sed (iterum dicam) quid non facit pater ad salvandum filium? Nunquid non possumus libentissime laborare pro amore Dei, pro salute animarum, et pro mercede illa magna quae nobis adpromittitur? Adde quod a confessariis, qui ex his motivis toti sunt in procuranda emendatione poenitentium, labor non sentitur sed convertitur in magnam iucunditatem; qua certe non fruuntur alii qui a confessionibus audiendis refugiunt, citissime omnes expediunt, impatientiis indulgent, irascuntur etc.

370. Secunda tentatio est *nimia sollicitudo expediendi multos*. At vero optime dicebat Caietanus: « Me« lius est audire duos bene, quam viginti perfunctorie ». Quid reapse de medico qui visitet multos et sanet neminem? Officium nostrum est ut hoc sacramentum administremus non utcumque, sed bene.

371. Tertia tentatio est *timor amittendi poenitentes* (speciatim mulieres, divites etc.). Sed nunquid salutem animarum et officium nostrum amori proprio sacrificare debemus? Quid mali est si aliqua persona cerebrosa vel superba vadat ad alios? Nonne alii advenient? Imo ex facto patet quod apud illos confessarios, qui veri zeli fama gaudent, concursus (si assidue se praestare possint) est semper maior.

Caeterum timor amittendi poenitentes pessimas maximeque ruinosas consequentias habere potest.

Confessarii hoc timore praeoccupati ab illo plus vel minus manifestando vix aut ne vix quidem abstinere poterunt. Haec autem manifestatio maximam et vix credibilem (speciatim in foeminis) difficultatem ad alios accedendi inducere solet. Confessionem faciente quadam puella, confessarius magnum tremitum in illa animadvertit. — Quid hoc? — Vae mihi, vae mihi (respondit poenitens): in scamno vicino vidi mulierem quae statim delatura erit meo confessario me ad te venisse: heu mihi: sum inventa in flagranti! — Et tremitus ita crescebat ut confessionale ipsum tremore concuteretur. — Esne mentecapta? (respondit confessarius). Es inventa in flagranti? Sed quis sum ego, aut quid mali facis tu? Nonne venisti pro animae tuae necessitate, et utique magna? — Ita, pater; sed ego bene scio cur dicam: Heu mihi, heu mihi! — Tyrannides, magnae tyrannides, incredibiles tyrannides sunt istae —, exclamavit confessarius, et bene. S. Thomas (ut iam alibi dixi) scripsit: « Multi sunt adeo infirmi, ut potius sine confessione « morerentur, quam tali sacerdoti confiterentur ». Et subiunxit quod con- « fessarii huiusmodi « multis laqueum damnationis iniiciunt et per conse- « quens sibi ipsis ».

Adde scandalum et cuiusdam indignissimae ostensionem zelotypiae; unde scripsit Raynaudus (*Heter VI.* 1 *9*): « Ad invidiam perinde ac sponsi « concupiscunt quas semel rexerunt animas, et, ut apud alios peccata exo- « nerent, graviter ferunt ac videntur insanire: quae est indignissima (ut « quam mitissime dicam) agendi ratio ».

Hinc optime dixit Scavini (*IV App. I*): « Guai a quei confessori che « incatenassero al loro confessionale le anime, e non facessero loro la più « ampia licenza di portarsi da altri ». Et prius Croix (*n. 1773*) scripsit: « Relinquenda est libertas, relinquenda est libertas, ne detur occasio sa- « crilegiis ». Et hic est procul dubio sensus Ecclesiae; circa ipsas enim moniales exigit non solum ut bis aut ter in anno confessarius extraordinarius eis assignetur: sed etiam ut unicuique moniali facultas fiat accersendi alium toties quoties pro conscientia sua eo indigeat, prout iam a Benedicto XIV (Const *Pastoralis curae*) et novissimae a Leone XIII (in decreto *Quemadmodom*) statutum fuit. (Cf. *Vol. IV n. 707*).

Notari potest non deesse qui dicunt poenitentibus concedendam esse quidem facultatem accedendi ad alios, sed prius inquirendum esse de motivo. At vero si poenitentes conscientiam suam tibi aperire auderent, utique tunc alium non inquirerent. Nunquid tenentur ipsi indigentias animae propriae cuilibet patefacere? Qua lege? Nunquid sic in difficultates, angustias et verum tormentum coniicerentur eodem modo? Nunquid denique praxis huiusmodi non est contra praedictum decretum Summi Pontificis, in quo districte praecipitur ut Superiores nedum caveant ab ullo displicentiae signo praebendo, sed etiam advertant ne ullo modo *petitionis rationem inquirant?*

372. Quarta tentatio est *animi deiectio.* Confessarius, v. g. incipit bono animo et modo supra dicto poenitentium emendationem procurare; sed, videndo relapsus, animo deiicitur, et intra se dicit: Iam hoc est frustra laborare. Tentationem istam (exceptis casibus mox supra iudicatis *n. 368*) sedulo repellant confessarii, et recogitent sequentia: 1° Frustra laborare contingit in iis, qui, nihil nisi consuetam exhortatiunculam faciendo, omnes absolvunt; non vero in iis qui vero zelo praediti seriam animarum curam

habent; si enim non proficiant in uno, proficient in aliis, ut experientia manifestissime patet. Nunquid fons publicus claudi debebit, eo quod pars aquae inutiliter effluat et in terra deperdatur? 2° Emendatio effectiva interdum quidem statim, sed ut plurimum tantummodo pedetentim, aliisque subsecutis relapsibus (forte etiam magnis), obtinetur. 3° Ut plurimum obtinebitur quod poenitentes (accedente gratia Dei qui illos ad nos mittit) saltem ad absolutionem hic et nunc valide recipiendam disponantur et sic in gratia divina constituantur. S. Alphonsus dicebat: « Multi accedunt indispositi, sed ostendendo illis gravitatem peccati, « offensam Dei, paradisum ammissum, et infernum apertum, disponuntur »; adeo ut ipsemet Sanctus in fine vitae dicere solitus esset: « Non memini me dimisisse « unquam poenitentem aliquem, quin illum absolverim ». Et Leo XII in bulla *Charitate Christi* dixit: « Sistunt « se quidem multi sacramenti poenitentiae ministris prorsus imparati; sed persaepe tamen huiusmodi ut ex imparatis parati fieri possint, si modo sacerdos viscera « indutus misericordiae Iesu Christi, qui non venit vocare iustos sed peccatores, sciat studiose, patienter et « mansuete cum ipsis agere ». At vero in quovis casu obtinebitur etiam, ut poenitens a suo fatalissimo somno ita excutiatur, oculos aperiat, magnisque conscientiae remorsibus subiiciatur, qui tandem efficere poterunt, ut, v. g. una finita occasione, in aliam non se coniiciat, vel propter aliquam aliam circumstantiam (puta, missionis, morbi etc.) tandem aliquando ad veram conversionem deveniat, ad illam non deventurus, si primam illam impressionem non habuisset. 4° Confessarius recepturus erit mercedem a Domino iuxta laborem, non vero iuxta effectum; imo, eo quod ne consolationem quidem fructus habere potuerit, mercedem forte maiorem recipere debebit.

373. *Contra hanc praxim fiuntne* ***obiectiones?*** Quaedam fiunt obiectiones; et oportet ut diluantur.

Obiectio I. Nonne adhiberi potest *alia methodus expeditior, nempe exigendi emendationem ante absolutionem?* Scilicet: Si poenitens se accuset de peccato gravissimo, aut de multis peccatis mortalibus, dicatur ei: *Abi*,

quia es damnatus ; et claudatur ei in faciem confessionalis hostiolum. Si autem habeat solum unum vel alterum peccatum mortale, nec praeseferat sufficienter ex sese signa compunctionis, dicatur ei : *Cessa ab his peccatis, et postquam uno vel altero mense ab iisdem abstinueris, redi. Nunc non possum te absolvere.*

Respondeo. Methodus huiusmodi damnabilissima est. Imprimis sacramentum poenitentiae quam maxime odiosum atque invisum redderet, magnamque et fere universalem a sacramentis alienationem produceret, et proinde in causa esset cur fere omnes perditissimam vitam (sic deserendo confessionem vel reticendo peccata) usque ad mortem ducerent. Est etiam contra doctrinam Ecclesiae, quae (ut supra vidimus) in rituali docet ut confessarius paterna charitate ad dolorem atque ad vitae emendationem poenitentes adducere conetur. Est denique contra sensum omnium auctorum probatorum.

P. Caietanus a Bergomo (*XI.* XIII) scripsit : « Veniunt interdum ad « pedes confessarii nonnulli qui accusant plurima et gravissima peccata « absque ullo compunctionis signo, quasi meram narrarent historiam. « Quomodo agendum cum istis ? Suntne forsan statim obiurgandi et tam- « quam damnati repellendi ? Ita se gerunt revera aliqui... Sed, bone Deus ! tot « concionibus et exhortationibus invitantur christifideles ad confessionem: « eccur itaque quando accedunt, tanta festinatione erunt repellendi ?.... « Si non videntur dispositi, cur non excipimus eos in visceribus Christi, « illisque, ut disponantur, auxilium non praebemus ? ». Et Salvatori (*II.* I) subiunxit : « Qualcuno al solo sentire che il poenitente non aveva preso « pasqua, o che era ricaduto in qualche peccato, ha avuto la crudeltà di « dirgli : *Vattene via, non ti voglio sentire.* Dunque per questi poveretti « si è abbreviata la mano di Dio ? Dunque è per questi esaurito il tesoro « della divina misericordia ? A che dunque le parabole del figliuol prodigo, « della pecorella smarrita, della dramma perduta ? A che gli esempi delle « Samaritane, delle adultere, delle Maddalene ? A che disse Gesù Cristo a « S. Pietro : *non usque septies, sed usque septuagies septies?* Si dovranno « tali confessori chiamare *medici* o non piuttosto *assassini* delle anime ? » Reapse S. Lig. (*VI 464*) exclamabat : « Quot miseros ego cognovi, qui ob « denegatam absolutionem se deiecerunt in desperationem, et per plures « annos a sacramentis aversi aberrarunt ! ».

374. Obiectio II. Si non placet methodus (quae caeteroquin iam antiquata est) dimittendi poenitentes sine absolutione, adhibeatur alia *eos omnes absolvendi sub conditione.*

Resp. Methodus valde commoda profecto haec quoque est. Sed hoc modo iam incidimus in excessum contrarium.

Error vetus erat nimis rigorose absolutionem denegandi. Error novus est concedendi illam nimis faciliter, recurrendo ad effugium illam dandi sub conditione. Utique bona doctrina est ut interdum dari possit absolutio sub conditione, sed haec doctrina (de qua infra sermo redibit) quo sensu intelligi debet? Sensus est ut duo prius verificari debeant. Oportet scilicet 1° ut confessarius conetur disponere poenitentem, illumque ex dubie disposito sufficienter dispositum, reddere. Si autem, non obstante exhortatione, poenitens adhuc dubie dispositus remaneat, tunc oportet 2° ut specialis et gravis causas subsistat, propter quam oporteat ut sacramentum in dubio sub conditione administretur. Sic enim etiam alia sacramenta administrari quidem possunt sub conditione, sed solum si necessitas urgeat aut causa proportionata subsistat. Adde quod confessarius non solum reverentiae sacramenti, sed etiam necessitatibus spiritualibus poenitentis tamquam medicus, prospicere debet. Sed nunquid partes medici in hoc tantummodo consistunt ut confessarius in absolutione conditionem apponat? Systema huiusmodi sine dubio perniciosissimum et innumerabilium peccatorum atque damnationis animarum occasio esset; atque in illo bene verificaretur celebris sententia Bellarminii: « Non esset « tanta facilitas peccandi, si non esset tanta facilitas absol- « vendi ».

375. Obiectio III. Ad servandam methodum emendationem poenitentium procurandi serio, et modo supra indicato, *nimium tempus cum singulis poenitentibus exigeretur,* et sic ipsi, et alii (qui expectant) taedio afficerentur, et amplius non redirent: unde confessarius ab omnibus derelictus iam prorsus inutilis redderetur.

Haec obiectio speciositatem sed non soliditatem habet, atque experientiâ manifestâ destruitur.

Aliquod notabile temporis spatium requiritur dum primis vicibus se praesentat poenitens habituatus et de sua emendatione non sollicitus: sed postea brevissimo tempore expediri poterit; si enim emendationi iam serio se applicet, tunc sufficiet si paucis verbis ad perseverandum confortetur; si vero sine ullo profectu iterum iterumque redeat, tunc erit casus dicendi: *Hoc est frustra laborare,* et iuxta

diversas circumstantias diversa consilia sumendi, modo scilicet differendo absolutionem, modo absolvendo sub conditione, modo efficiendo (si agatur de solis venialibus) ut poenitens se accuset de peccatis vitae praeteritae, modo denique ei consilium dando ut alium adeat confessarium, qui eiusdem saluti forte melius consulere possit.

Quum itaque tempus notabile exigatur solum primis vicibus, iam incommoda in obiectione exposita non sunt timenda. Poenitentes (quamvis essent scelestissimi et perditae conscientiae) ordinarie amant adiuvari, neque taedio afficiuntur, sed potius valde gaudent si in uno vel altero horae quadrante ad pedes confessarii eos serio adiuvantis commorentur. Si autem confessarius fama gaudeat quod omnes magna charitate excipiat atque adiuvet, et optime suo munere fungatur, iam libenter etiam expectant alii, si forte illo momento adveniant, in quo aliquis paullo prolixiorem confessionem faciat; certi sunt enim quod sibi ipsis quoque (si indigeant) eandem curam bonus confessarius praestiturus erit. Etsi autem contingeret quod aliquis non esset rediturus, id equidem parum mali erit; alii enim meliorem dispositionem et fortasse valde maiorem necessitatem habentes adventuri erunt. Adde quod, resecando inutilia, et habendo in promptu verba succosa, vivida et magnam impressionem facientia (ut dixi), brevitati simul et efficaciae exhortationis saepe saepius consuli potest. Vide alia in meo opusculo *Casus conscientiae* (*an. 1891*).

ARTICULUS VI.

De absolutione danda, vel differenda, vel deneganda.

N. B. Quia de hoc ex professo egi in tractatibus *De Recidivis et Occasionariis*, hic per summa capita et quantum satis pro praxi regulas principales expono.

376. *Circa absolutionem dandam vel differendam, vel denegandam, quaenam sunt huiusmodi* ***regulae principales?*** Tres; nempe 1° Poenitenti certe disposito absolutio ordinarie est danda. 2° Certe indisposito (intellige si talis remaneat etiam post exhortationem) est semper

deneganda. 3° Dubie disposito est interdum differenda et interdum *sub conditione* danda.

377. *Quandonam poenitens iudicari debet* ***certe dispositus?*** Praemittendum quod de hoc sufficit certitudo moralis. Cf. *De Recidivis* (*Ed. V n. 15 et seqq.*).

Haec autem certitudo habebitur in sequentibus casibus.

Primus casus. Si poenitens hic et nunc afferat *signa extraordinaria* bonae dispositionis; ut puta, si sponte aut post exhortationem confessarii verbis insolitis et cordialibus se esse vere contritum significaret at a fortiori si lacrymas effunderet. Idem dic si, ut hac vice ad confessionem accederet, longum iter suscepisset, vel quodvis aliud magnum incommodum sustinuisset, aut si aliquo extraordinario motivo (v. g. missionis vel concionis auditae) impulsus fuisset; aut si iam notabili tempore ante praesentem confessionem a peccatis abstinuisset, vel obligationibus suis (v. g. restitutionis, reconciliationis etc.) satisfecisset; aut si nunc peccatum in anteactis confessionibus prae verecundia reticitum accusasset etc.

378. **Secundus casus.** Si hic et nunc afferret quidem sola signa ordinaria (nempe diceret se dolere et emendationem proponere); sed in illo *conspicerent manifeste effectus verae poenitentiae*, si nempe post suas confessiones serium emendationis studium ostenderet, ut puta, si numerum peccatorum notabiliter diminueret, aut notabili tempore a consuetis peccatis abstineret, aut media praescripta adhiberet, aut solum post magnam contra tentationes resistentiam atque luctam caderet. Cf. *De Recidivis* (*Ed. V n. 55 et seqq.*)

379. **Tertius casus.** Si in illo (etsi sola signa ordinaria praeseferret) *nulla conspiceretur ex illis causis quae indispositionem producere solent*, cuiusmodi sunt 1° Ignorantia (vel inadvertentia) circa dolorem et propositum; quae non aderit si confessarius poenitentem paulisper admonuerit. 2° Magnus affectus ad aliquod grave peccatum, qui adesse solet tantummodo in magno amore, vel in magno odio, vel in magna avaritia (v. g. in usurariis, in habentibus onera restitutionum etc.), vel deni-

que in respectu humano. Cf. *De Recidiv.* (*n. 43 et seqq., 64 et seqq.*).

380. *Dixisti, absolutionem poenitenti certe dispositio dandam esse* ***ordinarie.*** *Quid itaque de exceptionibus?* Exceptiones reducuntur ad casum, in quo bonum poenitentis aut bonum publicum exigat ut absolutio differatur. Id autem facile contingere poterit 1° Si poenitens teneretur ad dimissionem occasionis, vel ad aliquam restitutionem, reconciliationem, denuntiationem, vel uno verbo ad aliquid arduum aut incommodum quod hic et nunc et unico actu perfici valeret. 2° Si magna et extraordinaria incutiendi terrorem in poenitente necessitas urgeret. 3° Si ageretur de scandalo magno, et multo magis si ipsa absolutionis concessio (scandalo de facto prius non reparato) admirationem et novum scandalum christifidelibus allatura foret. Cf. *De Recidivis* (*n. 136*)

381. *Quandonam poenitens indicandus erit* ***certe indispositus?*** Casus practici sunt sequentes. 1° Quando peccata sua deserere, vel manifestis ab eoque cognitis obligationibus (v. g. restituendi aut relinquendi occasiones proximas voluntarias etc.) satisfacere, apertis verbis recusaret. 2° Quando de sacrilega reticentia alicuius peccati mortalis confessarius esset certus.

382. *Quid si de hac sacrilega reticentia esset quidem certus, sed ex scientia subiecta sigillo, prout in confessione novorum sponsorum facile accidere potest?* S. Lig. (*VI 631*) dicit quod confessarius in tali casu absolutionem fingere debet. Alii e contra (vide Lugo (*De Poen. XXII.* XXII et Gury *II 619*) censent, absolutam certitudinem sacrilegae reticentiae dari non posse, et poenitentem sub conditione esse absolvendum; idque mihi quoque probabile videtur, maxime si persona aliquod aliud peccatum mortale confessa fuisset, quia contingere potest quod ipsa ex ignorantia credat sufficere si in posterum apud alium confessarium illa peccata accuset, atque interim excusari a tali confessione propter timorem non obtinendi absolutionem, qua in tali circumstantia adeo indiget. Insuper contingere potest quod sponsus quidem malâ, sed sponsa bonâ fide praedicta commiserit; interdum enim quaedam

puellae simpliciores credunt non peccare in huiusmodi, speciatim quando cum solo sponso ita se gerant, maxime vero si de solis tactibus ageretur.

383. *Quandonam poenitens iudicandus sit* ***dubie dispositus?*** 1° Quando ex eius ipso modo loquendi de bona dispositione gravis suspectus oritur; 2° Quando consueta quidem dat signa doloris, sed confessarius cum fundamento et graviter timet quod eiusdem poenitentia (v. g. propter nullum vel fere nullum emendationis studium post suas confessiones) non sit vera.

384. *Dixisti quod poenitentibus* ***dubie dispositis*** *absolutio interdum est differenda et interdum sub conditione danda. Explica* ***quando absolutio differri et quando dari debeat?*** Videndum *an subsistat causa sufficiens,* quae suadeat absolutionem, non obstante dubio, esse concedendam; si nempe bonum poenitentis aut bonum publicum exigat vel exigere videatur ut poenitens absolvatur (Intellige tamen semper quod confessarius, quantum potuerit, exhortationem praemiserit).

385. *Enumera casus magis practicos, in quibus poenitentes, etsi* ***dubie dispositi, regulariter absolvendi sunt.***

I. Casus moribundi.

II. Si poenitens non possit redire nisi post longum tempus, vel cogeretur repetere confessionem apud alium confessarium cum gravi difficultate.

III. Necessitas communicandi, vel eo ipso mane matrimonium contrahendi.

IV. Periculum speciale, ne poenitens, propter dilationem absolutionis, in desperationem se coniiciat, vel confessarium stabilem eique valde utilem deserat, vel in posterum peccata reticeat, vel alienetur a sacramentis, et multo magis si adesset periculum ne per multos annos et forsan per totam vitam praecepto paschali non amplius satisfacturus, aut etiam Religioni prorsus valedicturus esset.

V. Casus semifatui, pueri, stupidi, surdi, muti, mussitantis, et uno verbo si tales adsint circumstantiae habituales et indeclinabiles, ut confessarius poenitentem circa dispositionem examinare nequeat.

VI. Casus urgentes in quibus poenitens ex una parte non possit immorari in confessionali ut plene disponatur vel examinetur, et ex alia indigeat ut ea vice absolvatur.

VII. Casus poenitentis dubie dispositi etiam in fine missionis vel iubilaei.

VIII. Casus poenitentis cui aliis vicibus dilata fuerit absolutio, sed inutiliter; quatenus eodem modo dubie dispositus semper redierit.

IX. Si confessarius absque extraordinario populi taedio, murmure et admiratione, poenitentem ea vice absolutione indigentem, et adhuc dubie dispositum, amplius detinere nequiret, prout die paschatis, aut audiendo confessionem infirmi cui eucharistia iam est delata, contingere posset.

X. Si confessarius, agendo benignius cum tali vel tali poenitente, speraret quod ille contentus multos alios ad confessionem adduceret, dum, si inabsolutus dimitteretur, alios a confessione alienaret; prout speciatim in missionibus interdum contingere potest. *De Recidivis* (*n. 151 et seqq., 174 et seqq.*).

386. *Dixisti absolutionem poenitentibus dubie dispositis interdum dari quidem posse, sed* ***sub conditione.*** *Quid significat conditio ista; et debetne esse verbis expressa?*

Significat quod absolutio datur non absolute, sed sub conditione: *Si capax es* vel *si es dispositus.*

Quod autem haec conditio verbis exprimatur, non oportet.

Imo probabiliter ne oportet quidem ut in mente concipiatur *explicite*; quatenus absolutio iam suapte natura semper conditionalis est, seu conditio semper subintelligitur. *De Recidivis* (*n. 110 et seqq.*).

387. *Quaenam est theologorum* ***doctrina communis circa habituatos-recidivos?*** Quod post tres vel quatuor confessiones debet eis (tamquam dubie dispositis) differri absolutio, nisi afferant aliquod signum extraordinarium (quo nomine signa mox supra indicata tum *n. 377* tum *n. 378* intelligunt). Excipe nisi causa gravis suadeat ut nihilominus sub conditione absolvantur.

388. *An confessarii, toties quoties audiunt confessionem alicuius habituati,* ***veram habeant obligationem investigandi an sit recidivus, et an aliquod ex recensitis signis extraordinariis praeseferat?***

Negative. In praxi enim iudicium de dispositione vel indispositione poenitentis, et de absolutione danda vel non danda, independenter ab investigatione ista ut plurimum commodissime efformari potest.

Reapse si poenitens se accuset de illis rebus in quibus dolor solet esse difficilis propter affectum ad peccatum, iam illum interrogando an paratus sit v. g. relinquere occasionem proximam, a furtis abstinere, restitutiones exequi, odium deponere, respectus humanos vincere etc., ex modo quo ille respondebit, ordinarie an sit dispositus vel indispositus satis et abunde patebit.

Si e contra se accuset de rebus in quibus dolor solet esse facilis, eo quod (prout contingit in blasphemiis, pollutionibus solitariis etc.) affectus ad peccatum ordinarie non adsit; quum, in tali casu, ex sola ignorantia vel inadvertentia defectus doloris ipsius provenire possit: nonne sufficiet in mentem poenitentis revocare quod dolor est necessarius, eiusque motiva proponere?

Nonne autem sic tam in primo quam in secundo casu efformari poterit iudicium de dispositione poenitentis, quin inquiratur an sit recidivus, an adsint signa extraordinaria etc.?

Inquisitiones istae poterunt quidem interdum exigi ex officio medici, atque etiam aliquando esse utiles quoad officium iudicis; sed mere ad cognoscendum an poenitens hic et nunc sit dispositus necne, ordinarie non sunt necessariae, et proinde ordinarie non oportet ut confessarius circa signa extraordinaria in angustias se coniiciat, et valde facile sibi satisfacere potest.

Ita profecto sensit etiam Suarez, qui (*Disp. XXXII.* 11) scripsit: « Priusquam (confessarius) absolvat, necesse est ut prudenter et probabi-
« liter iudicet poenitentem dispositum...; in quo observandum, hanc dispo-
« sitionem poenitentis ex duobus consurgere, scilicet displicentiâ praeter-
« ritorum, et proposito in futurum: et quidem, quoad displicentiam attinet,
« *facile potest sibi satisfacere confessor*, quia si poenitens in ipso modo

« confessionis et accusationis suae praebet signa doloris, VEL certe si est « homo non valde rudis et apparet moratus, *nullam diligentiam in hoc « tenetur confessor adhibere;* bene tamen semper faciet proponendo et « consulendo detestationem peccati. Et quando non habet sufficientia signa « doloris, potest et debet interrogare poenitentem, an ex animo detestetur « peccatum, *cui affirmanti credere tenetur.* Et hoc idem dicendum est de « proposito in futurum, quando ex confessione non oritur specialis obli- « gatio restituendi, vel relinquendi aliquam occasionem proximam peccandi, « sed solum communis et generalis obligatio non peccandi de caetero.... « *Tota ergo difficultas, ad hoc revocatur quando ex confessione resultat « specialis obligatio restituendi etc.* ».

In Rituali Romano quoque regula est valde simplex : dicit enim dumtaxat quod beneficio absolutionis sunt incapaces « qui *nulla* dant signa « doloris ; qui odia et inimicitias deponere, aut aliena (si possunt) resti- « tuere, aut proximam peccandi occasionem deserere, aut alio modo pec- « cata derelinquere, et vitam in melius emendare nolunt ; aut qui publi- « cum scandalum dederunt, nisi publice satisfaciant et scandalum tollant ».

389. *Quid est* ***occasio peccati?*** Est persona vel res extrinseca propter quam homo in peccandi periculo versatur. De illa autem hic agi debet, quia constituit unam ex causis praecipuis quae facile impediunt ne absolutio concedi possit.

390. *Quomodo* ***distinguitur*** *occasio peccati?* Est proxima (si periculum sit grave): remota (si sit leve); voluntaria (si facile evitari possit); necessaria (si nullo modo aut solum cum nimis gravi incommodo, iuxta dicenda *n. 399 et seqq.* evitari valeat); *in esse* (si sit in eadem domo); *non in esse* (si sit extra domum); occulta (si lapsus non sit notorii); publica (si cum publico scandalo coniungatur).

391. *An adsit obligatio evitandi occasionem peccati?* Affirmative si rit **proxima** simulque **voluntaria.**

392. ***Quomodo cognoscitur*** *an periculum sit grave, et proinde* ***an occasio sit proxima?*** Ex lapsibus iam secutis; et interdum (quamvis lapsus non adhuc intervenissent) ex communiter contingentibus; vel ex speciali propensione aut fragilitate poenitentis.

393. *An occasio ex proxima* ***possit evadere remota; et quomodo id evenisse cognoscitur?***

Resp. ad I. Affirmative; sed quod revera evaserit, remota, in praxi non facile est credendum.

Resp. ad II. Cognoscitur 1° Ex facto; si nempe iam a longo tempore lapsus et tentationes cessaverint. 2° Ex

mutatione circumstantiarum; si nempe tales circumstantiae supervenerint aut cessaverint, ut lapsus vere non sint amplius probabiles. Sed, repeto, cavendum ab hallucinatione. *De Occasionariis* (*Ed. V. 15-18*).

394. *An* ***propositum adhibendi media particularia emendationis sufficiat,*** *ut occasio ex proxima evadat remota; atque adeo ut poenitens in occasione non necessaria cum dicto proposito permanere possit?*

De regula ordinaria negative. Dico *de regula ordinaria;* ut plurimum enim agitur de occasionibus in materia turpi, et quidem diuturnis, atque interveniente amore aut fragilitate magna; et tunc certe in aliis mediis, seclusa separatione, nulla fiducia reponi potest.

Idem dic si agatur de occasionibus alterius quidem generis sed magna vi ad peccata pertrahentibus. Exemplum habes in vitio ebrietatis propter cauponam.

Caeterum quod dentur aliqui casus exceptionales, in quibus propositum adhibendi media particularia sufficere possit, plures theologi admittunt. Id accidere potest speciatim si sequentes circumstantiae concurrant 1° quod occasio non sit, aut cessaverit esse, valde alliciens; 2° quod aliqua causa illam non prorsus obtruncandi substitat, quamvis haec causa in rigore strictam necessitatem non constitueret; 3° quod propositum adhibendi media et cautelas sit serium et extraordinario modo elicitum; 4° quod occasio sit non diuturna, sed brevi tempore duratura. *De Occasionariis* (*Ed. V. 19-27*).

395. *An quando confessarius dignoscit, poenitentem in occasione proxima voluntaria versari,* ***de obligatione gravi illam deserendi statim eum admonere debeat?***

Affirmative *de regula ordinaria;* ut plurimum enim in re huiusmodi bona fides vel non adest, vel ita noxia est, ut non possit expedire ut poenitens in ea relinquatur. Agitur, v. g. de viro qui solo concubinae titulo foeminam detinet, vel de iuvene qui libros impios legere aut socios sectarios frequentare incipit, vel de occasione quae cum magno scandalo publico coniungatur? In his casibus

certe nec bona fides supponi, nec praetermissio admonitionis (saltem quoad substantiam) practice expedire potest.

Quod tamen dentur *casus exceptionales*, in quibus ex una parte (propter credulitatem non relabendi vel propter excusationes non insulsus) bona fides (circa tempus et modum occasionem dimittendi, et aliquando etiam circa substantiam) contingere possit; et ex alia prudentia exigat ut confessarius ad exhortationes dumtaxat se limitet, aut meliorem opportunitatem expectet, ne, gravem obligationem statim indicendo, poenitentem reluctantem inveniat, et, denegando ei absolutionem, in peiorem statum illum coniiciat; quod, inquam, huiusmodi casus exceptionales dentur, concedi debet.

Hoc accidere potest speciatim quoad visitationes adamantium ante matrimonium, conversationes, pravos socios, choreas etc.; maxime vero si vel confessarius iam multum laborasset, ut promissionem dimittendi aliam maioris momenti occasionem obtineret; vel si specialissimum esset periculum ne poenitens sine absolutione dimissus religioni valedicturus aut alio modo in peius ruiturus esset. *De Occasionariis (Ed. V. 29-41).*

396. *Si occasio sit* ***in esse*** *et poenitens separationem promittat, potestne confessarius illum absolvere;* ***an vero absolutionem ei differre debet, ut prius de facto separationem exequatur?***

Doctrina communissima est quod occasionarii isti duabus vicibus (supponendo quod scandalum publicum non adsit) ad summum absolvi possunt.

Dixi *ad summum;* plures enim docent quod ne prima quidem vice absolutio eis concedenda sit. *De Occasionariis* (*Ed. V. 42*).

397. *Haec regula patiturne* ***exceptiones?*** Affirmative; confessariorum enim prudentiae relinqui debent sequentes casus.

I. Si occasio hic et nunc expelli nequeat, sed solum post longum tempus (intellige semper si de re occulta agatur).

Exemplum habes si occasio esset cum famulo conducto ad annum, vel cum inquilina, vel etiam cum famula, quae priusquam aliud servitium invenisset, expelli nequiret.

II. Si occasio posset quidem eiici intra breve tempus, sed urgere videretur necessitas adhuc prius, aut praecise hic et nunc, poenitentem absolvendi. Exemplum habes

1° in moribundis; 2° tempore missionis; 3° si poenitens haberet occasionem in patria et longe a patria confessionem faceret; 4° si haberet necessitatem hic et nunc communicandi; 5° si ad eundem confessarium redire nequiret et valde periculosum esset relinquere ei obligationem repetendi confessionem apud alium; 6° denique si poenitens esset de illis qui vix tenui (ut ita dicam) filo adhuc religioni uniuntur et vix aliquando in paschate ad confessionem accedunt; unde confessarius qui iam multum laboravit ut ille occasionem dimittere promitteret, si insuper exigeret ut rediret, non solum nullam haberet spem id obtinendi, sed etiam quam maxime reformidare deberet, ne indignatus sacramentis et religioni prorsus valedicturus esset. *De Occasionariis* (*Ed. V. n. 43*).

398. *Si occasio* ***non sit in esse*** *et poenitens illam deserere promittat,* ***potestne confessarius illum sic promittentem absolvere;*** *an vero experimentum prius exigere debet?*

Doctrina communis est, huiusmodi poenitentes absolvi posse duabus vel ad summum tribus vicibus; sed postea non, nisi totalem, aut saltem (prout plures dicunt) aliquam emendationem ostenderint.

Alii autem dicunt, rem istam prudentiae confessariorum esse relinquendam.

Meo sensu, imprimis non expedit ordinarie ut absolutio differatur *pro casibus nimis frequentibus*, v. g. quoad illos qui de turpibus sermonibus habitis cum sociis se accusant.

Loquendo autem *de casibus rarius occurrentibus*, v. g. de turpi consuetudine viri cum foemina, magna distinctio fieri debet inter casum in quo visitationes sint frequentes et casum in quo rarae.

Si visitationes sint frequentes, ita ut intra unam vel alteram hebdomadam, vel certe intra mensem, experimentum momentosum fieri possit, tunc regulariter differri debet absolutio; speciatim si poenitens sit recidivus; maxime vero si circumstantiae sint tales, ut totalis et stabilis obtruncatio occasionis sic obtineri valeat. Exemplum habes in muliere, quae, virum una vel altera vice firmi-

ter repellendo, efficere possit ut non amplius redeat. Dixi absolutionem differri debere *regulariter;* excipiendi enim sunt casus mox supra (*n. 397 II*) expositi, in quibus circumstantiae clamant ut absolutio potius concedatur.

Si autem visitationes essent rarae, aut si experimentum non videretur momentosum; tunc non facile confessarius dilationem absolutionis adhibere teneretur, unde res tota eiusdem prudentiae relinqui deberet. *De Occasionariis* (*Ed. V. n. 55-59*).

399. *Quaenam causae efficiunt, ut occasio* ***tamquam vere necessaria iudicari debeat?*** Sunt duae. Impotentia physica et impotentia moralis.

400. *Quandonam intervenit* ***impotentia physica?*** Quando poenitens nullo prorsus modo occasionem deserere potest; ut puta, si cum ipsa in eodem carcere, vel in eadem navi in medio maris, versaretur; aut si ex una parte nullo modo illam eiicere, et ex alia propter morbum viribus destitutus nullatenus ipse abire posset.

401. *Explica quaenam sint* ***impedimenta, quae impotentiam moralem efforment?***

I. Spirituale periculum aequale vel maius; ut puta, si famula exire nequiret nisi aliud servitium aeque vel magis periculosum iniret.

Ordinarie tamen huiusmodi circumstantia erit temporanea dumtaxat, et in quovis casu cavendum erit ab hallucinatione. Dixi *ordinarie;* interdum enim potest esse continua; ut puta, si quis in exercitio propriae artis occasionem proximam passim inveniret; dum sine arte propter otium vel egestatem maioribus periculis exponeretur. *De Occasionariis* (*Ed. V. n. 62*).

II. Iniustitia aut aliud peccatum.

Exemplum habes is hero, qui, tempore locationis non adhuc expleto inquilinam eiicere nequit sine iniustitia; et in moniali quae a monasterio sine violatione clausurae fugere non potest. *De Occasionariis* (*Vol. V n. 63*).

III. Scandalum. Si nempe occasio deseri vel eiici nequeat absque scandalo.

Haec quoque necessitas saepe erit temporanea dumtaxat.

Oportet etiam ut scandalum sit verum, grave et ineluctabile. *De Occasionariis* (*Ed. V. 64-67*).

Idem dic si occasio absque damno spirituali proximi deseri nequiret; dummodo tamen hoc ipsum damnum esset grave praeponderans atque

aliis viis non facile impediri posset. *De Occasionariis* (*Ed. V. 68*). Exemplum contingere posset si parochus in sui ministerii exercitio occasionum proximam (v. g. consentiendi cogitationibus turpibus) inveniret.

IV. Grave incommodum temporale, si nempe occasio absque gravi nocumento in bonis sive fortunae, sive famae, sive vitae, et uno verbo sine magno gravamine deseri non possit.

Notandum 1° quod poenitentes saepe adducunt huiusmodi excusationes, sed reapse nihil subsistit. Dicunt v. g. suborituram esse infamiam, dum revera vel poenitens iam est infamis, vel infamia nulla suboritura est, eo quod, v. g. agatur de famula, et nemo miretur, si quis famulam dimittat.

Notandum 2° quod in praxi saepe saepius opportunis mediis damnum praecaveri valet. Famula, v. g. nescit quid respondere debeat inquirentibus cur discesserit. Confessarius ei suggerat, ut cum hero controversias litesque provocet easque pro causa discessus adducat. *De Occasionariis* (*n. 69*).

402. *Ut quis a deserenda occasione proxima excusetur, sufficitne quodcumque incommodum aut damnum,* ***quod aliqua ratione grave dici possit?*** Negative: sic incommoda quae essent satis gravia ut homo excusetur ab auditione missae; et damna quae sufficerent ad constituendam materiam gravem in furto, non aeque sufficiunt ut quis in occasione proxima remanere possit. *De Occasionariis* (*n. 71*).

403. *Quomodo itaque hac in re* ***incommodi seu damni gravitas taxabitur?***

Certe excusant illa incommoda gravissima, quae vires humanas superare videntur; v. g. fuga a propria domo, magna infamia, ruina familiae, lapsus a proprio statu, ut puta, si vir nobilis cogeretur famulari, aut vir honestae conditionis mendicare.

Quoad incommoda autem non ita gravissima, decisio pendet a circumstantiis.

In praxi magna distinctio fieri debet inter concubinatum, et occasiones minoris momenti.

Ut quis possit retinere tempore indeterminato et diuturno foeminam quae hucusque fuit concubina, si ambo essent iuvenes aut si lapsus hucusque frequentes fuissent, ratio vere gravissima exigeretur; nec certe sufficiunt rationes quae saepe adducuntur, quod nempe foemina illa rei familiari valde utilis, et necessaria sit, vel quod alia

similis inveniri nequeat etc. Id dici deberet a fortiori si casus esset publicus.

Ut autem quis possit retinere foeminam ipsam ad breve tempus, aut si non adeo frequenter cum eadem lapsus fuisset, aut si versaretur in occasionibus alterius generis minorisque momenti; tunc causae non adeo graves ad excusandum sufficere possent; idque speciatim si poenitens alacri animo cautelas et subsidia spiritualia interim adhibiturus esset, maxime vero si haec de facto periculum imminuerent.

In aestimanda autem gravitate damni et incommodi, oportet etiam ut conditionis poenitentis aliarumque circumstantiarum ratio habeatur. Imo consideranda est quoque eius indoles, nempe impressio quam tale vel tale damnum aut incommodum (non obstantibus confessarii ad persuadendum conatibus) in eius animo facit.

Decisio itaque an incommodum sit tale ut sufficientem excusationem constituat, nec ne, discretioni confessariorum relinqui debet; qui etiam interdum (quamvis excusatio stricte sufficiens non adesset) bonae fidei poenitentis rationem habere possunt, ut supra (*n. 395*) dicebam. Cf. *De Occasionariis* (*n. 77-78*).

404. *An* ***visitationes, quas adamantes conclusioni matrimonii praemittere solent,*** *iudicandae sint ita necessariae, ut, si etiam peccata intervenirent, iuvenes nihilominus se invisere possint?*

Affirmative si sint discretae et iuxta morem patriae, ita ut sine ipsis nullo modo vel difficile matrimonium contrahi valeat.

Si tamen peccata evasissent *notoria*, tunc omnino vel fere omnino a visitationibus cessandum esset. Vide alias explicationes datas *De Occasionariis* (*n. 244 et seqq.*).

405. *Quid de poenitentibus adeo fragilibus ut* ***occasiones proximas in rebus fere omnibus inveniant?*** Huiusmodi occasiones evaderent necessariae, secus enim ex hoc mundo exire tenerentur. *De Occasionariis* (*n. 78 V.*).

406. *Poenitens, qui iusta de causa occasionem proximam deserere non teneatur, nempe* ***in occasione***

necessaria constitutus, ad quid obligari debet? Ad curandum ut occasio ipsa ex proxima reddatur remota, roborando seipsum subsidiis spiritualibus, et adhibendo speciales cautelas, inter quas praecipua est, ut, quantum fieri possit, solus cum sola non remaneat.

407. *Quid si poenitens,* ***non obstante assignatione remediorum, in peccata reincidat?***

Imprimis contingere potest quod causa quae excusabat ante relapsus (dum sperabatur non esse secuturos) illis subsequentibus, non amplius excuset; et tunc videndum an separatio exigi debeat omnino.

Dico *videndum.* Quid enim si difficultas esset gravissima (ut puta, si uxor virum atque familiam, vel iuvenis domum paternam etiam cum magna infamia deserere cogeretur)? Tunc sententia communis dicit quod nihilominus poenitens adigi debet ad fugam, saltem pro casu in quo propter lapsus iam a longo tempore sine ulla emendatione repetitos, nulla sit spes emendationis.

Attamen alii dicunt quod confessarius debebit quidem enixius procurare ut poenitens remedia adhibeat, sed veram obligationem deserendi occasionem cum tali ac tanto incommodo ut viribus poenitentis proportionatum nullo modo sit, imo vires humanas suapte natura superare videatur, ei imponere non debet. *De Occasionariis* (*n. 85-103*).

408. *Quomodo se gerere debet confessarius* ***quoad absolutionem poenitenti in occasione necessaria constituto dandam vel deneganda vel differendam?***

Si poenitens in occasione non solum permanere (quod ei ex hypothesi interdici nequit), sed etiam peccare velit; tunc absolutio deneganda est, ut per se patet. Casum habes in illis foeminis quae dicunt: Si ab hac mala vita cessaverimus, fame peribimus.

Supposito autem proposito abstinendi a peccatis, S. Ligorius censet expedire ut prima quoque vice absolutio differatur; eamque omnino esse differendam si poenitens secunda vice cum iisdem peccatis redeat et media praescripta neglexerit, nisi extraordinariam compunctionem

praeseferat; imo, supposita etiam compunctione extraordinaria, expedire ordinarie ut absolutio differatur si commode differri posset.

Alii autem valde communius censent, huiusmodi poenitentes in occasione necessaria degentes simplicibus habituatis et recidivis (v. g. in pollutionibus, blasphemiis etc.) esse aequiparandos; atque adeo absolvi posse et ordinarie expedire ut absolvantur, si tamquam dispositi iudicari debeant.

Ego censeo, rem istam prudentiae confessariorum esse relinquendam; ipsi enim indicare debent ex circumstantiis quando in casu particulari melius sit ut absolutio concedatur, et quando sit melius ut differatur, quandoquidem, in tanta casuum, locorum et temporum, differentia, regula generalis statui nequit.

Agitur v. g. de casu horrendo, ut puta, si pater peccaret cum propria filia; aut senex cum infantula copulam attentaret; aut vir puellam honestam cum magno periculo praegnationis et scandali stupraret etc.; et tunc expediet ut (etiam prima vice) absolutio differatur. Idem dic si totalis obtruncatio occasionis dependeret a virili resistentia, quae semel vel iterum opponeretur, ut potest contingere dum res sunt adhuc in initiis, et etiam in foemina, quae sive verbis sive factis ita posset domesticum tentatorem a se repellere, ut non esset supponendum quod amplius tentationes renovaturus foret.

Agitur e contra de casibus consuetis, v. g. de uxoribus cum propriis maritis, de fratribus cum propriis fratribus, de sororibus cum propriis sororibus etc. occasionem proximam habentibus; et tunc ordinarie (saltem apud nos) melius erit ut (supposita dispositione) absolutio concedatur.

409. *Quid de absolutione danda vel non danda* ***moribundis confessionem facere non valentibus,*** *aut imminente praelio vel naufragio?*

In casibus huiusmodi sola petitio confessionis sufficit, ut ait Rituale.

Addunt theologi posse absolvi moribundos sensibus destitutos vel prorsus delirantes, quamvis nemo fidem faceret quod sacerdotem petiissent, imo quamvis actu peccati mortalis sensibus destituti remansissent. Et haec hodie est (saltem apud nos) praxis et disciplina communis. Excipe nisi ageretur de impoenitentibus manifestis, nempe de iis, qui non ex voluntate procrastinandi, sed ex odio contra Religionem et ex *firmo* proposito moriendi sine sacramentis, confessionem usque ad amissionem sensuum recusas-

sent. Adhuc tamen crederem hos *sub conditione* absolvi posse, si longo tempore (v. g. uno vel altero die) sensibus destituti ante mortem remanerent.

ARTICULUS VII.

De iniunctione et commutatione poenitentiae sacramentalis.

410. ***An et sub qua culpa*** *teneatur confessarius poenitentiam iniungere?*

Confessarius poenitentiam sacramentalem certe iniungere tenetur.

Nec valet quod postea subiungat : « Quidquid boni feceris et mali « sustinueris sit tibi in remissionem peccatorum ». Patet ex praxi universali, et ex Trid. dicente : « Debent ergo sacerdotes Domini, quantum spi- « ritus et prudentia suggerit, pro qualitate criminum et poenitentium « facultate, salutares et convenientes satisfactiones iniungere ; ne, si forte « peccatis conniveant, et indulgentius cum poenitentibus agant, levissima « quaedam opera pro gravissimis delictis iniungendo, alienorum peccato- « rum participes efficiantur ». Vide Lugo (*XXV. n. 57*).

Haec autem poenitentia *sub levi pro venialibus* (Lugo *XXV 49*, et vide supra *n. 135 II*); *sub gravi pro mortalibus* alias non absolutis, imponi debet.

411. *Quid si poenitens nulla intelligere posset poenitentiam, eo quod esset perfecte surdus?* Si nequidem in scriptis poenitentia ei commode significari posset, rosarium ei ostendatur.

412. *Quid de poenitentia* ***imposita sub conditione relapsus*** *(v. g. quotiescumque blasphemaveris talem poenitentiam facies)?*

In tali casu imponi debet etiam alia poenitentia absolute peragenda (ad praecavendum periculum ne, relapsu non interveniente, sacramentum mutilum remaneat).

Expedit autem ut poenitentia sub conditione relapsus imponatur solum sub levi ; atque ad tempus determinatum et breve; sitque de re nec valde facili nec valde ardua.

413. *Quid si poenitens, absolutione et poenitentia iam recepta, aliud peccatum accusaret?* Si prior poenitentia esset adhuc proportionata, non oporteret (nisi ratio specialis occurreret) ut augeretur vel ut alia super adderetur, admonendo poenitentem quod illa sufficit. Secus, si secus. Ita plures apud S. Lig. (*n. 513*).

414. *Quid praecipue observare debet confessarius circa poenitentiam?* Quantitatem et qualitatem.

415. *Quid observandum circa* ***quantitatem*** *poenitentiae?*

In primis Ecclesiae saeculis imponebatur poenitentia peccatorum numero et gravitati ita proportionata, ut poenitens, illâ peractâ, sperare posset nullum debitum in purgatorio solvendum sibi superesse. In hunc finem aderant canones poenitentiales, a quibus confessarii regulam sumere debebant. Attamen poenitentiae illae gravissimae, quia aetate nostra non adimplerentur, ipsumque poenitentiae sacramentum odiosum redderent, ab eoque recipiendo fideles alienarent, ex iam effformata Ecclesiae disciplina et praxi communi, iamdiu eliminatae sunt.

Nihilominus oportet ut regulariter assignetur poenitentia gravis, aut paullo gravior, aut valde gravior, (quadam adhibita proportione) pro mortalibus; et levis pro venialibus.

Si, poenitenti mortalia habenti, levis (advertenter et nulla causa excusante) poenitentia imponeretur, grave peccatum esset. Lugo (*XXV 60*).

Dixi *quadam adhibita proportione;* quod tamen cave ne intelligas de proportione aritmetica, ita ut, si pro uno mortali unum rosarium, pro centum mortalibus centum rosaria iniungi debeant.

416. *Quaenam sunt* ***poenitentiae leves?*** Censentur leves litaniae lauretanae; psalmus *Miserere;* recitatio actuum fidei, spei, et charitatis; osculum terrae; exigua eleemosyna (si poenitens non sit pauper). Essent autem levissimae tres *Ave,* vel quinque *Pater,* vel osculum sacrae imaginis etc.

417. *Quaenam sunt poenitentiae* ***simpliciter graves?*** Sunt, v. g. quinque decades rosarii; litaniae Sanctorum; duodecim *Pater, Ave* et *Gloria*, genibus flexis.

418. *Quaenam sunt poenitentiae* ***paullo graviores?*** Sunt, v. g. auditio missae; quindecim decades rosarii; psalmi poenitentiales; *Via Crucis* (bis vel ter); auditio concionis vel catechismi; pia meditatio vel lectio spiritualis per mediam horam; privatio ientaculi vel alicuius recreationis aut deambulationis consuetae (bis vel ter); totalis aut fere totalis abstinentia a vino pro una die; eleemosyna notabilis; plures visitationes ecclesiae; orare pro offensore dum interius notabilis haberetur repugnantia; tres *Ave* singulis diebus (praeter consuetum) flexis genibus per hebdomadam integram recitandae.

419. *Quaenam sunt poenitentiae* ***valde graviores?*** Sunt, v. g. ieiunium; peregrinatio ad aliquod non vicinum sanctuarium; visitatio septem Ecclesiarum; officium B. M. V. pluries recitandum; quinque *Pater* manu posita subter genua flexa; psalmus *Miserere* genibus in terra flexis et brachiis extensis; octo vel decem cruces cum lingua in terra; disciplina; petere veniam (si persona non sit ad hoc assueta); aggregare se alicui piae confraternitati, eiusdem gravioribus oneribus satisfaciendo; preces novendiales; sanctificatio mensis Mariani; dies spiritualis recollectionis; exercitia spiritualia; receptio sacramentorum in dominicis S. Iosephi, vel S. Aloysii, vel in dominicis quae proponi solent ad servandum fructum missionis; magna eleemosyna.

420. *An poenitentia* ***gravis*** *pro gravibus imponi possit* ***sub levi?***

Negative. Excipe nisi id fiat ex fundato timore ne futurum sit ut poenitens illam omittat et sic novo peccato mortali se commaculet. Tunc in praxi detur poenitentia simpliciter gravis statim sub gravi exequenda: alia autem gravior (de cuius executione timetur) sub levi dumtaxat imponatur. S. Lig. (*n. 518*).

421. *Quibus in casibus poenitentia* ***posset valde imminui,*** *aut etiam poenitentia omnino levis* (*dum gravis deberetur*) *imponi?*

I. Si, eo quod poenitens ante confessionem magnam poenitentiam sponte sua fecerit, aut hic et nunc extraordinariam compunctionem praeseferat, aut statim post confessionem magnam indulgentiam sit lucraturus, satisfaciendi necessitas valde minor esse videretur.

II. Si poenitens poenitentiam adaequatam exequi nequeat, ut puta, si esset magna infirmitate oppressus (quo casu tamen alia peragenda si convaluerit ei imponi deberet).

III. Si esset ita surdus ut solum elata voce (audientibus aliis) poenitentia ei imponi posset; et idem dic de infirmo, qui ab assistentibus deseri nequiret.

IV. Si iure formidari deberet ne poenitens satisfactionem adaequatam omissurus esset; quo in casu speciatim bene erit si poenitentia, cui aliqua indulgentia sit adnexa, ei iniungatur.

422. *Da exempla piorum operum, quibus adnectuntur* ***indulgentiae.*** Recitatio actuum fidei, spei, et charitatis;

visitatio SS.mi Sacramenti, recitando 5 *Pater*, *Ave* et *Gloria* et unum *Pater*, *Ave* et *Gloria* iuxta intentionem S. Pontificis; visitatio Imaginis SS.mi Cordis Iesus in Ecclesiis expositae; *Via Crucis* meditando passionem D. N. I. C.; rosarium cum corona benedicta; litaniae lauretanae; Officium B. M. V.; auditio explicationis Evangelii; recitare *Angelus Domini* flexis genibus aut *Regina Coeli* cum propriis versiculis et *Oremus*, dum consueta campanae signa audiuntur : et, si haec praestari nequeant propter legitimum impedimentum, recitare attente ac devote quinque *Ave*, etiam stando, sive non praecise dum signa audiuntur, prout S. C. Indulg. concessit die *3 Apr. 1874*.

423. *Quomodo cognoscitur an poenitens poenitentiam adaequatam adimpleturus sit, necne?* Ut plurimum ex ipsa eiusdem confessione. In dubio, interrogetur.

424. *Quid observari debet circa* ***qualitatem poenitentiae?***

Notandum ut poenitentia non solum circa quantitatem, sed etiam circa qualitatem congrua sit.

Porro non solum vindicativa (nempe in expiationem delictorum), sed etiam medicinalis (nempe, quantum fieri potest, apta ad novae vitae remedium et spiritualis infirmitatis medicamentum) esse debet. Unde Rituale dicit: « Quare curet (confessarius), quantum fieri potest, ut con- « trarias peccatis poenitentias iniungat; veluti avaris elee- « mosynas, libidinosis ieiunia vel alias carnis afflictiones, « superbis humilitatis officia, desidiosis devotionis studia ».

Verba illa Ritualis *quantum fieri potest* sedulo attendi debent; saepe enim quod in se optimum medicamentum esset, inutile reddi aut etiam in venenum converti potest; idque contingeret speciatim 1° si poenitens poenitentiam illam non esset adimpleturus; 2° si aversionem contra sacramentum esset concepturus. Stante huiusmodi timore (qui hodie apud nos quasi ordinarie occurrit), poenitentia illa imponi non debet; nec refert sive ex iustis causis sive etiam ex sola poenitentis fragilitate hi effectus pertimescendi sint.

S. Lig. (*VI 509*) aperte dicit: « Confessarius minuet « poenitentias... signanter (prout communiter docent theo-

« logi) propter animi infirmitatem, qua laboret poenitens, « et ob quam censeatur satisfactionem proportionatam non « impleturus... Quare imprudenter se gerunt confessarii, « qui magnas imponunt poenitentias, quas praevident poe- « nitentes non esse impleturos. Oh! quam plures confessa- « rii indocti inveniuntur (loquor experientia doctus in « missionibus, in quibus fere triginta annis sum versatus), « qui non dubitant absolvere eos, qui vel sunt in proxi- « ma occasione peccandi, vel recidivi indispositi, et insi- « pienter putant eos curare, graves eis imponendo poe- « nitentias ; ex quo fit, quod illi, etsi poenitentiam « acceptent ut absolutionem carpant, quia nullum eis « remedium praescribitur ut praeserventur, brevi misere « relabuntur, poenitentiam non implent, et ab eius gravi- « tate deterriti, deinde a confessione abhorrent, et sic in « peccatis suis diutius tabescunt ». Confessarii autem, qui ita se gerunt omnes poenitentes amittunt; et sic inutiles se reddunt.

425. *Quinam sunt* ***defectus*** *magis notabiles* ***in impositione poenitentiae*** *omnino evitandi ?*

Cavendum 1° ne confessarius iniungat eleemosynas sibi aut suae ecclesiae tradendas (Rituale).

Cavendum 2° ne iniungantur poenitentiae conditioni aut viribus (sive corporalibus sive spiritualibus) poenitentis non aptae vel non proportionatae (quid enim si foeminae gravidae vel lactanti ieiunia; aut viro, qui vix in paschate ad confessionem accedit, cilicia et disciplinae; aut filio familias vel pauperi, eleemosynae iniungerentur?).

Cavendum 3° ordinarie ne poenitentiae sint diuturnae.

Cavendum 4° ne sint ita diversae et multiplicatae ut difficile in memoria retineantur.

Cavendum 5° ne sint ridiculae (quid enim si coniugi onanistae copula matrimonialis sequenti nocte rite peragenda pro poenitentia imponeretur?).

Cavendum 6° ne poenitentem ipsum aliorum irrisionibus, aut infamiae vel suspectibus exponant (quid enim si orationes coram populo brachiis extensis recitandae, aut personae cum aliis conviventi, abstinentia a carnibus, vel ieiunia, advertentibus familiaribus, iniungerentur?).

Hinc pueris, eo quod cum propria matre poenitentiam adimplere soleant, quinque vel sex *Pater* et *Ave* tantummodo iniungantur.

Peccatoribus autem, qui enorme aliquod scandalum dederint, poenitentia publica (quae notetur quidem sed risum non moveat) opportune dabitur. Si tamen illam respuerent et aliis mediis scandala reparare parati essent, poenitentia secreta tunc quoque (nisi ante eucharistiae perceptionem necesse esset ut tali vel tali modo scandalum repararent) sufficere poterit.

426. *An opus applicandum* ***in suffragium defunctorum,*** *aut etiam* ***abstinentia ab aliquo opere bono,*** *aut* ***opus mere internum,*** *iniungi passit?*

Pro poenitentia iniungi potest etiam opus applicandum pro defunctis; meritum enim bonae voluntatis, nempe ipsius applicationis, apud poenitentem necessario remanet. Lugo (*XXV 61*).

Iniungi potest etiam abstinentia ab opere caeteroquin bono, si forte inspectis circumstantiis melius sit ab illo abstinere, et poenitens hoc modo suae voluntatis sacrificium faciat; prout contingere potest quoad macerationes corporales, communionem quotidianam etc. Lugo (*l. c. 66*).

Denique iniungi possunt etiam actus mere interni, prout accidere potest speciatim quoad moribundos; neque oportet ut omnes actus huius sacramenti sint totaliter externi, ut patet ex contritione; et sufficit si aliquo modo manifestentur. Hic autem manifestarentur per acceptationem. Ita Suarez (*XXXVIII.* VI). Et haec sententia melius sustinetur iuxta systema Scoti, qui in sola absolutione sacramenti essentiam ponit.

427. *An* ***opus ex alio capite debitum*** *(v. g. auditio missae die festo, aut recitatio breviarii quoad sacerdotem) pro poenitentia iniungi valeat?* Sententia communis affirmat; sed hoc intelligendum solum pro casu, in quo opera ista iustis de causis assignarentur tamquam supplementum poenitentiae per se insufficientis; aut si aliquid speciale superadderetur, ut puta, quod audiendo

missam recitentur orationes, aut quod breviarium recitetur flexis genibus etc. Cf. S. Lig. (*n. 513*) et Ballerini (*n. 525*).

428. *An pro poenitentia assignari possit* ***opus quod ex devotione a poenitente ipso semper praestari solet,*** *v. g. communionis perceptio post confessionem?* In rigore affirmandum; sed regulariter non expedit.

429. ***Quando*** *imponenda est poenitentia?* Ante absolutionem (Rituale). Si tamen confessarius oblitus fuisset, illam postea iniungere deberet.

430. *Quid de poenitentiae* ***commutatione?***

Non solum inspectis iustis motivis, sed etiam inspecta fragilitate poenitentis, commutatio concedi potest.

Caeterum vide dicta (*n. 141*).

ARTICULUS VIII.

De forma et ritu sacramenti poenitentiae.

431. *Quaenam est* ***forma*** *huius sacramenti?*

Forma est « Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine « Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen ».

Sola verba *te absolvo a peccatis tuis* pro valido sufficerent. Attamen Ecclesia praescribit non solum ut omnia praedicta proferantur (addendo scilicet *in nomine* etc.), sed etiam ut alia praemittantur et adiungantur; ita ut integra formula de ritu sit sequens: « Misereatur tui omni- « potens Deus, et dimissis peccatis tuis, perducat te ad « vitam aeternam. Amen. Indulgentiam, absolutionem et « remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens « et misericors Dominus. Amen. Dominus noster Iesus « Christus te absolvat; et ego auctoritate ipsius te absolvo « ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis et in- « terdicti, in quantum possum et tu indiges. Deinde ego « *te absolvo a peccatis tuis* in nomine Patris ✠ et Filii « et Spiritus Sancti. Amen. Passio Domini Nostri Iesu « Christi, merita beatae Mariae Virginis, et omnium San- « ctorum, quidquid boni feceris, et mali sustinueris, sint

« tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiae et « praemium vitae aeternae. Amen ».

432. *Quid notandum circa hanc formulam?*

I. Verba *Indulgentiam* etc. usque ad verba *a peccatis tuis in nomine Patris*, proferenda sunt manu dextera elevata versus poenitentem; et, dicendo *in nomine Patris* etc., fieri debet eadem manu signum crucis.

II. Si poenitens sit laicus, omittitur verbum *suspensionis*.

III. Vocula *deinde*, quae in rituali typico (*an. 1884*) charactere nigro exprimitur (secus ac olim in quibusdam ritualibus ubi charactere rubro exprimebatur) proferri debet. Decr. S. R. C. (*n. 2764*).

IV. Si non adsit tempus proferendi formulam integram eo quod poenitens iam iam sit moriturus, tunc dicatur solum: « Ego te absolvo ab omnibus censuris et « peccatis tuis, in Nomine ✠ Patris et Filii et Spiritus « Sancti. Amen ».

V. In confessionibus frequentioribus et brevioribus satis erit incipere a verbo *Dominus noster Iesus Christus*, prosequendo caetera. (Rituale). Probati auctores existimant, sic semper fieri posse si poenitentes sint multi. (S. Lig. *VI 425*). Et idem dic de verbis subsequentibus *Passio D. N.* etc.

VI. Theologi non pauci (apud S. Lig. *VI 430*) dicunt quod praeter verba: *Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* (intelligendo absolvere etiam a censuris si forte latentes adessent), omnia alia omitti possunt sine culpa ulla et in quovis casu; sed haec opinio laxa mihi videtur: rubricae enim (nisi constet quod consuetudine legitima obsoleverint), maxime quoad sacramentorum administrationem, tamquam praeceptivae haberi debent. Vide (*Vol. IV n. 393*).

VII. Si adesset necessitas absolvendi poenitentem dubie dispositum, vel solum materiam dubiam afferentem, adhiberi posset forma conditionata, dicendo *si capax es*, ut pluries notavi.

433. *Quo sensu intelligenda sunt verba:* ***Ego te absolvo ab omni vinculo excommunicationis*** *etc.*

quae utique proferri debent quamvis poenitens nullum peccatum censura affectum accuset? Intelligi debent de absolutione a censuris, quas forte poenitens haberet, de iisque non cogitaret, et a quibus confessarius (eo quod non obstaret reservatio) absolvere posset.

434. *Quid notandum* ***circa alios ritus,*** *qui ad hoc sacramentum referuntur?* Hoc in puncto vide *Vol. IV n. 422.* Hic noto solum quod mulieres, seclusa necessitate, in ecclesia dumtaxat audiri possunt. Si propter infirmitatem aut surditatem aliqua mulier alibi audiri deberet, tunc confessarius (ut dicit Rit.) studeat id decenti ac *patenti* loco praestare.

435. *Quid si absolutio daretur* ***pluribus simul, vel in distantia, vel per litteras aut telegraphum vel per telephonium?***

Pluribus simul dari posset solum urgente necessitate (v. g. in naufragio, imminente praelio etc.), adhibendo formam: *Absolvo vos a peccatis vestris.*

In distantia (si iam aliter fieri nequiret) dari posset dummodo poenitens esset adhuc moraliter praesens, ut puta, si, antequam confessarius formam pronuntiasset, ille discessisset, et paucis passibus distaret.

Per litteras et telegraphum absolutio esset nedum illicita sed prorsus atque in quovis casu invalida, ut patet ex decreto Clementis VIII et declaratione Pauli V (vide Génicot *n. 267*); et ratio potior est quia forma huius sacramenti viva voce, non vero aliis signis, exprimi debet.

Per telephonium, etsi in illo viva vox adhibeatur, de validitate multum dubitandum est, tum quia vox ipsa non consueto modo per ondulationes aeris, sed per metallum (quod verba repeteret) ad poenitentem perveniret, tum etiam quia poenitens ipse in morali aestimatione non esset praesens, sed absens, unde absens cum absente communicaret, nec confessiones hoc modo peractae erubescentiae subiicerentur, ut notat cl. Eschbach in dissertatione de argumento isto. De absolutionis tamen invaliditate absoluta non constaret. S. Poenitentiaria (*1 Iul. 1884*) de hoc interrogata respondit: *Nihil esse respondendum.* Hinc Génicot (*n. 267*) concludit quod « Certe graviter pecca-

« ret qui absolveret per telephonium extra casum extremae « necessitatis ; in hoc casu (qui fere contingere nequit) « potest absolutio dari sub conditione ». Vide etiam Ballerini (*Op. th. De Poenit. n. 1155 circa ritum*).

ARTICULUS IX.

De confessione generali, quasi generali, aut annuali.

436. *Quid est* ***confessio generalis, quasi generalis et annualis?*** Confessio generalis est si totius vitae ; quasi generalis si longi temporis (nempe incipiendo a confessione generali olim facta); annualis denique si ultimi anni peccata (intellige semper quamvis in aliis confessionibus accusata fuissent) accusentur.

437. *Huiusmodi confessiones suntne* ***exigendae vel suadendae?***

Confessio annualis animabus piis expedire solet.

Confessio generalis aut quasi generalis interdum cadit sub obligatione. Seclusa autem obligatione, sub consilio cadere potest.

438. *Quandonam confessio generalis aut quasi generalis* ***sub obligatione*** *cadit?* Quando confessiones praecedentes fuerunt sacrilegae aut invalidae. Patet ex rei natura et ex catechismo romano (§ *Sed quoniam*).

439. *Quid si praeteritarum confessionum* ***defectus fuerit solum circa integritatem materialem?***

Loquendo de stricta obligatione, tunc sufficit si, accusando peccata bona fide omissa aut non satis declarata, defectus reparetur; sed hoc in puncto recolantur dicta *n. 47 II* et *54 V*.

Interdum tamen omissiones possunt esse tales ac tantae, ut non nisi ope confessionis generalis defectus reparari valeat.

Sedulo notandum quod, si *defectus solum propter numerum* non expressum accidisset, obligatio reparandi non facile adesset, iuxta dicta *n. 54 V*.

440. *Quid de iis qui non recordantur an quaedam* ***peccata antiqua*** *bene aut ullo modo confessi fuerint?*

Nisi de omissione indicia positiva et gravia adsint, sola oblivio non sufficit ut peccata illa iterum accusari debeant; ea enim (non obstante oblivione) accusata fuisse praesumendum est.

441. *Quid si confessiones anteactae fuissent* ***dubie validae?*** Si dubium versetur solum circa dolorem et propositum, non sunt repetendae; huiusmodi enim casus esset nimis frequens; unde onus nimis grave poenitentibus et confessariis imponeretur; secus, si circa confessarii iurisdictionem dubium contingeret. (Cf. *n. 44 II*).

442. *Quid de poenitentibus qui* ***aliquo tempore confessiones sacrilegas fecerunt;*** *et postea, quamvis pristinum defectum nunquam reparaverint, bona fide valide confessi fuerunt?*

Hi tenentur solum repetere confessiones quae sacrilegae fuerunt.

443. *Ecur confessiones generales, aut quasi generales, aut annuales, quamvis essent* ***non stricte necessariae, sub consilio*** *cadere possunt?* Quia ex iisdem plures utilitates profluunt; sive enim in se sive in suis effectibus considerentur, meliores aliis esse solent. Examen solet esse accuratissimum; quidquid turbationem aliquam afferre potest, confessario exponitur; poenitens magnam sui ipsius et miseriae propriae cognitionem concipit; vehementissimae dolet; firmissime proponit; magnum meritum (propter erubescentiam cui se subiicit) sibi comparat; humilitatem exercet; misericordiam Dei considerat; Deum suum adeo bonum amat; de venia obtenta specialissimam confidentiam habet; veras maioresque animae suae necessitates cognoscit; dictaminibus quae tranquillitatem non afferunt renuntiat; a confessario magis congruis consiliis et remediis adiuvatur, et gratia sacramentali valde uberiori roboratur; confessione facta, consolationem magnam experitur; perfecta fruitur conscientiae pace et magna alacritate in Dei servitio procedit. Magna insuper et stabilis vitae mutatio post huiusmodi confessiones fieri solet. Non raro poenitentes, quasi novam et candidissimam vestem induissent, et quasi novum baptisma suscepissent, maximam habent cautelam ne animam propriam iterum commaculent. Magna conscientiae puritate vitam ducunt. Denique in morte tranquillitate et consolatione magna fruuntur.

444. ***Quibus in casibus*** *confessio generalis, aut plurium confessionum repetitio minime necessaria,* ***cadat sub consilio?***

Confessio stricte generalis permitti vel suaderi potest, si ex una parte nunquam aut solum imperfecte nec prorsus satisfacienter peracta fuerit; et ex alia poenitens illam facere exoptet, aut versetur in quibusdam circumstantiis extraordinariis, v. g. spiritualium exercitiorum, primae communionis, electionis status, periculi mortis, aut si vitiis suis finem de facto imposuerit et vitam vere christianam et devotam serio incaeperit.

Si autem poenitens confessionem generalem iam alia vice bene et cum animi sui satisfactione peregerit, tunc regulariter permitti quidem potest ut confiteatur peccata, post confessionem generalem commissa, in praedictis circumstantiis extraordinariis, et de anno in annum in confessionibus annualibus; sed non amplius; secus enim (ut nihil dicam de temporis iactura)

non solum scrupulis ianua aperiretur et fomentum praeberetur; sed etiam, propter carnalium peccatorum narrationem plus aequo voluptatem, confessariis et poenitentibus ipsis periculum crearetur.

Dixi *regulariter:* si enim ageretur de personis scrupulosis, proclivibus ad desperationem, vel mentis nimis confusae, vel quibus memoria peccatorum carnalium malos effectus producere soleret, confessionum repetitiones, etsi (ut supra) moderatae, eis permitti non deberent, aut saltem cum magna cautela cum ipsis in re huiusmodi procedendum esset.

445. *An expediat ut moniales vel aliae personae spirituales,* ***toties quoties confessarium mutant,*** *apud novum confessarium, ratione directionis, confessionem generalem faciant?* Negative. Ad summum expedire poterit, ut vitae anteactae genericam notitiam praebeant novo confessario, qui huius notitiae exhibitionem quidem permittere, sed solum cum magna prudentia, et suppositа opportunitate, expostulare poterit. Ballerini (*II 517 b*),

446. *Expeditne ut missionarii* ***omnibus et singulis poenitentibus occasione missionis*** *accedentibus confessionem stricte generalem suadeant vel permittant?*

Negative; si enim poenitens alia vice et cum animi sui satisfactione illam peregisset, non expediret ut peccata in illa confessione accusata iterum accusaret.

Si vero poenitens rationes adduceret cur satisfactus non remansisset, aut etiam si magnum ostenderet desiderium omnia vitae suae peccata accusandi, tunc missionarius (nisi deprehenderet quod propter scrupulos vel stultum motivum id desideraret) annuere deberet; idque speciatim si prior confessio generalis extra occasionem missionis peracta fuisset.

Volentibus autem accusare peccata ab ultima confessione generali commissa, ordinarie annuendum foret.

447. *Antequam confessarius* ***in sacris missionibus*** *confessionem generalem suadeat vel permittat, oportetne semper ut prius examinaverit poenitentem, utrum in antecessum peccata ex verecundia reticuerit, ut scilicet cognoscat an dicta confessio sit stricte necessaria?* Negative; sed interdum (propter periculum ne poenitens mendaciter statim dicat se nihil reticuisse) expedit, ut confessionem generalem suadeat vel permittat, eo solo motivo quod talis confessio saltem sit de consilio.

448. *Quid praestare debeat confessarius ut confessio generalis* ***rite peragatur?*** Distinguendum est inter ea quae *ante* confessionem et *post* confessionem praestanda sunt.

449. *Quaenam praestanda sunt* ***ante*** *confessionem generalem?*

I. Confessio generalis regulariter remitti debet ad aliam diem et horam designandam. Dixi *regulariter;* excipi enim debet ordinarie occasio missionis, et si urgeat necessitas ut eadem confessio hic et nunc meliori modo possibili excipiatur (1).

(1) Enimvero aliquando oportet ut (deficiente spe melioris opportunitatis, eo quod poenitens non esset rediturus) confessio generalis exci-

II. Interim poenitens oret, se examinet, magnam contritionem concipiat, proposita determinet et aliquam poenitentiam faciat. Res principales etiam in scriptis (ad memoriae adiumentum, si casus ita ferret) notari possent, sed breviter.

III. Confessarius poenitenti animum addat, et auxilium se esse illi laturum promittat, dummodo sine illius offensione sic dicere possit.

450. *Quaenam sunt praestanda* ***actu*** *confessionis generalis?*

I. Exigatur prius confessio peccatorum, quae ab ultima confessione commissa fuerunt, nisi forte constet quod confessio generalis ex stricta obligatione (eo quod praecedentes confessiones invalidae fuerint) peragi debeat.

II. Quoad peccata vitae praeteritae, expedire solet imprimis ut poenitens invitetur ad illa enarranda, promittendo ei (si sit rudis) auxilium, postquam per se ipsum ea quae potuerit dixerit.

III. Si poenitens sit instructus et bene praeparatus, facile contingere potest quod sufficiat illum audire, faciendo ei ad summum aliquas interrogationes (circa circumstantias et numerum), si necessariae viderentur.

IV. Si confessarius e contra perspiciat quod confessio valde defectuosa et confusa esset evasura; tunc, in toto, vel saltem magna ex parte, eadem confessione audita, dicere poterit: *Ex his quae tu dixisti aliquam vitae tuae ideam concepi. Nunc, ut haec confessio generalis sit integra et exacta, te interrogabo circa omnia, solumque tibi reliquum erit ut affirmative vel negative respondeas.*

V. Si confessarius ex verbis poenitentis eius aetatem, statum, artem seu officium, et praecipuas vitae illius phases (v. g. qua aetate admissus fuit ad primam communionem, matrimonium contraxit, viduus remansit, novas nu-

---

piatur hic et nunc, quamvis circumstantiae parum opportunae essent; et aliquando (v. g. si ageretur de illis qui solum in paschate ad confessionem accedunt) melius est ut ope nonnullarum interrogationum confessio huiusmodi peragatur, quin de confessione generali mentio expressa fiat; non enim desunt qui, si nomen confessionis generalis audirent, quasi de re quam maxime difficili et onerosa ageretur, turbarentur, eamque facere recusarent.

ptias inivit, aut votum castitatis emisit) non intellexerit: de his illum interrogabit. Attamen foeminae provectiores circa aetatem interrogentur indirecte, quaerendo v. g. qua aetate et a quot annis nupserint (mulieres enim, interrogatae de aetate praesenti, facillime mentiuntur).

VI. Si confessarius deprehendisset quod poenitens aliquam obligationem momentosam et arduam (v. g. reconciliationis, restitutionis, separationis ab occasione, denuntiationis etc.) haberet, illum interroget an obligationi suae satisfacere velit, ne confessionis generalis interrogatorium inutiliter fiat.

VII. Interrogatorium instituatur non iuxta diversas aetates (dicendo, v. g. quid mali fecisti in pueritia, quid in iuventute, quid in virilitate, quid in senectute?); bene vero iuxta diversa peccata; nempe circa unumquodque praeceptum Dei et Ecclesiae et circa munera proprii status: secus enim nimiae repetitiones fieri deberent.

VIII. Ordinarie expedit ut confessarius non a primo sed a sexto praecepto examen incipiat; caute tamen et a longe si nesciret an poenitens esset in malitia.

IX. Si confessarius sit certus quod confessio generalis sine ulla obligatione fiat, tunc expedit ut poenitentem admoneat, quod, si etiam voluntarie aliquid reticeat, nullum omnino peccatum committit. Ipse autem tunc multas interrogationes omittere et levius procedere poterit.

Si vero sciat aut dubitet quod eadem confessio ad reparandas confessiones praeteritas, sive sacrilegas sive materiali integritate destitutas, necessaria sit; tunc poenitentem interrogabit accurate; ita tamen ut neque confessio nimis intricata, difficilis et taediosa evadat, neque interrogationes imprudentes vel scandalum aut admirationem inducentes fiant.

X. Recolendum quod confessio generalis fit ad poenitentem quietandum et quidem non solum hic et nunc, sed etiam in posterum; ut scilicet avertatur periculum ne sive in vita sive in morte poenitenti veniat in mentem peccatum probrosum cum remorsu quod illud nunquam aut non sufficienter accusaverit; quae res pro illo causa damnationis esse posset.

Hinc regula pro interrogationibus (ut supra notabam *n. 299 VIII*) non solum a doctrinis theologicis circa distinctionem specificam vel numericam, nec non circa gravitatem vel levitatem peccatorum, sed etiam (imo praecipue) a conscientia poenitentium sumi debet, qui saepe saepius non essent tranquilli si hoc vel illud reticerent, vel non explicarent (et quidem eo modo quo solent), quamvis in rigore theologico necessarium non esset.

Sed in praxi difficultas non exigua hac ipsa in re invenitur. Remorsus maiores enim non raro versantur circa quasdam circumstantias malitiae extraordinariae in quibusdam peccatis, quas prae verecundia poenitentes semper reticuerunt, et in confessione generali illas, auxilium praebente confessario, tandem aliquando fateri sperant; qua confessione non facta, in malo statu se remanere (sive iure sive ex conscientia erronea) existimant. Aliunde praedictae circumstantiae solent esse tales, ut confessarius, salva prudentia et decentia, de illis explicite interrogare non possit (1). Et hoc opus, hic labor est. Videtur expedire ut interrogatorium ita instituatur, ut suo loco cadat interrogatio, generica quidem et modesta, sed talis ut poenitens (si sit reus) statim intelligat, atque ita cognoscat quod confessionis suae debito (sive vero sive apprehenso) ea quoque in re satisfecit. Id praestatur, dicendo, v. g.: *Fecistine aliquid peius?...* Vel: *Fecistine sic non solum modo ordinario sed peiori?...* Vel: *Adfuitne haec in re aliqua abnormitas vel malitia extraordinaria?...* Responso autem accepto (quodcumque illud demum fuerit) dicat: *Satis intellexi.* Finita autem confessione, admoneat poenitentem, quod nulla ei remanet obligatio quidquam aliud accusandi vel melius declarandi,

(1) Casus huiusmodi sunt speciatim sequentes. 1° Pollutio in ore (vide dicta *n. 299 VII*). 2° Pollutio, aliquo instrumento aut speculo adhibito (in foeminis). 3° Osculum in partibus insolitis, aut lingua introducta, vel lambitus turpissimi. 8° Mnemosyna (*pegni, ricordi, souvenir*) turpissima (nempe ex verendis) dare vel accipere. 5° Praebere turpissima (nempe sanguinem menstruationis) ad modum maleficii venerei. 6° Interdum puellae (quae ut plurimum criterii sunt valde inopes) credunt, in confessione esse explicandum si ubera praebuerint puero, aut ore sive proprio sive alieno (maxime viri) quid simile fecerint,

unde de nihilo amplius cogitet; et, si quid ei in mentem veniat, illud spernat: ex eo ipso enim quod de illo interterrogatus non fuit, credere debebit quod sub obligatione confessionis minime cadit.

XI. Facienda est differentia inter poenitentes conscientiae satis meticulosae (cuiusmodi ordinarie solent esse foeminae, maxime si finem vitiis serio imposuerint); et poenitentes qui grossiori modo res spirituales considerant. Quoad primos enim magis accurate procedendum est; et quoad secundos plures interrogationes omitti possunt; ipsi enim facilius taedio afficiuntur, multa pro nihilo habent, de interrogationibus ipsis admirarentur, neque timendum foret ut postea scrupulis subiiciantur.

451. *Da itaque* ***exemplar interrogatorii*** *confessionis generalis.*

(N. B.) Suppono 1° quod debeat esse accuratum, ne poenitens postea scrupulis et conscientiae turbationibus subiiciatur, timendo ne in ipsa confessione generali omiserit ea, quae accusare debuisset. Suppono 2° quod agatur de masculo adulto et iam in malitia constituto.

Suppositis his duobus, interrogatorium (intellige mutatis mutandis iuxta circumstantias et maxime iuxta prudentiam) poterit esse sequens.

Notabo tamen suis locis interrogationes speciales quae foeminis interdum fieri poterunt. En itaque.

452. **Circa sextum praeceptum.** (*Tactus et aspectus proprii corporis*). Incipiamus a vitio committendi turpitudines (sive tactibus sive motibus voluntariis) a te ipso. Hoc peccatum commisisti innumeris vicibus; nonne est ita?... *Si dicat: paucis; interrogetur:* quot vicibus circiter sive in tota vita sive singulis annis, et an semper cognoverit haec esse vera peccata?... *Si dicat: multis; sic interrogetur:* Qua aetate incoepisti:... Faciebasne sic cum magna frequentia in pueritia?... Cognoscebasne tunc hoc esse peccatum?... Sin minus, qua aetate id cognovisti et magnum remorsum habere incoepisti?... Faciebasne sic cum magna frequentia etiam in iuventute?... In virilitate?... *Si fuerit coniugatus, aut viduus, aut voto ligatus, addatur:* Durante matrimonio?.... in viduitate?... post votum

castitatis?... Perdurastine usque ad tempus praesens?... Dum peccatum istud committebas, habebasne in mente aliquid?... Quid?... Semper aut fere semper?... Qua aetate circiter hanc specialem malitiam habere incoepisti?... (1).

453. (*Tactus et aspectus cum personis eiusdem sexus*). Fecistine tactus turpes cum aliis masculis?... (*Expedit etiam ut rudibus in memoriam revocentur circumstantiae verisimiles loci, temporis et personarum, ut facilius recordentur de peccatis, addendo, v. g.:* In pueritia cum aliis pueris in agro, in stabulo etc., vel dum simul dormiebatis in eodem lecto; vel in collegio, in carcere etc.?... *Ut autem malitia et numerus intelligatur, fiant interrogationes, ut mox supra* (*n. praec.*)... Commisistine peccata ista etiam cum fratribus tuis?... *Si esset persona sacra, addatur:* Peccastine sic post votum?... Cum aliis personis sacris?... Hae turpitudines ut plurimum factae fuerunt non solum manibus sed etiam modo peiori (*sodomitice*). Nonne est ita?... (2).

454. (*Bestialitas*). Fecistine turpitudines cum animalibus?... *Interrogationes circa malitiam et numerum fiant pariter ut supra (n. 452). Si poenitens esset politioris conditionis, aut foemina, vel utcumque talis de quo dubitaretur an esset in hac malitia, vel de interrogatione ipsa offendi posset, tunc interrogetur a longe, dicendo v. g.:* Aspexistine animalia cum malitia?... Amastine illa nimium?... Commisistine res indecentes cum illis?...

---

(1) *Quoad foeminas, addatur:* Moneo non esse necessarium ut explices sive manibus, sive motibus, sive aliquid aliud adhibendo, praedictas turpitudines procuraveris. Dic potius: Commisistine erga te ipsam aspectus valde turpes?... Fecistine hos aspectus etiam non obiter sed studiose, neque modo ordinario sed peiore?... Commisistine erga te ipsam non ex levitate sed cum gravi malitia alios aspectus non proprie turpes, sed immodestos?... Fecistine etiam tactus non proprie turpes, sed parum modestos?... Hoc etiam cum gravi malitia?... Habebasne tunc in mente aliquid?... Attende: Quibuscumque modis hos tactus peregeris, satis confessa es, et non oportet ut aliud explices.

(2) *Quoad foeminas (intelliae semper ac res ita ferat et prudentia id suadat) addatur:* In pueritia vel iuventute commisistine aspectus turpes cum puellis?... Tactus turpes cum iisdem?... Etiam aspectus et tactus non proprie turpes sed immodestos cum iisdem?... Attende: Quibuscumque modis hos quoque tactus peregeris, satis confessa es; nec oportet ut quidquam aliud explices.

455. (*Adulterium, incestus, fornicatio, sacrilegium carnale, stuprum*). Peccastine cum puellis vel mulieribus?... Non solum tactibus sed etiam modo completo (*copula consummata*), aut quasi completo (*copula inchoata vel onanistica*)?... Loquendo prius de peccatis modo completo aut quasi completo perpetratis, peccastine sic innumeris vicibus?... *Si dicat: paucis; interrogetur:* Peccastine sic cum coniugatis?... Quot vicibus ante tuum matrimonium (aut votum)?... Quot vicibus durante matrimonio (aut voto)?... Peccastine sic cum foeminis tibi propinquis, v. g. cum uxore fratris, cum sororibus, cum consobrinis (in pueritia vel iuventute), cum neptibus, cum fratria, cum nuru, cum noverca, cum privigna?... Quot vicibus (*ut supra*)?...

Si vero dicat se peccasse opere completo aut quasi completo innumeris vicibus, tunc sic interrogetur: Habuistine consuetudines stabiles (it. *pratiche fisse*)?... Cum coniugatis?... Quot?... *Si dicat: cum duabus, interrogetur:* Cum prima qua aetate incoepisti et quot annis perdurasti?... Tunc erasne liber, aut coniugatus, aut voto ligatus?... Perdurastine usque ad tempus praesens?... Cum ipsa peccabasne frequenter?... Cum secunda, qua aetate etc. Quot annis etc. (*ut supra*)?... Consuetudines stabiles adfueruntne etiam cum foeminis propinquitate tibi coniunctis?... Explica gradum huius propinquitatis, an scilicet fuerint consobrinae, an vero sorores etc?... *Si dicat: una erat mea soror, alia fratris uxor etc., interrogetur de unaquaque ut supra; nempe:* Cum sorore qua aetate etc.?... Denique hae consuetudines stabiles adfueruntne etiam cum foeminis extraneis sive innuptis, sive viduis?... Quot fuerunt etc. (*ut supra*)?... Habuistine vitium adeundi meretrices?... Qua aetate incoepisti?... Quot annis sic perdurasti ante matrimonium?... Durante matrimonio?... In viduitate?... Nunquid usque ad tempus praesens?... Qua frequentia?... Praeter meretrices et praeter alias mulieres cum quibus consuetudines stabiles habuisti, peccastine casu modo completo aut quasi completo cum aliqua alia muliere coniugata?... Propinqua?... Extranea et libera?... (*Addendo semper:* Quot vicibus et in quo statu?...)

Sive autem dixerit paucis sive innumeris vicibus se

peccasse, interrogetur: Habuistine rem cum aliqua muliere invita, aut dolosis deceptionibus a te seducta, aut ignorante qua de re ageretur (v. g. infantula, amente, dormiente, ebria)?... Quot vicibus?... Habuistine rem cum aliqua foemina post sponsalia sive ab ea ipsa (cum alio) sive a te (cum alia) celebrata?... Aut cum consanguinea uxoris tuae ante matrimonium?... (*Hae interrogationes deservire poterunt ad cognoscendum an impedimentum publicae honestatis vel affinitatis interfuerit*). Peccata cum foeminis innuptis aut viduis fuerintne commissa cum speciali malitia? *Non desunt patres (speciatim vidui aut uxorem infirmam habentes) qui peccant cum propriis filiabus, et de tanto crimine accusando quam maxime verecundantur. Si itaque viduus dicat se peccasse cum adolescentula, sic interrogetur:* Haec adolescentula estne famula tua?... Habitatne tecum?... Habesne filiam?... *Habitis indiciis gravibus, dicat:* Intellexi; tu peccasti cum filia tua, et hanc circumstantiam nunquam accusasti etc. *Denique, si esset voto ligatus; addi posset:* Nunquid cum mulieribus pariter voto ligatis peccasti?... (1).

456. (*Tactus impudici aut minus pudici*). Quando non potuisti aut noluisti peccare modo completo aut quasi completo, certe sive cum iisdem sive cum aliis foeminis fecisti tactus turpes. Nonne est ita?... Quos etiam circa te permisisti vel exegisti?... Nunquid in hoc processisti ad excessus seu modos extraordinarios?... (Vide mox supra *n. 450 X in not.*). Tactus turpes fuerintne multi in pueritia?... In iuventute ante matrimonium (aut votum)?... Durante matrimonio (aut voto)?... Praeter tactus omnino turpes, certe cum mulieribus perpetrasti etiam alios tactus

(1) Hoc interrogatorium facili negotio aptatur etiam mulieribus. Notandum dumtaxat quod sacrilegium carnale cum persona diversi sexus voto ligata facilius invenitur quoad foeminas, quam quoad viros (qui foeminarum vota ignorare solent). Cautissime tamen interrogari debent foeminae de re ista; et, solum si iam dixerint quod cum viris peccaverint, interrogari poterunt a longe dicendo, v. g.: *Habuistine desideria etiam erga personas sacras?... Colloquia cum iisdem etc.?...* Si deprehendatur quod mulier peccaverit cum sacerdote, interrogetur an unquam apud illum confessa fuerit; et in casu affirmativo, an etiam in confessionali malos sermones ab illo audierit? Porro tunc casus sollicitationis locum habuisset.

immodestos; nonne est ita?... Nunquid adfuit in istis aliqua malitia extraordinaria? (*Vide not. cit.*)... *Si poenitens nihil vel parum opere completo sed solum aut fere solum tactibus deliquisset, tunc de circumstantiis speciem mutantibus et forte etiam circa numerum horum actuum imperfectorum magis exacte interrogari deberet; secus, (ne confessio taediosa et confusa reddatur) praedictae interrogationes sufficerent. Idem dic circa sequentia.*

457. (*Oscula, amplexus, et aspectus*). Dedistine oscula mulieribus?... Nunquid interdum adfuit in istis aliquis excessus extraordinarius?... (*Vide not. cit.*)... Adfueruntne amplexus?... Malitiosae manuum constrictiones?.... Adfueruntne erga illas aspectus turpes?... Vel indecentes?...

458. Dedistine vel recepistine aliquod mnemosynon seu pignus amoris?.. Etiam valde indecens? (*Vide not. cit.*).

459. In choreis habuistine malitiam?... Vel dum incessisti personatus (it. *mascherato*)?... Interfuistine comoediis turpibus?... Aut aliis spectaculis scandalosis?... Aspexistine picturas vel photographias indecentes?... Legistine libros obscoenos?...

460. (*Alia peccata per sensus corporis*). Praeter ea de quibus iam te interrogavi, peccastine aliis modis per sensus corporis? Et imprimis per *olfactum?... Per visum* aspiciendo aliquid aliud malitiose? (*Puellae valde tentari solent non solum aspicere verenda virorum et coitum animalium, sed etiam (dum adhuc sunt in tenera aetate) matrem aut aliam mulierem parturientem*).... *Per auditum*, auscultando nedum sermones sed alia? *(Hoc accidit speciatim in adolescentibus et puellis si in genitorum cubiculo dormiant).*

461. (*Sermones et cogitationes*). Peccasti insuper sermonibus obscoenis; idque innumeris vicibus; nonne est ita?... Quid de cogitationibus et desideriis?....

462. **Circa usum matrimonii.** *Si poenitens esset vel fuisset coniugatus, sic interrogetur:* Commisistine peccata cum uxore tua in matrimonio?... Explica paullulum quid mali feceris.... *Si fateatur se peccasse, sed habeat difficultatem explicandi quid fecerit, sic (circiter iuxta circumstantias) interrogetur:* Interfuitne aliqua gravis

malitia ad impediendam prolem?... Fecistine sic semper?... Usque ad tempus praesens?... Adfuitne aliquid aliud contra naturam?... Saepe?... Adfueruntne tactus turpes sine intentione perficiendi actum matrimonialem?.... Saepe?.... Adfuitne aliquis alius excessus?... (*not. cit.*)... Saepe?... Habuistine amorem erga aliam mulierem?... *Si affirmet, dicatur:* Habesne illam in mente in usu matrimonii?..... Semper?... (1).

463. **Circa primum praeceptum.** Audistine sermones sive privatim sive publice factos contra Religionem?... Legistine libros impios?... Diaria impia?... Interfuistine comoediis impiis?... Frequentastine conferentias aut scholas haereticorum?... Dedistine nomen alicui sectae impiae?... Defecistine in corde tuo contra fidem?... Esne locutus contra Religionem, Summum Pontificem, aut sacerdotes?... Dixistine haereses?... Fecistine confessiones sacrilegas reticendo peccata?... Omisistine poenitentiam sacramentalem?... Fecistine communiones sacrilegas?.... Recepistine sacramentum matrimonii (vel ordinem sacrum) sacrilege?.... Tempore bacchanalium induistine vestes in irrisionem et contemptum religionis?... Commisistine superstitiones, v. g. ad recuperandam valetudinem, ad sciendas res occultas, vel ad amorem in aliis accendendum?... In hunc finem recurristine ad magos?... Horum consilio adhibuistine res sacras?... In hunc vel alium finem recurristine ad daemonem, illum invocando?... (2). Adiistine magnetizatores?... Astitistine experimentis spiritismi?.... (*Invocatio daemonis accidit etiam pro committendis sceleribus contra sextum praeceptum: et non pauci dum, se polluunt, blasphemant).*

464. N. B. Interrogationes circa numerum peccatorum hic et deinceps omitto, non quia prorsus omittendae sint; sed ne taedio afficiam lectores. In praxi itaque fiant; sed

---

(1) *Uxores imprimis interrogentur:* An fuerint inobedientes viris suis in usu matrimonii? Et an saepe?....

(2) *Quoad foeminas addi poterit:* In superstitionibus nunquid adhibuisti res turpes? (Vide mox supra *n. 450 X in not.*)... Fecistine iocum chartarum ad sciendа occulta?... Recolendum quod interdum nedum invocatio daemonis, sed etiam concubitus vel alia peccata carnalia cum daemone locum habent.

solum per quantum credi debeat quod poenitens reminisci et apte respondere possit.

465. **Circa secundum praeceptum.** Blasphemastine Deum?.... B. Virginem?... SS.mum Sacramentum?... Sanctos?... Papam?... Etiam haereticaliter?... Iecistine imprecationes aut maledictiones contra Deum?... Fecistine unquam aliquod votum, quod postea non adimpleveris?...

466. **Circa tertium praeceptum.** Laborastine die festo?... Induxistine famulos aliosque tibi subiectos ad laborandum?... Omisistine auditionem missae?... Interfuistine missae confabulando et absque attentione?...

467. **Circa quartum praeceptum.** Certe fuisti inobediens contra genitores; sed non raro etiam in rebus magni momenti, v. g. commorando nimis extra domum tempore nocturno, vel frequentando quasdam domos aut malos socios, contra seriam eorum prohibitionem?... Quamvis graviter irascerentur, fuistine obstinatus, aut dixisti: nolo facere?... Praebuistine illis aliquam gravissimam afflictionem, ita ut forsan propter te lacrymas effunderent?... Affecistine illos gravibus contumeliis?... Desiderastine illis mortem?... Neglexistine opem ferre illis, permittendo ut famem paterentur, medicina carerent etc.?... Minitatusne fuisti illos percutere, aut eosne percussisti revera?... Commisistine inobedientias vel irreverentias graves contra alios superiores?...

468. **Circa quintum praeceptum.** Habuistine odia gravia?... Fecistine rixas?... Processistine ad percussiones aut vulnera?... Cogitastine de morte alicui inferenda?... Iecistine imprecationes ex corde?... Etiam contra filios, aliosque stricte tibi coniunctos?... Offendistine proximum tuum gravibus contumeliis?... Aut exprobrando illi facta dehonorantia?... Etiam coram aliis?... Habuistine odia gravia etiam contra personas tibi proxime coniunctas?... Aut contra aliquem sacerdotem?.... *Interdum addi poterit:* Procurastine abortum?.... Iecistine imprecationes ex corde contra teipsum?... Deliquistine aliquo modo contra vitam tuam?...

469. **Circa septimum et nonum praeceptum.** Commisistine furta gravia?... Furta minuta cum frequentia?...

Furta domestica?... Emistine res furtivas?... Attulistine damna gravia proximo tuo?... Ususne es fraudibus in pondere et mensura?... Vel in ludo?... Vel decipiendo personas simplices in contractibus?.... Omisistine satisfacere debitis tuis, v. g. non solvendo mercedem operariis, vel pretium pro rebus emptis?... Exercuistine usuras?... Fregistine secreta promissa vel commissa?... Fecistine lites iniustas?... Omisistine satisfactionem legatorum?... Recordarisne te commisisse aliquam aliam iniustitiam?... Habuistine cogitationes de furtis committendis, vel de aliis damnis inferendis?...

470. **Circa octavum praeceptum.** Iurastine falsum in iudicio?... Habuistine vitium iurandi privatim sive verum, sive falsum?... Dixistine mendacia damnosa?... Affecistine calumniis proximum tuum?.... Fecistine murmurationes graves revelando res occultas?... Etiam contra propinquos?... Etiam contra sacerdotes?... Fecistine iudicia temeraria?...

471. **Circa praecepta Ecclesiae.** Manducastine carnem diebus vetitis?... Omisistine ieiunia quadragesimae, adventus et vigiliarum?... Omisistine satisfacere praecepto paschali?... Legistine libros prohibitos?... Interfuistine choreis aliisve spectaculis in quadragesima?... *Interdum addi poterit:* Violastine aliquam excommunicationem (vel suspentionem) qua forte innodatus remanseris?... Omisistine aliquam denunciationem, ad quam ex lege Ecclesiae tenereris?... Habuistine colloquia cum monialibus, aut ingressusne es monasterium aliquod extra casus permissos?...

472. **Circa vitia capitalia.** *Fiat speciatim interrogatio circa gulam, nempe ebrietatem aliasque intemperantias. Addantur deinceps interrogationes de ira (et speciatim circa imprecationes contra res adversas vel contra animalia); de invidia; de accedia in orationibus; et (quoad foeminas) de superbia et luxu excessivo in vestibus etc.*

473. **Circa scandalum.** Coniecistine in malitiam pueros aut alias personas innocentes?... Impulistine alios ad perpetranda peccata, suadendo, v. g. vindictam, furtum, aditionem lupanaris, prostitutionem, concubinatum, vel inobservantiam legum Ecclesiae?... Tulistine opem aliis

ad perpetranda peccata, sive lenocinio, sive aliis modis?... Dedistine scandalum nuditatibus?... Dedistine aliquod scandalum publicum?... Aut alia scandala privata?...

474. **Circa munera proprii status.** (*Pater vel mater familias*) Neglexistine mittere filios ad missam?... Ad doctrinam christianam?... Reliquistine illos in magnis periculis, v. g. filias solas cum adamantibus vel cum famulis periculosis, aut filios iam grandiusculos cum filiabus in eodem lecto?... Vigilastine quoad filios, ne scilicet impiis sectis nomen darent, et ne propter libros, ephemerides, socios etc. fidei aut bonorum morum iacturam facerent?... Dedistine illis scandalum?... Correxistine illos quoad blasphemias et turpes sermones etc.?... Dissipastine patrimonium aut fructum laboris tui in vitiis, loco providendi familiae?...

475. (*Coniux*) Vixistine in discordia cum coniuge?... Affecistine uxorem tuam magnis afflictionibus?... Percussistine illam?... *(De usu matrimonii et de adulterio interrogationes expositae fuerunt supra n. 455 et 462).*

476. (*Dives*) Fecistine eleemosynas pauperibus?...

477. (*Habens famulos*): Dedistine famulis tuis salarium et victum debitum?... Affecistine illos nimiis laboribus?... Vigilastine ut leges divinas et ecclesiasticas observarent?... Correxistine illos delinquentes?... Si forte familiae tuae scandalo fuissent, expulistine illos?...

478. (*Famulus*): Praebuistine heris tuis servitium debitum?... Reverentiam debitam?... Fidelitatem debitam?...

479. (*Medicus*): Neglexistine curam aegrotorum?... Multiplicastine visitationes inutiles ad habendum maius stipendium?... Praescripsistine pharmaca superflua vel nimii pretii ad favendum pharmacopolis amicis?... Quomodo te gessisti si aegroti alios medicos consulere voluerint, aut si tu ipse pro consulto advocatus fueris?... Exegistine honorarium non debitum vel excessivum?... Fecistine fidem infirmitatis non existentis ut quis pensionem vel exemptiones obtineret?... Consultus circa dispensationem a ieiunio, vel similibus, processistine conscientiose?... Admonuistine de sacramentis, adventante periculo mortis?... Habesne aliquem conscientiae remorsum circa abortus vel cranioto-

miam?... Vel circa usum hypnotismi?... Occasione vel praetextu tui officii, fuistine inhonestus cum foeminis?...

480. (*Advocatus*): Adduxistine testes falsos?... Defendistine causas civiles certe iniustas?... Protraxistine in longum causas ad maiorem mercedem habendam?... Fuistine negligens?... Aut etiam infidelis erga clientes?... Exegistine mercedem excessivam?... *Interdum addi poterit:* Corrupistine iudices?...

481. (*Scholaris*): Fuistine negligens in studio?... Inobediens vel irreverens contra magistros?...

482. (*Clericus*): Incessistine in habitu saeculari vel sine tonsura?... Fuistine inobediens vel irreverens contra Episcopum aut alios superiores?... Defecistine quoad res clericis prohibitas, nempe quoad cohabitationem cum mulieribus de quibus suspicio haberi posset: vel quoad negotiationem; ludum alearum; choreas; spectacula; tabernas; comessationes, et quaelibet alia quae clericum dedeceant?...

483. (*Clericus in Sacris*): Omisistine unquam officium divinum?... Recitastine illud valde defectuose?...

484. (*Sacerdos*): Celebrastine missam in peccato mortali?... Aut valde irreverenter et nimis perfunctorie?... Administrastine sacramenta in peccato mortali?... Recepistine stipendia aut onera missarum quin postea debito tuo satisfeceris?... Distulistine celebrationem missarum adventitiarum ultra mensem?... Aut commisistine celebrationem aliis diminuto stipendio?...

485. (*Confessarius*): Commisistine graves imprudentias circa sigillum?... Vel circa usum scientiae confessionis cum gravamine poenitentis?... In confessionibus audiendis processistine nimis perfunctorie, non interrogando, non admonendo, et statim absolvendo omnes?... Protraxistine nimis in longum confessiones mulierum ex genio vel etiam ex malitia?... Fuistine graviter imprudens quoad interrogationes?... Processistine temere absque scientia sufficienti?... Vel absque ponderatione in casibus difficilibus et momentosis?... *Interdum addi poterit:* Esne reus alicuius magni delicti, v. g. sollicitationis aut absolutionis complicis?... Petistine pecuniam a poenitentibus?...

486. (*Regularis*): N. B. *Circa castitatem et obedien-*

tiam, examen comprehenditur in supra dictis. Superest itaque ut dicatur: Defecistine contra votum paupertatis, nempe sine licentia Praelati aliquid de monasterio sive accipiendo, sive consumendo, sive abscondendo, sive aliis (maxime extraneis) tradendo?... Vel disponendo de rebus aliunde tibi obventis?... Defecistine contra clausuram, egrediendo sine licentia, maxime horis nocturnis?... Vel introducendo mulieres intra clausuram?... Defecistine contra regulas praeceptivas et constitutiones, maxime in rebus momentosis, v. g. quoad retentionem habitus, recitationem divini officii aut coronae post professionem etc.?...

487. (*Rector ecclesiae*): Defecistine quoad satisfactionem legatorum, aut tempestivam celebrationem missarum adventitiarum?... Quoad nitorem ecclesiae et decentiam sacrae supellectilis?... Quoad renovationem et custodiam SS.mi Sacramenti?... Quoad lampadem ante ipsum?... Quoad vinum pro missis?... Quoad sacerdotes alienigenas non praebentes litteras testimoniales?... Quoad sacros ritus, maxime in rebus momentosis?... Quoad silentium in choro?... Quoad vigilantiam circa clericos et aedituos?... Quoad concordiam cum piis sodalitiis (si adsint)?... Quoad distributionem horarum circa missas aliasque sacras functiones, habito respectu ad commodum populi, atque etiam ad alias ecclesias et maxime parochialem?...

488. (*Superior vel quisquis bono publico providere debeat*). Intulistine damnum bono publico ex negligentia?... Ex amore proprio (scilicet avaritia, ambitione etc.)?... Ex respectu humano (cum acceptatione personarum vel ad complacendum adulatoribus etc.)?...

489. (*Administrator*): Defecistine ex negligentia?... Ex dolo?... Quoad inventarium conficiendum vel cognoscendum?.... Quoad custodiam rerum tibi concreditarum?.... Quoad defensionem earundem?... Quoad manutentionem?... Quoad fructificationem?... Quoad oeconomiam et proportionem in expensis?... Quoad notam tenendam?... Quoad computationes?... Quoad archivium?...

490. (*Beneficiatus*): Defecistine quoad satisfactionem onerum quae beneficio adnectantur?... Vel quoad redditus

beneficii tui, qui (dempta tua congrua sustentatione) in usus pios et non aliter erogari debent?...

491. *Habens onus residentiae interrogetur an defecerit quoad obligationem istam...*

492. (*Episcopus*): Defecistine quoad praedicationem?... Quoad sacram visitationem?... Quoad administrationem sacramenti confirmationis?... Quoad sacras ordinationes (v. g. promovendo indignos)?... Quoad curam seminarii?... Quoad curam monasteriorum?... Quoad electionem parochorum, magistrorum, deputatorum etc.?... Quoad vigilantiam et remedia apponenda, speciatim circa clerum et res magis momentosas?... Quoad custodiam patrimonii ecclesiae?... Quoad scientiam habitualiter habendam pro casibus obviis?... Quoad studium, consilium et ponderationem pro casibus difficilibus?... Quoad missam pro populo?... *(Quum Episcopus sit etiam beneficiatus, sacerdos, superior, et habeat onus residentiae, recolendae sunt interrogationes relativae supra expositae).*

493. (*Canonicus et mansionarius*) Defecistine choro?... vel devotioni?... Acceptastine distributiones indebitas?... Defecistine in tuis officiis specialibus, v. g. convisitatoris, punctatoris, praepositi, theologi, poenitentiarii, oeconomi, sacristae, fabricerii etc.?... Defecistine sive in consiliis Episcopo dandis, sive in dando voto pro rebus capitularibus?...

494. (*Parochus*): Deficistine quoad sermonem ad populum?... Quoad pueros catechizandos?... Quoad assistentiam moribundorum?... Quoad admnistrationem sacramentorum?... Quoad correctiones et quoad scandala meliori modo possibili e medio tollenda?... Quoad bonum exemplum in te et familia tua?... Quoad pacem cum parochis conterminis?... Quoad missam pro populo?... Quoad vice-parochum?... Quoad regesta et archivium?... *(Quum parochus sit etiam confessarius, beneficiatus, rector ecclesiae, administrator, et habeat onus residentiae etc., recolendae sunt interrogationes relativae supra expositae).*

495. *Supradicto* ***examine persoluto,*** *quid praestandum a confessario* ***in confessionibus generalibus?***

I. Interroget poenitentem num aliquid aliud accusandum habeat.

II. Consideret quaenam sint actuales maioresque poenitentis obligationes seu necessitates, et exhortationibus remediisque provideat.

III. Excitet poenitentem ad dolorem et propositum.

IV. Poenitentiam sacramentalem paullo graviorem assignet.

V. Absolutione data, utiliter (ut alias innui) dicere poterit: Lauda Deum et bono animo esto. Peccata tua cuncta rite accusasti. Circa universa, quae substantialia sunt, te interrogavi; et ea, quae non inquisivi, necessaria non sunt. De confessione facta tutissimus ergo esse poteris in vita et in morte. Anima tua nunc est alba sicut nix, pulchra sicut Angelus. Obsecro te, fili mi, ut illam amplius non commacules, gratiam Dei semper custodias, et sic revera te salves.

496. *Expeditne ut* ***confessio generalis*** *una die incipiatur et alia finiatur; an vero ut* ***unica vice perficiatur?***

Si nihil obstet, melius est ut una (vel, ad summum altera) vice perficiatur; sic enim contritio maior esse solet; et sic docet etiam Philippus Salvatori (*Istruz. prat. II.* VIII).

Obstare autem potest (quominus una vice perficiatur) non solum defectus temporis (v. g. occasione sacrae missionis, ne scilicet alii poenitentes nimis expectare cogantur) sed etiam bonum poenitentis ipsius, quatenus melius sit ut aliquam restitutionem, reconciliationem, occasionis dimissionem, denunciationem, scandali reparationem etc. ante absolutionem exequatur.

Quoad restitutiones speciatim notandum, quod in confessionibus generalibus detegi solent facta antiqua iam suo tempore accusata, propter quae adest aut videtur adesse debitum restitutionis nunquam executae. Si debitum istud esset obscurum (v. g. quia forsan non furtum sed iusta compensatio locum habuit); tunc, si poenitens non reminiscatur quod onus restitutionis ei impositum fuerit, praesumendum est hoc ipsum onus non adesse, et circumstantias suo tempore convenienter examinatas fuisse. In dubio an

hoc vel illud debitum solutum fuerit (si dubium praesumptionibus vinci nequeat), vide dicta *Vol. III n. 308*. Si vero debitum (sive antiquum sive recens) sit clarum, et poenitens certus sit quod nunquam illud solverit, et nunc restituendi totum expeditam possibilitatem habeat, obligatio indicenda erit. Si tamen haec possibilitas restituendi totum a gravi et permanenti difficultate non seiungeretur, condonatio domini divitis (saltem si pars aliqua hic et nunc restituatur) facile praesumi posset (vide dicta *Vol. III n. 448*); et proinde confessarius, obtenta restitutione illius partis quae hic et nunc sat commode dari valet, consulere poterit saluti spirituali poenitentis liberando illum absolute (ex dicta remissione praesumpta aut probabili) ab onere restitutionis quoad reliquum. Excipe nisi dominus facile interpellari a confessario et poenitens facile redire posset; quod in missionibus difficile accidit.

497. *Quid de* ***poenitentia sacramentali pro confessione generali?*** Si confessio facta fuerit ex obligatione, poenitentia sacramentalis debet esse (propter peccatorem multitudinem) maior consueta. S. Leonardus suggerit ut dentur tres vel quatuor poenitentiae ad plures menses vel ad annum; sed hodie in praxi id ordinarie non videtur expedire. Ut plurimum sufficit si viris iniungantur quindecim decades rosarii, adiecta (si sint divites) aliqua eleemosyna. Ad summum in missionibus receptio sacramentorum in Dominicis (quae de more ad servandum fructum missionis proponuntur) foeminis et quibusdam viris iniungi poterit. Foeminis exercitium *Viae Crucis,* et (si essent instructae) aliqua pia lectio vel meditatio cum actu contritionis et osculo Crucifixi (v. g. per mensem et sub levi) superaddi posset. Omnibus autem (nempe sive viris sive foeminis) ordinarie posset iniungi ut alicui piae confraternitati (si quae in loco adsit) nomen dent.

498. *Quaenam praestanda sunt* ***post*** *confessionem generalem?*

Si poenitens redeat et dicat se habere alia peccata vel alias peccatorum circumstantias quas in confessione generali minime accusavit, patienter audiatur.

Si tamen iterum iterumque cum novis peccatis rediret,

et confessarius rem in scrupulum degenerasse (aut nimis onerosam, atque adeo moraliter impossibilem, evasisse) conspiceret, tunc nihil amplius se audire velle dicat, eumque de nulla prorsus remanente quidquam vitae praeteritae confitendi obligatione, tutum reddat.

ARTICULUS X.

De advertentiis specialiter adhibendis quoad varia poenitentium genera.

PUNCTUM I.

Quoad viros.

499. I. Curandum ne expectare cogantur, et magna commoditas (etiam extra confessionale, v. g. in choro vel sacristia) speciatim dum summo mane vel post occasum solis advenire solent, est eis praestanda.

II. Excipiendi sunt libenter.

III. Monita, quae personarum valde piarum propria essent, ordinarie non sunt eis danda.

IV. Opinionibus benignioribus cum illis procedendum est.

V. Non sunt obiurgandi, sed potius paterne obsecrandi.

VI. Uno verbo curandum ut contenti remaneant, atque ad redeundum alliciantur, maxime si sint magni peccatores, vel rarissime ad sacramenta accedere soleant.

PUNCTUM II.

Quoad foeminas.

500. Adverti debet imprimis quod foeminae magnus scopulus confessario ipsi (et quidem provocando etiam publica dicteria) evadere possunt.

Ad hunc scopulum evitandum (utique prudentiam et virtutem adhibendo) servari debet indifferentia, gravitas, modestia, et brevitas. Me explico.

Indifferentia. Non hanc potius quam illam, et in genere non foeminas potius quam viros, libentius audiat.

Gravitas. Speciatim verba, quae teneritudinem vel nimiam familiaritatem praeseferunt, sedulo evitet.

Modestia. Caveat, v. g. ne illas advenientes aut abeuntes studiose inspiciat.

Brevitas. Haec tamen sit discreta; resecando scilicet inutilia, et cavendo ne, praetextu curae spiritualis, genio indulgeat aut scandalum provocet.

501. Insuper quoad foeminas confessarius prae oculis habeant sequentia.

I. Foeminae solent esse valde inopes criterii; quid pro quo facile accipiunt; phantasiâ res exaggerant; et ordinarie nullam prudentiam et reflexionem habent.

II. Sunt loquaces admodum; unde ea quae hodie dicuntur in confessionali, cras sciri poterunt in conversationibus, imo et in platea.

III. Valde verecundantur, et non raro patientia et auxilio (utique prudentissimo) confessarii indigent, ut peccata sua integre accusent. Quoad verecundiam istam notari potest etiam, quod ordinarie pro maxima et intolerabili impudentia haberent, si confessarius (absque evidenti necessitate) menstrua (etsi sine malitia ulla) nominaret.

IV. Si sint nubiles, ornamenta et alia quae iuxta morem patriae ad matrimonii conclusionem discrete deserviunt, non sunt (dummodo modestiam servent) eis interdicenda; secus enim a sacramentis absque ullo fructu alienarentur.

V. Foeminae quasdam optimas qualitates habere solent; nempe sunt valde inclinatae ad religionem et pietatem; facile credunt; denique sunt dociles. Quoad hanc docilitatem notari debet, quod foeminae non tam per viam intellectus quam per viam cordis ad obediendum inducuntur. Ipsae insuper naturaliter amant dirigi et esse subiectae. Obedientias, etiam de rebus difficilioribus, facilius acceptant et reapse exequuntur; et quo magis confessarius fortitudinem ostenderit, firmusque in aliquid absolute exigendo perstiterit, eo magis illis placebit: imo et fortes correctiones (attamen non sine discretione), quae facile viros offenderent et a sacramentis alienarent, effectum prorsus oppositum in foeminis habere solent.

PUNCTUM III.

Quoad sacerdotes.

502. I. Non solet expedire ut examinentur, aut longis exhortationibus detineantur.

II. Sacerdotes, speciatim si sint senes atque in dignitate constituti, maxime vero si apud sacerdotem iuniorem confessionem facere cogerentur, magnae (imo maximae) verecundiae subiici solent.

Itaque, si ipsi confessiones incipiant a longe, dicendo, v. g. se habuisse pravas cogitationes, confessarius caveat ne dicat: *Iam non consensisti, nonne est ita?*

Si verbis generalibus utantur, quasi de peccatis antiquis et iam alias accusatis verba facerent, confessarius illos interroget, an et quot vicibus ab ultima confessione sic peccaverint.

Si excusationes in medium adducant, confessarius dissimulet; ita tamen ut, si videantur habere pro levibus quae gravia vel gravissima sunt (interdum enim conscientia laxa, et dictamina, quae nullo modo approbari valent, intervenire possent), tunc admoneri deberent.

III. Auditis peccatis gravibus vel gravissimis, non sufficeret proferre pauca verba exhortationis atque illico absolvere. De remediis serio agendum esset.

503. *Quaenam remedia sacerdotibus designari poterunt?*

Si agatur de primo lapsu, procurandum est (non sine exhortatione ferventissima) ut miser sacerdos, praeter fugam occasionis (si quae sit), ad meditationem quotidianam saltem per mensem, aut etiam ad aliquam graviorem poenitentiam (v. g. ieiunium aut notabilem eleemosynam) peragendam disponatur.

Si ageretur de secundo lapsu, tunc casus horribilis esset; non tamen desperandum foret; sed quam maxime adhortari deberet miserrimus ille, ut exercitia spiritualia in aliquo monasterio perageret, aut saltem aliquibus diebus domi suae orationibus, meditationibus et poenitentiis serio incumberet. Si quoad remedia ista excusationes in medium adduceret, alia minus gravia eius possibilitati animique debilitati proportionata suggerenda essent.

Si demum ageretur de sacerdote iam prorsus habi-

tuato, speciatim si a longo tempore, tunc illius emendatio difficillima esset. « Terra saepe venientem super se bibens « imbrem.... et proferens spinas ac tribulos, reproba est « et maledicto proxima, cuius consummatio in combustio- « nem ». Attamen tunc quoque confessarius, non solum exhortando sed etiam (imo praecipue) remedia assignando, quidquid poterit, facere deberet.

Sed quid de absolutione? Sacerdotes huiusmodi suntne absolvendi? Suntne potius sine absolutione dimittendi? Equidem, si essent certe indispositi, absolvi non possent. Quid itaque in dubio? S. Ligorius (*Il Conf. diretto II.* XXII *46*) dicit: « Quoad sacerdotes recidivos, nisi signa extra- « ordinaria compunctionis praebeant, sit fortis confessarius in absolutione « differenda; idque per quantum clament et petant ut absolvantur, sub « praetextu quod absque scandalo missae celebrationem omittere nequeunt. « Respondeat non deesse iustos praetextus, quibus a celebrando abstinere « possint, si velint; et casu quo vere abstinere nequirent, dicat eis quod « possunt celebrare cum actu contritionis, si illam habeant; sed ipse pro « tunc absolute non potest illos absolvere; quia post tot relapsus eorum « dispositio valde dubia est ».

Sed quid si timendum esset ne miser sacerdos, qui hucusque sine praevia confessione nunquam missam celebravit, in posterum sine illa celebrare incipiat, et in huiusmodi sacrilegiis (diabolo prorsus se deserens) usque ad mortem perduret? Non solum certitudo sed etiam solus timor fundatus ne id contingere possit, res magni imo maximi momenti mihi videtur; unde, quum facile ex denegatione absolutionis magis esset timendum quam sperandum, ego non reprehenderem confessarium, qui cum huiusmodi miserrimis sacerdotibus se gereret prout in Domino melius esse crederet. Vide *Istruzione per i novelli Confess. P. II C.* III *n. 75.*

PUNCTUM IV.

Quoad personas pias et moniales.

504. De personis piis et de monialibus egi ex professo in opusculo, quod inscripsi *De directione animarum piarum ex de confessario monialium*, illudque inserui etiam in *Theologia Pastorali n. 974-1000* ubi proinde egi de regulis bonae directionis, de mediis adhibendis, de cautelis, de periculis, de methodo vitae, de macerationibus corporalibus, de electione status, de votis privatis, de tentationibus, de scrupulis, de rebus supernaturalibus, de infestationibus diabolicis; de regulis et constitutionibus monialium propriis, de directione superiorissae, de educandatu etc. etc.

Hic noto solum quod confessarius totus esse debet in procuranda vera sanctitate, quae consistit in fuga peccatorum (etiam venialium) et exercitio virtutum ad placendum Deo, et in superandis sacrificiis; non vero solum in quodam amore sensibili, imo nec in multis orationibus et poenitentiis, quae tamen bona erunt si moderata sint, atque ad virtutes acquirendas dirigantur.

PUNCTUM V.

Quoad pueros et iuvenes.

505. I. Summa cura cavendum ne coniiciantur in malitiam. (Cf. supra dicta *n. 290*).

II. Pueri ordinarie absolvi debent, sed non raro (propter dubium sive de materia sive de dispositione) solum sub conditione. Vide *De Recidivis* (*Ed. V n. 190*).

III. Circa visitationes quas iuvenes (vulgo *adamantes*) matrimonio praemittere solent, vide supra dicta (*n. 404*); et *De Occasionariis* (*n. 244 et seqq.*).

IV. Circa choreas, vide *De Occasionariis* (*n. 189*).

V. Circa electionem status, vide *Theologiam Pastoralem* (*Ed. III n. 982*).

PUNCTUM VI.

Quoad surdo-mutos.

506. De his vide supra *Vol. IV n. 857.*

PUNCTUM VII.

Quoad infirmos et moribundos.

507. De his quoque vide *Theologiam Pastoralem* (*n. 225-239*), atque infra *De Extrema Unctione*, ubi dico quod vita saltem mediâ horâ post mortem apparentem perdurare solet.

CAPUT III.

DE MINISTRO POST CONFESSIONEM NEMPE DE SIGILLO, DE USU SCIENTIAE CONFESSIONIS ET DE REPARANDIS ERRORIBUS.

ARTICULUS I.

Principia generalia quae sigillum et usum scientiae confessionis in communi respiciunt.

508. *Quid est* ***sigillum?*** Est obligatio non dandi signum de rebus in confessione auditis, sine consensu poenitentis.

509. *Quid est* ***usus scientiae confessionis?*** Est usus notitiarum quae in confessione habitae fuerunt; qui usus (quamvis sigillum nullo modo frangeretur) illicitus est in multis circumstantiis, ut infra declarabitur.

510. *Quaenam sunt* ***principia generalia,*** *quae totam hanc materiam moderantur?*

I. Non licet ea manifestare, de quibus credendum est quod poenitens, intuitu confessionis sacramentalis, rationabiliter silentium exigat.

II. Non licet id dicere vel facere, quod, si licitum esse sciretur, usus confessionis in christifidelibus odiosus redderetur, et multi a confessione faciendâ alienarentur.

511. ***Licetne uti probabilitate*** *in materia sigilli vel usus scientiae confessionis?*

Probabilitate *iuris* (si nempe cum solida probabilitate sustineri possit, quod talis vel talis loquendi vel agendi modus liceat) affirmative.

Hinc Lugo (*De Poen. VII 275*) scripsit: « In quae-« stione practica, ubi agitur de obligatione practica hic « et nunc, licitum *semper* esse amplecti sententiam pro-« babilem ». (Attamen, generatim loquendo, melius erit ut opiniones sigillo faventes practice eligantur). Notandum est insuper quod antiquitus auctores, etiam probatissimi,

quasdam tenebant opiniones laxissimas, speciatim circa usum scientiae confessionis, quae iam antiquatae, imo proscriptae sunt, in quibus proinde de solida probabilitate nihil esse potest.

Sola autem probabilitate *facti* (prout contingere posset si dubitaretur de reo detegendo; vel de licentia obtenta; vel an peccatum sciatur ex scientia externa an vero ex sola confessione; vel an confessio fuerit vel non fuerit vere sacramentalis), negative; si enim haec permitterentur, iam non paucae revelationes fierent, et sic non parum confessio odiosa redderetur.

ARTICULUS II.

Agitur in particulari de sigillo.

PUNCTUM I.

De natura sigilli.

512. ***Quot modis*** *frangi potest sigillum?* Resp. 1° directe; 2° indirecte; 3° cum poenitente solo.

Frangitur *directe,* indicando aperte peccatum et peccatorem (et maxime si confessarius diceret quod ille tale vel tale peccatum nedum commisit sed etiam sibi in confessione accusavit).

Frangitur *indirecte,* nempe aliquid dicendo vel faciendo, ex quo de peccato et peccatore cognitio vel suspectus oriri posset.

Frangitur *cum poenitente solo,* nempe loquendo cum illo de eiusdem confessione, quin certe sit contentus.

513. ***Quot leges prohibent*** *sigilli violationem?*

I. *Lex divina positiva,* propter sacramentum cum hac implicita obligatione a Christo institutum (atque adeo ex religione), et quidem gravissime obligans; si enim confessarii sigillum frangere valerent, de sacramento poenitentiae adeo utili et necessario actum esset; neque profecto os poenitentium apertum esse posset, nisi os confessariorum rigorosissime clausum esset; et christifideles

propria peccata (ut plurimum secretissima, saepe probrosissima, et aliquando enormissima) nisi de secreto tutissimi forent, sacerdotibus nequaquam revelaturi essent.

Lugo dicit (*XXIII.* 11) quod apud Aethiopes hoc sacramentum fere abiit in desuetudinem quia sacerdotes sigillum non satis custodiebant.

II. *Lex ecclesiastica,* propter plures canones.

Gregorius Papa (*C. Sacerdos*) dixit: « Propter nul« lum scandalum vitandum frangendum esse hoc sigillum ». Et Innocentius III (Cap. *Omnis utriusque sexus*) ait: « Caveat omnino (confessarius) ne verbo, aut signo, aut « alio quovis modo, aliquatenus prodat peccatorem..... Qui « peccatum in poenitentiali iudicio sibi detectum praesum« pserit revelare, non solum a sacerdotis officio deponen« dum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam « poenitentiam in arctum monasterium detrudendum ». (Hae poenae sunt ferendae sententiae, facto processu ex licentia poenitentis).

III. *Lex naturalis,* propter detractionem et fractionem secreti commissi (1).

514. Si tamen cum solo poenitente sigillum violaretur, tunc contra legem divinam dumtaxat (et quidem tunc minus rigorose obligantem) reatus adesset.

515. *Quot* ***malitiae specie diversae*** *adsunt in violatione sigilli?* Tres, nempe sacrilegium, et (intellige si violetur cum aliis) iniustitia (seu detractio) atque infidelitas.

---

(1) Notandum quod lex ecclesiastica et lex naturalis influunt quidem in hanc obligationem, sed fundamentum principale est semper lex positiva divina ex religione obligans. Secus enim, si dictum fundamentum non adesset, dici posset quod lex ecclesiastica non obligaret cum gravi incommodo atque etiam dispensationibus subiici valeret. Lex naturalis vero multis exceptionibus subiiceretur, et saepe saepius solum sub levi obligaret. Ipsum autem secretum commissum, praeterquam quod solum sacerdotibus cognitis plenaque fiducia dignis in rebus magni momenti concrederetur, aliqua exceptione non careret.

Oportet itaque ut lex positiva divina intercedat, quae nullam exceptionem admittat, rigorosissime obliget, et poenitentes prorsus tutos reddat. Cf. Lugo (*XXIII 10*).

PUNCTUM II.

De licentia quae a poenitente dari debet ut confessarius de auditis in confessione loqui possit.

516. *Expeditne facile ut licentia ista petatur?* Negative; ut plurimum enim haec ipsa petitio *quamvis fieret intra confessionem* poenitentibus molesta foret.

Si autem extra confessionem petitio fieret, adhuc magis molesta ordinarie esset, et prius peti deberet quoque facultas introducendi sermonem de confessione ipsa.

517. *Quomodo* ***debet esse haec licentia,*** *ut confessarius ea uti valeat?* 1° Expressa. 2° Libere et libenter data. 3° Non revocata.

518. *Licetne aliquando uti licentia* ***praesumpta?***

Si agatur de revelando directe peccato et peccatore, negative prorsus; secus enim fractionibus sigilli ianua latissima aperiretur; et poenitens quidem posset esse contentus, sed nihilominus sinistra impressio, scandalum et damnum sacramenti sequerentur.

Antisiodorensis a Palao, et De Graffis a Diana in contrarium citantur pro casu, in quo revelatio ipsi poenitenti esset adeo utilis vel necessaria, ut eidem gratissima esse deberet. At vero, praeterquam quod oporteret ut quodvis periculum tum hallucinationis tum scandali abesset, Suarez notat, legem positivam sigilli esset generalem et ex communi sensu unicam dumtaxat, nempe licentiae expressae, exceptionem admittere. Lex autem ita generalis est bonum adeo magnum, ut bono, quod in dicto casu particulari poenitenti adveniret, longe praevaleret.

Dixi *si agatur de revelando peccato* etc.; aliud enim esset si ageretur de aliis rebus, quae ad declaranda peccata dicta fuissent, ut infra (*Punctum III*) explicabitur.

519. *Quid significat quod licentia debet esse* ***libere et libenter data?***

Significat 1° Quod nunquam licet uti licentia obtenta vi, dolo, aut metu gravi. 2° Quod etiam regulariter non licet uti licentia obtenta metu reverentiali (qui facile adesset si subditus rogaretur a superiore) aut precibus paullo importunioribus.

Dixi *regulariter,* quia id liceret si necessitas gravissima esset, et maxime si poenitens ad licentiam conceden-

dam (v. g. ad salvandum a morte innocentem) sub gravi teneretur; quo postremo casu (qui tamen difficillime et vix unquam in praxi contingere potest) absolutio quoque ei renuenti denegari posset, prout Salmant. (*n. 44*) et Gury (*Cas. n. 735*) notant.

520. *Quandonam licentia censebitur* ***revocata?***

I. Si poenitens illam revocasset expresse, quamvis forte irrationabiliter.

II. Si etiam interpretative dumtaxat, ob circumstantiarum mutationem, tamquam revocata haberi deberet. Excipe nisi poenitens dixisset expresse: Utere notitia ista prorsus tamquam si nunquam de ea confessus fuissem. Laymann (*n. 96*) et Croix (*n. 1960*).

521. ***Quomodo*** *confessarius licentia obtenta uti potest?*

Solum iuxta limitationes, quae expresse vel tacite appositae fuerint, aut subintelligantur, v. g. solum cum tali persona, solum ad talem finem, solum durante necessitate, solum cum debitis cautelis etc.

Et hic notandum quod, data facultate petendi consilium, subintelligitur conditio non nominandi personam, illudque petendi solum a viro prudenti.

522. *Estne* ***aliud observandum*** *circa licentias istas?* Videndum an circumstantiae sigillo extrinsecae petitionem vel usum licentiae vetent, ut puta, si loquendo *laederetur ius tertii;* detegerentur scilicet alii ad suam famam adhuc ius habentes, vel ingererentur suspectus contra personas innocentes (prout contingere posset si dicta in infamiam monasterii, aut familiae, aut complicum bonam famam adhuc habentium, redundarent); tunc enim salvo quidem sigillo, sed non salvo iure tertii confessarius loqueretur.

523. Obstare potest etiam *scandalum,* si nempe audientes crediturі essent fractum fuisse sigillum, quod ut non accidat, in casu necessarium esset indicare quod licentia obtenta fuit.

PUNCTUM III.

De materia sigilli.

524. *Quaenam est* ***materia sigilli?*** Supposito quod licentia obtenta non fuerit, et quod vel manifestatio vel periculum manifestationis personae interveniat, materia sigilli sunt sequentia.

I. *Peccata* (1), quorum a confessario notitia externa non habeatur, sacramentaliter accusata.

Notandum quod peccata caderent sub sigillo quamvis confessarius ex sola confessione (non vero ex scientia externa) cognovisset iam esse publica, vel esse nota tali vel tali personae (v. g. complici aut alteri confessario); ille enim nequidem cum eadem persona de iisdem loqui posset; ingratum est quippe poenitentibus quod confessarii, occasione sumpta ex ipsorum confessione, de eorundem peccatis, etsi publicis vel dictis personis iam notis, loquantur. Lugo (*XXIII 95*).

II. *Confessio peccatorum,* quamvis confessarius de illis notitiam externam haberet, dicendo, v. g. Titium publicum concubinarium de suis fornicationibus cum concubina perpetratis confessionem sibi fecisse; idque verum esset quamvis poenitens ipse cum aliis dixisset se de peccatis iisdem confessum fuisse. Lugo (*l. c.*). Non tamen sigillum frangeret si diceret simpliciter et prorsus in genere, illum apud se peccatorum suorum confessionem fecisse; tacitis enim fornicationibus, non obstaret quod audientes sua propria inductione id coniicerent.

III. *Defectus confessionis,* nempe peccata reticita, indispositio, sacrilegium etc.

IV. *Ea omnia quae cum peccatorum confessione connexionem habeant;* attamen si huiusmodi sint ut credi debeat quod poenitens circa illa quoque sigillum exigat (ut mox infra explicabitur).

---

(1) Potest dari casus in quo peccatum constet ex opere externo indifferenti aut virtuoso simulque ex malitia interna; et tunc sigillum non illud sed istam respiceret; quid enim si confessarius, postquam audierit sacerdotem se accusantem de plurimis eleemosynis quas publice facere solet ex occulta vanagloria, illum laudaret apud Superiorem, dicendo quod valde sublevat pauperes et facit multas eleemosynas?

V. Item (saltem ordinarie, ut pariter infra explicabo) *quidquid in confessione acciderit, si illud manifestando aliquid ex praedictis detegi posset.*

Huiusmodi esset speciatim denegatio absolutionis (quamvis poenitens aliis dixisset illam non obtinuisse, nisi forte confessarius dictum illius tantum referret).

Idem dic de poenitentia sacramentali. Excipe nisi exiguissima foret, qualis pro solis venialibus minimis, datur. Aliquando matres, postquam earum filiolus confessus fuit, petunt a confessario qualem poenitentiam ei dederit, quia de illa oblitus fuit. Caveat confessarius ne frangat sigillum. Respondeat: *Tres Ave.*

Neque a fractione sigilli excusaretur confessarius si aliquid diceret in laudem poenitentis, sed ita ut ex tali laude vel peccata illius detegerentur (dicendo v. g. illum restituisse, concubinam dimisisse etc.), vel comparationes, aliis poenitentibus non laudatis ingratae, fieri possent.

525. *Quid de* ***solo accessu ad confessionem?***

Solus accessus ad confessionem, sicut est de accessu ad alia sacramenta, ad notitiam mere externam pertinet, et proinde sub sigillo non cadit.

Nihilominus de hoc fit quaestio pro casu in quo poenitens clam accessisset, vel apud Superiorem (pro absolutione a reservatis) confessionem fecisset. Dicunt quod tunc ipse accessus tamquam inchoata confessio haberi deberet (Lugo *67*). Concedunt tamen quod sigillum in tali casu vigeret solum pro confessario, non vero pro aliis, qui illum vidissent.

Ut verum fatear, ego rem istam non intelligo. Si confessarius de Titio, qui ad illum venit sive clam sive pro reservatis, diceret: Audivi confessionem Titii, equidem violaret sigillum *si ad hoc dicendum moveretur ex auditis in confessione ipsa,* eo quod nempe audierit illum habere peccatum reservatum vel tale quod suo ordinario confessario occultare voluisset; et, dicendo se audivisse illius confessionem, de re ista (propter speciales circumstantias) suspectum ingereret, idque malitiose indicare intenderet. Sed, praescindendo ab hoc abusu confessionis, veram sigilli violationem ego non ponerem.

Recognoscerem tamen violationem secreti naturalis, etiam quoad alios et strictius quoad confessarium. Adhuc tamen, circa violationem huius secreti naturalis, exceptionem ponerem pro casu, in quo poenitens confessionem fecisset clam ex solo respectu humano atque ad occultandam rem istam suis sociis (prout hodie in quibusdam moribundis contingere solet), et confessarius illum fuisse confessum diceret, v. g. eius matri, confessa-

rium ipsum de hoc pro sua quiete interroganti, vel aliis personis erga quas poenitens de secreto non esset sollicitus, ut sentit etiam Frassinetti (*art. 61*). Vide Gury (*n. 659*).

526. *Quid si confessarius indicaret, talis vel talis poenitentis confessionem* ***fuisse longam?*** Distinguendum ut supra; nempe, si abuteretur scientia confessionis, quatenus multa peccata audivisset, et, ad hanc multitudinem indicandam diceret confessionem fuisse longam, tunc sigillum frangeret. Secus vero si hoc diceret innixus in sola prolixitate confessionis praecise, sicut dicere posset quisquis alius qui eandem longam moram animadvertisset, quae profecto ad notitiam externam pertineret. Cf. Croix. (*n. 1996*).

527. *An aliquando contingere possit violatio sigilli* ***etiam quoad illa peccata quae ex scientia externa confessario nota sint?***

Affirmative, si nempe ex notitia confessionis aliqua circumstantia superadderetur, vel maior asseverantia adhiberetur, vel eorundem confessionis factae aliquid indicium daretur (ut *n. 524 II* dicebam).

Prudentia exigit quoque, ut (quatenus necessarium et possibile sit) cautelae adhibeantur, ne sive a poenitente sive ab aliis sigillum fractum fuisse videatur.

528. *An, utendo scientia externa quae de frequentia quorundam peccatorum in tali vel tali loco habeatur, non obstantibus confessionibus auditis de peccatis iisdem, consuetae interrogationes aliis poenitentibus, aut necessariae correctiones subditis, aut ordinariae applicationes in concionibus fieri possint, salvo sigillo?* Affirmative. Cavendum tamen a scandalo atque ab imprudentia, ut modo dicebam.

529. *Quid si quis consilii petendi causa, aut solo motivo directionis spiritualis aliquod suum peccatum tibi patefecisset, maxime si addidisset: Id tibi dico sub sigillo confessionis?* Per hoc confessionis sigillum non induceretur. Idque verum esset quamvis postea, concepta voluntate confessionem faciendi apud te, illud ipsum peccatum sacramentaliter tibi accusavisset; in rigore enim illa prior notitia sigillo extrinseca adhuc perduraret (ut dicunt Fras-

sinetti *not. 155* aliique contra alios); atque ad salvandum sigillum sufficeret si dicti peccati confessio occultaretur.

530. *Quid* ***de confessione non sacramentali?***

Ad sigillum inducendum *sufficit si fuerit sacramentalis inchoative,* scilicet in intentione vel spe (quamvis erronea) poenitentis. Casum habes in illis quibus, propter indispositionem vel (in sacerdote) defectum iurisdictionis, absolutio dari non potuisset.

Si vero confessio fuisset omnino ficta atque ad alium finem (v. g. carpendi eleemosynam) unice directa (excludendo prorsus iam inde ab initio qualemcumque intentionem recipiendi absolutionem validam), tunc sigillum locum non haberet. Sed in praxi oporteret ut de hoc certe constaret, quod difficile erit.

Certe caderent sub sigillo peccata, quae, confessione iam finita, accusata fuissent, etsi confessarius absolutionem pro iisdem minime renovasset.

531. *Quid si poenitens loqueretur* ***extra confessionem*** *cum proprio confessario* ***de peccatis prius sacramentaliter accusatis?***

Tunc sigillum perduraret. Casus contingit quando confessarius cum consensu poenitentis loquitur cum ipso de rebus in confessione auditis; idque quamvis ipse poenitens non requisitus sed sponte, ratione consilii spiritualis, de peccatis antea accusatis sermonem institueret.

Ratio et quia non convenit quod poenitens, ut cum suo spirituali directore possit loqui de rebus in confessione dictis, cogatur aut novam confessionem facere, aut confessarium a sigillo solvere. Croix (*n. 1961*).

532. *Peccata a poenitente accusata possuntne, salvo sigillo,* ***indicari in genere tantummodo?***

Si indicatio sit adeo generica, ut non plus sit quam dicere poenitentem fuisse confessum, ut puta, si de milite aut quovis homine vulgari diceretur: *Venit ad confitenda sua peccata;* vel si de persona pia diceretur: *Venit ad confitendas suas venialitates*, aut *vix habebat materiam absolutionis;* tunc (secluso periculo ingratae comparationis inter personam et personam) sigillum non frangeretur.

Secus vero si, quamvis non in specie infima, tamen cum aliqua determinatione (etsi minimi momenti, dicendo,

v. g. *confessus est venialia grandiuscula*) peccata exprimerentur.

533. *Quid si non explicite sed* ***implicite peccata indicarentur*** *dicendo, v. g.: Titius est indignus, non est promovendus, de eo non est fidendum etc.?* Frangeretur sigillum.

534. *An* ***peccata non vera*** (*v. g. deficiente advertentia vel consensu*), ***sed existimata*** (*quatenus nempe poenitens ex scrupulo vel ignorantia illa tamquam peccata accusaverit*) *sub sigillo cadant?*

Affirmative: oportet enim ut etiam personae simplices et ignorantes cum plena confidentia confiteri possint.

Excipe nisi tale quid diceretur, de quo poenitens neque offendi neque sigillum exigere ullo modo possit, ut infra (*n. 540. 541*) explicabo.

535. *Quid de rebus expositis quidem in confessione, sed* ***certe ad modum merae digressionis*** *a peccatorum confessione prorsus independentis?* Sub sigillo non caderent.

536. *Quid de rebus* ***cum confessione connexis,*** *quae scilicet non essent quidem peccata poenitentis, attamen ab eo ipso sive ad declaranda sua peccata sive ad respondendum interrogationibus expositae fuissent?*

Tacita semper confessione, recurrendum esset ad intentionem poenitentis; an scilicet credi debeat quod de rebus illis sigillum exigat vel non exigat.

Si essent res occultae et occultandae, tunc urgeret sigillum; prout contingere posset v. g. circa defectus occultos poenitentis ipsius (qui dixisset v. g. se esse spurium, aut irregularem, aut lue venerea infectum, aut impotentem ad matrimonium etc.); vel circa personas amicas aut consanguineas quae complices, vel occasio aut obiectum peccatorum fuissent (ut puta, si poenitens dixisset: Percussi sororem in fornicatione deprehensam).

Si vero essent res iam publice notae, v. g. si poenitens (ad declarandum aliquod suum peccatum) dixisset, homicidium fuisse ab aliis in platea commissum; aut se esse coniugatum, habere filios, esse iuvenem, vel senem etc.; tunc sigillum non urgeret.

537. *Quid de peccato a poenitente* ***in ipsa confessione commisso?***

Si peccatum esset *independens* a confessione (v. g. si poenitens contra alios poenitentes eum forte prementes

imprecationem iaceret, vel confessarium ipsum ad malum tentaret etc.) tunc de sigillo nihil esset.

Si vero peccatum cum confessione *connexionem* haberet; tunc ordinarie sigillum urgeret.

Exemplum habes in poenitentibus, qui ipso actu confessionis dicerent, se nolle restituere, reconciliari cum inimico, occasionem dimittere etc.; aut etiam contra confessarium ipsum, qui illos absolvere nollet, arroganter se gererent.

Dixi *ordinarie;* non enim sigilli obligatio subsisteret si eo usque res procederent, ut poenitens rationabiliter sigillum ipsum exigere nequiret, ut puta, si sumptis armis mortem confessario ipsi comminaretur (qua de re sermo redibit infra *n. 550*).

Attamen de causa minarum nihil dici posset.

538. *Quid* ***de defectibus poenitentis****, non ab eo ad declarandam suam confessionem enunciatis, sed a confessario ipso occasione confessionis animadversis?*

Si cognitio horum defectuum a qualitate peccatorum derivasset (ut puta, si ex accusatione imprecationum et blasphemiarum confessarius cognovisset illum habere indolem iracundam), tunc certe sigillum urgeret.

Si autem defectus ex solo modo loquendi paterent, ut puta, si confessarius animadverteret illum esse surdum, vel balbum, vel graveolentem, vel tardi ingenii, vel sophisticum, vel loquacem, vel cerebrosum, vel impatientem etc., tunc aliqui sigillum ad ista quoque extendunt; sed sententia communis docet nullam sigilli violationem (nisi exinde peccata poenitentis aliquo modo detegerentur) intervenire posse.

Ratio est quia pactum tacitum inter poenitentem et confessarium de secreto servando, circa haec non versatur, sed solum circa peccata, et circa alia quae ad peccata ipsa declaranda confidenter dicuntur, ut ait Lugo (*n. 60*).

Ex eo tamen quod fractio sigilli non interveniret, minime sequitur quod quaevis culpa abesset.

539. *Quid* ***de tentationibus?*** Si, ut ordinarie accidit, accusentur ut peccata, vel cum dubio de consensu,

vel ad melius declaranda peccata, tunc sub sigillo cadunt. Si autem certe constaret quod ex solo motivo directionis exponerentur, tunc solum secretum commissum interveniret

540. *Quid* ***de operibus virtuosis*** *vel* ***donis divinis?***

Si ex mera petitione consilii manifestata fuissent, sigillum non adesset. Si accusata fuissent ut peccata (dicendo v. g. feci magnam eleemosynam, sed propter vanam gloriam), vel ad declaranda peccata (dicendo v. g. fui ingratus donis divinis); tunc sub sigillo cadere possent.

Dico *possent;* non enim violaretur sigillum si ex una parte opera virtuosa sic et simpliciter (peccatum adnexum nullo modo indicando) manifestarentur (iuxta dicta *n. 524 I in not.*), et ex alia poenitenti non interesset ut illa quoque occultarentur.

541. *Quid* ***de scrupulis*** (*intellige semper ex sola confessione cognitis*)?

Dicere: *Titius tales vel tales scrupulos habet,* certe contra sigillum est; eos enim poenitens tamquam peccata confessus fuit.

Dicere etiam in genere: *Titius est scrupulosus*, ordinarie contra sigillum (saltem aliqualiter) est, quia scrupulositas ex scrupulis accusatis dignoscitur, et tamquam defectus existimari solet. Dixi *ordinarie;* si enim huiusmodi dictio poenitenti honorem dumtaxat conferret (ut puta si de viro saeculari diceretur: *Adeo bonus est ut timeat etiam peccatum ubi non est*); tunc sigillum non offenderetur. Vide S. Lig. (*n. 644*).

PUNCTUM IV.

De sigilli violatione directa.

542. ***Quandonam*** *accideret violatio directa?* Iam innui supra quod, ut haec locum habeat, duo exiguntur. 1° Ut persona nominetur, aut saltem ita clare indicetur, ut ab unoquoque sine ambage, primo intuitu, et quin necessariae sint inquisitiones, intelligatur. 2° Ut de confessione personae sic indicatae peccatum aut aliquid odio-

sum (ut supra) manifestetur directe; dicendo, v. g.: Titius commisit vel confessus est tale peccatum; aut Titio absolutionem denegavi vel distuli etc.

543. *Lex de sigillo* ***directe*** *non violando* ***admittitne aliquas exceptiones?***

Negative prorsus. Quaenam enim esse possent exceptiones huiusmodi? Nunquid dispensatio Papae? Nunquid magna necessitas, v. g. ad evitandum gravissimum scandalum, aut ruinam Reipublicae aut mortem innocentis; vel ad baptizandum foetum in utero matris ex delicto gravidae; vel ad evitandam celebrationem matrimonii invalidi; vel si secus confessarius exponeretur periculo mortis, aut carceris aut percussionum: vel si poenitens ipse iam teneretur licentiam revelationis concedere et secreti indignus esset? Nunquid saltem excipi possent casus in quibus, dum ex una parte confessarius damnis vel incommodis exponeretur, ex alia poenitenti ipsi parum vel nihil interesset ut secretum servaretur; ut puta, si ageretur solum de venialibus, vel de peccatis iam publicis (etsi confessario ex sola confessione notis), vel si confessarius loqueretur sive cum personis quae peccata illa iam cognoscunt, sive cum alio confessario cui poenitens eadem peccata iam accusavisset, sive praesumendo poenitentem esse contentum; vel si confessarius illa manifestaret tantummodo alicui personae prudentissimae aut alteri confessario ad declaranda sua ipsa peccata et proinde sub alio sigillo confessionis, vel denique si poenitens indicaretur quidem nominatim, sed esset incognitus personis cum quibus confessarius loquitur, aut in loco valde dissito, aut iamdiu mortuus etc.? Repeto: negative prorsus: et oportet ut in nullo prorsus casu sigillum frangere liceat.

Ratio est quia si in casibus gravissimae necessitatis, aut ex dispensatione Papae, aut in rebus parvi momenti, liceret aliquid dicere; tunc ex una parte confessarii de facto peccata et peccatorem revelarent, et quidem facile sibi confingerent agi de casu permisso, quamvis limites transilirent, atque ita cito spargeretur notitia quod peccata in confessione accusata revelantur; et ex alia parte fideles timerent etiam plus quam revera timendum foret,

atque ita de usu confessionis iam actum esset. Insuper Lugo (*n. 108*) ait quod doctrina, quae diceret sigillum posse frangi directe in aliquo casu, malum adeo magnum afferret, ut cuilibet alio malo praeponderaret; unde, sicut fornicatio aut pollutio directe volita in nullo prorsus casu licet, tantundem de directa sigilli fractione dici debet.

Nec referret quod in aliquo casu poenitens de secreto indignus esset; sigillum enim non solum respectu poenitentis, sed etiam, imo praecipue, respectu sacramenti, religionis et boni communis (Cf. Lugo *XXIII 12*) observari debet.

Haec autem est doctrina certissima et communissima, nemine prorsus in dubium illam revocante.

544. *Daturne casus, in quo violatio directa* ***venialis esse possit?***

Tamburini (*De Sigil. VIII*) dicit quod Sà, Ledesma et Sotus docent adesse posse levitatem materiae, casu quo confessarius culpam venialem (non dicendo fuisse auditam in confessione) revelaret. Sed haec opinio tamquam prorsus erronea reiicitur ab aliis omnibus, et merito.

Etsi enim confessarii loquerentur solum de peccatis venialibus, haec non levis sed maxima et damnosissima inordinatio esset, quae clamat ut sub gravi prohibeatur. Rationes sunt sequentes. 1° Ageretur de casu frequentissimo atque (ut ita dicam) quotidiano. 2° Aliqua venialia sunt magis probrosa et dehonorantia quam mortalia. 3° Saepe pro venialibus accipi possent ea quae mortalia sunt. 4° Fideles, si rescirent confessarios loqui de venialibus, omnem confidentiam amitterent, et timerent quod de mortalibus quoque loquerentur.

545. *Quid si confessarius* ***interrogetur an poenitens tale vel tale peccatum confessus sit?***

Hic casus contingere solet in matribus quae interrogant confessarium an filius tale vel tale peccatum confessus fuerit. Ille autem respondere deberet: Muneri meo functus sum, et nihil dicere possum. Vel: Suntne faciendae interrogationes istae? Dicere posset etiam: De re ista nihil scio (intelligendo nihil scio ut homo et de scientia communicabili); unde adagium; *scitum in confessione est*

quasi nescitum, idque etiam iuramento (si opus esset) confirmare posset.

546. *Possetne respondere:* ***Nihil dixit?*** Haec responsio non esset mendacium (subintelligeretur enim *quod tibi revelare possim*). Foret tamen periculosa; si nempe interrogans exinde credere posset, confessionem non fuisse integram. Et, si poenitens revera nihil dixisset, defectum confessionis (scilicet sacrilegam peccati reticentiam) revelandi atque adeo sigillum frangendi periculum interveniret.

547. *Quid si confessarius interrogaretur, an talem vel talem poenitentem* ***absolverit?*** Tunc etiam respondere deberet: Muneri meo functus sum. Vel: Suntne faciendae interrogationes istae?

548. *Quaenam regula teneri debet* ***quoad schedulam confessionis?***

Interdum poenitens petere posset schedulam (seu testimonium) confessionis peractae, Superiori v. g. illam requirenti ostendendam.

Imprimis teneri debet systema nihil dicendi de absolutione data, et si schedula esset typis impressa, et non solum confessionis sed etiam absolutionis testimonium contineret, confessarius illa reiecta scribere deberet: Testor me confessionem audivisse N. N. cum eoque muneri meo functum fuisse. Quid enim si de meretrice impoenitente et in lupanari degente, vel de publica concubina, vel de persona coniuncta in solo matrimonio civili, confessarius testaretur se illam absolvisse? Porro de absolutione data vel non data nihil dici debet.

Si autem sermo sit de solo testimonio confessionis peractae, ordinarie erit dandum, idque quamvis absolutio concessa non fuisset.

Dico *ordinarie,* excipi enim deberet 1° casus in quo confessio fuisset manifeste ficta et poenitens solum pro schedula obtinenda advenisset; 2° casus in quo poenitens ex una parte propter indispositionem non potuisset absolvi, et ex alia (N.B) *actu confessionis* petivisset schedulam, qua v. g. ad obtinendum sacrilege aliud sacramentum abuti vellet. Cf. Lugo (*n. 87*), Bucceroni (*n. 852*) et Génicot (*n. 399*).

PUNCTUM V.

De sigilli violatione indirecta.

549. ***Quandonam*** *accidit violatio indirecta?* Quando, non interveniente violatione directa, confessarius ex notitia confessionis aliquid dicit vel facit, ex quo alii in cognitionem vel suspicionem mali vel minus boni status conscientiae poenitentis devenirent, ita ut dictum vel factum ipsum in odium sacramenti redundaret et sinistram impressionem faceret.

550. *Cur dixisti*: ***ex notitia confessionis?***

Quia fractio sigilli nullatenus interveniret, si fundamentum sermonis vel actionis confessarii non iam essent peccata poenitentis sacramentaliter accusata, sed aliquid aliud.

Exempla. Confessarius fugit auxiliumque petit, eo quod poenitens, propter denegatam absolutionem, mortem ei minitatur. Fugit (inquam) auxiliumque petit; ita tamen ut de absolutione denegata suspectum quidem concipere possint adstantes, sed ille nihil dicat.

Titius, confessione facta die paschatis in sua paroecia rurali apud vicarium, non obtinuit absolutionem et proinde ad communionem cum aliis non accessit. Vicarius autem interrogatus a parocho an Titio communionem praebuerit, respondet negative; et ex hoc parochus arguit absolutum minime fuisse.

551. *Cur dixisti oportere ut dictum vel factum confessarii* ***sinistram impressionem faciat?***

Quia non sufficit quaelibet occasio, qua per accidens alii in huiusmodi cognitionem vel suspicionem devenire possint, hoc enim periculum semper et prorsus evitare impossibile est.

De occasione suspicionis scripsit Lugo (*XXIII 106*): « Tabiena cum aliis dicit, vitandam omnino esse omnem « suspicionem. Alii tamen id moderantur, ut intelligatur « de suspicione probabili, non vero de coniecturis etiam « levibus, quas malitiosi et nasuti facile faciunt....; esset « enim fere impossibile omnem suspicandi occasionem in- « directam omnibus auferre ». Quod probat etiam S. Lig. (*n. 661*). Exempla practica essent sequentia.

552. I. Confessarius exponit casum, ratione consilii, alteri sacerdoti; sed iste, propter circumstantiam a consulente nullatenus praevisam, statim suspicatur, vel etiam plane cognoscit qua de persona agatur.

II. Confessarius exequitur restitutionem pro poenitente: sed ille cui fit restitutio, fortuito casu (quia v. g. vidit apud confessarium eundem confessionem facere personam de qua suspectum habebat) intelligit quisnam fuerit auctor furti.

III. Confessarius in paroecia rurali detinet longo tempore in confessionali poenitentem, eique indisposito negat absolutionem, unde ille ad communionem non accedit. Res istas alii observant, et deducunt illum in valde malo conscientiae statu versari vel etiam confessum fuisse peccata de quibus iam publicae murmurationes fiunt, illaque tam vera et tam gravia esse ut absolutionem obtinere non potuerit.

IV. Confessarius voce paullo elatiori loquitur cum poenitente sacristae (unde aliqui illius peccata intelligunt), aut, postquam audiverit agi de rebus valde momentosis, illum ad sacristiam ducit; unde adstantes graves suspectus concipiunt.

V. Confessarius uni poenitenti, propter eius puritatem et candorem internum, maiorem benevolentiam ostendit quam aliis. Lugo (*l. c.*).

VI. Postquam publici facinorosi repentina morte correpti parochus confessionem audiverit, familiam desperate flentem solatur dicens: Eia agite, consolamini; cum magna contritione multisque lacrymis confessus est; et de eius aeterna salute non dubito. Culpandusne erit parochus propter verba ista? Equidem verba *Cum lacrymis et magna contritione* peccata valde gravia subindicant; sed circumstantiae (quod scilicet indicatio est solum indirecta et generica; quod vita Titii omnibus iam notissima est: quod denique causa sic dicendi subsistit) efficiunt ut parochus sine ullo reatu sic dicere possit; et reapse huiusmodi sermo nullam admirationem nullamque sinistram impressionem faceret. Ita sentiunt Medina, Koninck, Palao (*III 6*) et tacite Lugo (*n. 112*). Aliud esset si confessarius de poenitente ordinario sic diceret, ut merito notat D' Annibale.

VII. Superior communitatis se inebriare solet, unde subditi de illo valde obmurmurant. Isti inter se conveniunt ut unus ipsorum (praeter consuetum) confessionem apud illum faciat, in qua de hac murmuratione se accuset. Superior id audiens oculos aperit et statim se emendat. Utique emendatio ista palam facit toti communitati, subditum murmurationem illam accusasse revera. Nunquid ideo Superior debuisset suas ebrietates continuare, ne de confessione audita signum daret? Attamen dicere nequiret: *Me emendo, quia talis subditus de murmuratione confessus est.*

N. B. Magna itaque est differentia inter manifestationem directam et indirectam. Illa nunquam licet et semper mortalis est; ista vero interdum venialis, imo licita prorsus esse poterit.

VIII. Confessarius ex confessione Titii audit, illum cum aliis complicibus infecisse veneno vinum, quo confessarius ipse mox usurus erit pro missa, vel ei parasse venenum in proxima coena, vel ei struxisse insidias quando ad talem domum profecturus est. In hoc casu confessarius quaerere debet aliquem praetextum, quo a missa celebranda, vel coena aut domo illa adeunda se eximat. Sed, quamvis, non obstante praetextu isto, complices de confessione a Titio facta exinde coniecturam caperent, auctores probatissimi (contra alios) confessarium a quovis reatu (secluso damno Titii) excusant. Ratio est ut supra; quia nempe manifestatio confessionis ex una parte non esset directa sed indirecta atque ex facto deducta, et ex alia iis dumtaxat, qui rem iam sciunt, innotesceret. Gravissima insuper

causa urgeret. Ita Scotus cum Scotistis fere omnibus, quibus Laymann, Koninck, Palao, Pallavicinius (apud Diana *Res. 24*) aliique cum Tamburinio (*Cap. VI*) adstipulantur.

IX. Si confessio, v. g. moribundi, propter aliquod impedimentum, perfici nequiverit, confessarius ante Viaticum dicere poterit: *Debeo redire ad infirmum, quia confessionem non finivit.* Utique ex hoc dicto suspectus dabitur quod poenitens ille plura et forsan multa peccata habeat. Nihilominus expressio huiusmodi poenitenti nullo modo displiceret, nullamque admirationem produceret, et omnino licita esset. Bonacina (*VI 5*).

X. Quid si de aliquo dicatur quod facit vel fecit confessionem generalem? Quamvis in confessione generali multitudo peccatorum accusari soleat, et quamvis talis confessio de confessionibus in antecessum male factis suspectum ingerere possit; nihilominus huiusmodi expressio (speciatim tempore missionis, quando fere omnes confessionem generalem faciunt) ut plurimum nullam sinistram impressionem facit et poenitentibus non displicet.

N. B. Hac igitur absente sinistra impressione, **licentia praesumpta** poenitentis (si vere praesumi debeat) sufficit. Tamburini (*III. 15*).

553. Propositio *Titius redditurus est*, iuxta Baller. (*n. 665*), licita esse potest. Si nempe ita dicere expediat, ut poenitenti liber ad confessarium aditus pateat; non enim propter solam dilationem absolutionis, sed propter alias causas minime probrosas (v. g. ad finiendam confessionem generalem, vel ad faciendam novam confessionem, vel ad habenda consilia spiritualia etc.) necessitatem redeundi poenitens habere potest. Ego dicerem in casu particulari perpendendas esse circumstantias, et speciatim esse cavendum ne haec expressio fundatum de absolutione dilata suspectum ingereret.

XII. Parochus ruralis exiens e confessionali solet semper pergere ad communionem distribuendam. Quadam die, unicum habens poenitentem, illum propter indispositionem absolvere non potest. Pergit ad sacristiam; et, dum aliis vicibus dicebat clerico ut lumina pro communione accenderet, illa vice ei dicit: *Interroga personam, quae nunc confessa est, an velit communicare.* Utique haec agendi ratio insueta aliquem suspectum clerico dare potest. Nihilominus sic fieri debet; et hic modus, quo alius melior non invenitur, non displicet poenitenti, cui certe magis displiceret si, veniente sacerdote ad altare pro Eucharistia administranda, ille maiori rubore suffusus non se praesentare vel abire cogeretur.

XIII. Casus similis accidere potest in moribundo, qui ad absolutionem disponi non potuerit. Si enim actu confessionis confessarius oblitus fuisset convenire cum illo de aliquo praetextu adhibendo cum familiaribus qui credunt Viaticum esse illico deferendum, deberet postea ad lectum moribundi iterum se conferre; et, si hoc facere nequiret, dicere deberet familiaribus ipsis, se moribundi confessionem excepisse, sed de Viatico non esse locutum; et proinde illum esse interrogandum.

554. *Da exempla* ***verae et peccaminosae violationis indirectae?***

Haec accidere potest in ipso confessionali, vocem (quamvis poenitens non esset surdus) elevando, aut (intellige si alii hac notare possent) tabellam casuum reservatorum inspiciendo vel signum crucis non faciendo.

Accidere potest extra confessionem multipliciter; et speciatim casum exponendo cum talibus vel in talibus circumstantiis, ut revelationis vel suspicionis circa personam non leve periculum adesset; quod accidit interdum in petendo consilio, interdum in propria confessione facienda; sed ut plurimum ex levitate, dicendo v. g.: Hoc mane magnum piscem coepi; audivi magnum peccatorem qui a triginta annis non erat confessus. Venit sacerdos, qui.... Venit canonicus, qui.... Venit nobilis matrona, quae.... Prima persona, quam hoc mane audivi, lepidum casum habebat etc... In tali conventu adest qui... In tali collegio vigilandum est tali loco et tali tempore... Interveniret quoque violatio indirecta si, instituto sermone de paucis poenitentibus, confessarius laudaret unum de nunquam commisso peccato mortali et taceret de aliis; aut si, dum alii laudant personam tamquam communiter notam ut iustam, castam etc., eius confessarius praesens taceret (1). Interveniret demum in exequenda restitutione, si ex circumstantiis, ille cui res restituenda defertur, facile in furis cognitionem vel suspectum devenire posset.

555. ***Cur non solum directa sed etiam indirecta violatio sigilli interdicitur?*** Quia ipsa quoque redderet odiosam confessionem et quasi aequivalenter est idem. Dixi *quasi;* reapse enim directa magis rigorose obligat quam indirecta.

556. *Violatio indirecta, per se loquendo, interdicitur*ne **sub gravi?** *Et, quatenus affirmative, possetne* **aliquando esse venialis?**

Per se interdicitur sub gravi; sed aliquando potest esse venialis ex levitate materiae; quando scilicet in illo loquendi modo periculum grave detegendi poenitentem, irreverentia gravis contra sacramentum, et imprudentia gravis non conspiciatur.

Scripsit Lugo (*XXIII 71*): « Posset admitti levitas materiae, quando « res quae narratur, est talis, ut sit periculum aliquod ingerendi suspicio-

(1) « Si ita commendaret poenitentem, ut solum significare vellet in « eo esse singularem probitatem, id non esset contra sigillum; sic enim « non indicaret alios poenitentes peccare, sed non esse tam perfectos ». Roncaglia (*Q. VI C. II Regulae n. V*).

« nem alicui, sed adeo tenue periculum, vel adeo remotam suspicionem, « ut non sufficiat ad imprudentiam gravem, nec ad gravem irreverentiam « contra sacramentum. Negari enim non potest non consistere in indivisi- « bili obligationem non loquendi de auditis in confessione. Quia aliquando « de illis licite loquimur, quando nullum est periculum manifestationis; « aliquando est clarum periculum, et est grave peccatum ita loqui: ali- « quando vero potest esse adeo remotum periculum, ut, licet melius sit « tacere et possit esse veniale loqui, non tamen sufficiat ad mortale ».

557. *Quaenam considerari debent, ut de gravitate vel levitate materiae, vel etiam interdum de totali absentia culpae, iustum iudicium feratur?*

I. Qualitas indicii, et gradus periculi, ut modo dicebam cum Lugo.

Hinc videndum quaenam circumstantiae indicentur; an agatur de facto quod acciderit alio tempore vel alio loco, an vero hic et nunc; item an confessarius loquatur solum cum uno vel altero viro prudenti (etsi sine necessitate) qui difficile de persona suspicari possit, an vero loquatur cum pluribus, vel cum persona quae facile arguere possit de quonam individuo agatur, aut quae ex levitate vel curiositate de illo inquisitura sit.

II. An periculum sit ne in peccatoris suspicionem tantummodo, an vero apertam cognitionem deveniatur.

III. An de re gravi vel levi (omnibus perpensis) agatur.

Dico *omnibus perpensis:* quid enim si ageretur de periculo (etsi levi) ne maritus de uxoris adulterio suspectum conciperet?

IV. An periculum dandi suspectum confessionis auditae respiciat eos qui nihil sciunt, an vero eos dumtaxat quibus culpa illa iam nota est, v. g. complices.

V. Praesumptio quod poenitens curet vel non curet de indicio quod datur.

N. B. Quod revelatio sit de re levi, aut de re notoria vel audientibus iam cognita, aut quod revelatio fiat ex praesumpto consensu poenitentis; haec imminuerent reatum in ipsa violatione directa. Attamen in illa reatus, non obstante hac imminutione, mortalis remaneret. Sed in revelatione indirecta (quae per se est minoris momenti) circumstantiae istae, et aliae quae hic indicantur, interdum efficere possunt ut reatus evadat venialis aut etiam evanescat omnino. Dixi *interdum;* ordinarie enim reatus remanet mortalis, ut supra dicebam.

VI. Causa loquendi vel agendi. Aliud enim est si confessarius loquatur ex levitate et sine ulla necessitate; aliud vero si loquatur ad petendum consilium; vel tali et tali modo se gerat ad satisfaciendum suis obligationibus, quibus independenter a confessione audita teneretur (*n. 552 VII*), aut ex alia iusta et rationabili causa (*l. c. IX et sqq.*).

VII. Frequentia aut raritas casus, et facilitas vel difficultas tales vel tales cautelas adhibendi. Si cautelae sint faciles, confessarius difficilius excusabitur; si vero sint difficiles, excusabitur facilius; si enim oportet ut sacramentum non reddatur odiosum poenitentibus, oportet etiam ut non reddatur odiosum confessariis, quod contingeret si pro casibus obviis, et in quibus semper cavere a periculis sit difficile, peccata mortalia ponerentur.

Hinc non facile incusandus erit de peccato mortali confessarius, qui in confessionali vocem paullulum elevaret, aut ex notitia habita in aliorum confessionibus interrogationes aliquas non satis cautas faceret, aut in petendo consilio vel in exequendis restitutionibus cautelam aliquam omitteret.

VIII. Denique ad ferendum iudicium de gravitate, levitate aut nullitate culpae in dando aliquo indicio de confessione, optima regula erit observare an et quantum talis vel talis loquendi vel agendi modus sinistram impressionem faciat, ut supra in principio (*n. 549*) dicebam; nec profecto quidquam valeret consensus praesumptus poenitentis si huiusmodi mala impressio in audientibus sequeretur.

Hinc, quamvis ordinarie adesset consensus poenitentis pro interrogando eiusdem complice (v. g. in fornicatione, furto etc.), tali etiam modo ut iste iam animadvertat socium peccati sui apud eundem confessarium fuisse confessum, non ideo interrogationes tam apertae fieri possent; sed illae dumtaxat quae (attenta qualitate casus et personae) iam sunt consuetae, et illo modo fieri solent, unde iam nullam sinistrum impressionem faciant.

Neque ab hac doctrina recedendum est ut reticentia alicuius peccati et aliqua confessio sacrilega impediatur; non enim expedit ob huiusmodi spem sacramentalis sigilli aestimationem sic periculo exponere; qua enim utilitate id compensaretur? Facile est quod poenitens non obstante quacumque interrogatione in negando perseveret: supposito autem quod peccatum sic quasi per vim accuset, nunquid facile disponi poterit ad veram contritionem sacrilegii quod hic et nunc facere volebat? Nonne facile eiusdem confessio esset sacrilega eodem modo ob defectum doloris? Nonne facile remaneret ei obligatio illam repetendi et accusandi sacrilegium commissum? Et si in illo peccato committendo atque reticendo iam esset habituatus, praesens confessio tali modo peracta quid ei iuvaret?

Hoc itaque in puncto mihi tenenda esse videtur doctrina S. Ligorii (*I. VI. n. 631*) dicentis: « Si confessarius noverit peccatum ex confes-
« sione alterius, tunc utique non poterit specialiter poenitentem de illo in-
« terrogare, nisi expressam ab illo altero licentiam habeat, sed tantum
« poterit *generatim* interrogare et in hoc dico quod confessarius non sit
« nimius in interrogationibus repetendis, quia in hoc etiam esset peri-
« culum revelationis. Non improbabiliter tamen dicunt quod si aliquod
« peccatum *sit commune talibus personis*, possit de eo *speciatim* interro-
« gare, prout in sponsis commune est prolabi in tactus inhonestos, vel
« saltem in pravas cogitationes.

558. *Quaenam* ***cautelae*** *adhiberi debent* ***in petendis consiliis*** *pro casibus difficilibus, ne sigillum periculo exponatur?* 1° Consilia non petantur nisi in casibus verae necessitatis, in quibus auctores consulere non sufficiat. 2° Petantur solum a personis quae vere iuvare possint. 3° Petantur secreto. 4° Exponatur casus tamquam theoreticus, non vero tamquam vere obventus (si fieri possit). 5° Circumstantiae non necessariae reticeantur. 6° Circumstantiae fictae (quae casus substantiam non mutent) immisceantur. 7° Si nihilominus adesset periculum revelationis vel suspectus, licentia consilium petendi obtineatur prius a poenitente.

559. *Quaenam* ***cautelae*** *adhiberi debent* ***in restitutionibus*** *faciendis?* Stante periculo fractionis sigilli, differatur restitutio ad aliud tempus, vel peragatur (non sine discretione) per tertiam personam, aut per cursum publicum (vulgo *posta*) ponendo pecuniam intra epistolam nomine ficto conscriptam et sub cautelis missam (vulgo *raccomandata*).

560. *Quid de confessario, qui aliquid in confessione auditum indicaret,* ***nominando non personas, sed civitatem, vel oppidum, vel paroeciam, vel coetum, vel ordinem religiosum, vel monasterium, vel collegium, vel seminarium?***

I. Si, considerando quid dicatur, et coram quibus, et in quibus circumstantiis, cognitio vel suspectus de personis sat facile concipi posset, tunc adesset fractio sigilli.

Dicis, v. g.: *In hac civitate adest magna societas latronum vel coniuratorum. — In hoc oppido vix invenitur puella quae sit virgo, aut uxor quae non sit adultera, aut rector domus qui non sit fur.*

Loquens cum parocho dicis: *In tua paroecia adest vir homicida, adest puella quae plures abortus commisit, adest mulier turpe lenocinium exercens, adsunt duo concubinatus, adsunt tres meretrices* etc. Quis non videt quod, sic loquendo, personas magnis suspectibus exponeres, suspectus antecedentes confirmares, publicorum peccatorum (quasi illos nomine proprio indicares) factas confessiones revelares, et sic quaquaversus sigillum frangeres?

Periculum frangendi sigillum esset adhuc maius, si de sacerdote, de collegiali, de seminarista, de religioso, de monacho etc. verba faceres, speciatim si in loco sacerdotes essent pauci; aut si collegium, seminarium vel monasterium paucis individuis constaret; maxime vero si poenitentes tui ad hos coetus pertinentes iam essent noti, aut si, ex casus aliarumque circumstantiarum natura, persona quae deliquit adhuc pressius indicaretur.

II. Secluso etiam periculo detegendi personas, adesse potest culpa nedum propter scandalum saecularium, sed etiam propter infamiam, quae forte oppido, collegio, monasterio, vel ordini religioso (invitis poenitentibus et proinde non sine odio sacramenti et sacrilegio) inuratur.

Subsistente hac infamia, plures censent quod vera sigilli fractio interveniret; alii vero fractionem istam non recognoscunt (quia non personae sed communitatis peccata revelarentur), bene vero illicitum usum scientiae confessionis cum gravamine poenitentium (de quo *Punct. seq.* agetur) intervenire admittunt. Haec est quaestio de nomine, circa quam non immoror.

Declarandum est potius quandonam confessarii verba communitati infamiam poenitentibus valde ingratam producere possint; tunc enim culpa mortalis procul dubio adesset. Hodie theologi fere unicam regulam dant, et *distinguunt inter civitatem satis amplam et oppidum parvum* quod tribus hominum millibus non constet. Quoad primam sentiunt quod confessarius, male loquendo, vix unquam (dummodo personas nec directe nec indirecte indicet) graviter delinquere possit; secus autem, si de secunda (et multo magis si de exigua paroecia vel collegio etc.) diceret gravia crimina ibi perpetrari. Cf. S. Ligorii (*n. 634*).

At vero (quamvis haec regula magna ex parte bona sit) mihi placet quot dicit Aversa, quod nempe moraliter taxari nequit quantum numerosa esse debeat civitas, aut alia societas, ut verba confessarii graviter culpanda sint; quandoquidem aliae quoque circumstantiae considerari debent.

Meo sensu, magna distinctio fieri debet imprimis inter confessarium, qui *consilii petendi causa* (tecto poenitente) exponit casum particularem viro prudenti (tunc enim culpam vix unquam ponerem); et confessarium qui *ex levitate et mera loquacitate* de auditis in confessione verba faceret. In hoc secundo casu, ad iudicium ferendum de levitate vel gravitate culpae, considerari debet impressio quam eius dicta faciunt; aliud enim est si nullam aut fere nullam, aliud vero si magnam et valde sinistram faciant im-

pressionem, ita ut quid mirum videatur quod in societate illa sive talia sive tot crimina perpetrentur. Porro tunc infamia gravis, quae poenitentibus graviter displicere debet, interveniret.

Huiusmodi impressionis varietas pendet a multis circumstantiis. Sic, v. g. aliud est si de civitate, vel oppido, vel paroecia, vel alia societate saecularium; aliud vero si de sacerdotibus vel religiosis verba fiant. Aliud est de religiosis generice; aliud vero de monasterio loqui, quod (uti patet) valde peius est; et notandum quod ut plurimum, non obstante locutione generica, de religiosis residentibus in monasterio loci sermo intelligeretur, nisi confessarius in multis dioecesibus confessiones audivisset, idque exprimeret. Similiter aliud est loqui de rebus antiquis, aliud vero de recentibus aliud est si de criminibus iam notis et publicis, aliud vero si de occultis confessarius loquatur; imo quoad ipsa peccata occulta, distinctio fieri debet inter illa de quibus nil mirum quod adsint, et alia quae in societate de qua sermo habetur contingere non soleant. Pariter aliud est innuere quod in tali vel tali societate (etiam religiosa) aliqua peccata mortalia adsint, aliud vero quod peccata multa, aut (quod peius esset) crimina et scelera multa committantur; idque speciatim si non in genere indicarentur, sed in specie, dicendo, v. g. quod in ipsa sodomiae, adulteria, stupra, ebrietates etc. accidunt; maxime vero si diceretur, res huiusmodi grassari. Aliud est etiam loqui de tali vel tali societate cum personis eiusdem loci, aliud vero loqui de eadem in locis valde dissitis; si enim verba fiant de peccatis publicis, peius est loqui cum extraneis (qui ea ignorant); et e converso si de occultis. Denique aliud est si confessarius de peccatis sacerdotum vel religiosorum cum aliis sacerdotibus vel religiosis, aliud vero si cum saecularibus loquatur.

561. *Quid itaque* ***summatim de differentia inter violationem directam sigilli,*** *et locutionem quae* ***indirectae*** *alicuius manifestationis periculum inducat?*

562. Circa primam, ut liceat, exigitur licentia poenitentis expressa atque auditoribus manifestanda; qua seclusa in nullo prorsus casu licet, semperque rigorosissime et gravissime vetatur.

Secunda quoque interdicitur sub gravi; sed, ut aliquando liceat, sufficere potest licentia pro certo praesumpta poenitentis. Motivum rationabile et prudentia certe exigitur; sed casus interdum potest esse ita levis momenti, ut imprudentia venialem tantummodo culpam constituat.

PUNCTUM VI.

De poenis contra violantes sigillum.

563. Poenae istae sunt 1° Depositio a sacerdotali officio. 2° Detrusio perpetua in arctum monasterium (Cf. *n. 513 II*). Sunt ferendae sententiae.

564. *An non solum directa sed etiam indirecta sigilli fractio sub his poenis cadat?* Affirmative. Lugo (*n. 84*).

565. *An fractio sigilli sit casus S. Officii et subiaceat oneri denuntiationis ex lege positiva?* Negative. Attamen iure naturae obligatio denunciandi Episcopo sacerdotem sigilli violatorem adesse potest. Ita S. Poenitentiaria (*8 Iun. 1843*) apud *Monit. Eccles.* (*II.* III *p. 151*).

PUNCTUM VII.

De fractione sigilli cum poenitente solo.

566. *An confessarius possit loqui cum poenitente* ***in confessione*** *de auditis in alia confessione, vel possit loqui cum illo extra confessionem* ***dum adhuc est ad eius pedes?*** Affirmative: attamen solum iusta de causa.

Sed, exceptis his casibus, etiam loquendo cum poenitente solo, sigillum frangi posset.

567. *An fractio sigilli cum poenitente solo* ***fractionis sigilli cum aliis aequiparari debeat?*** Negative, quatenus 1° Non subest poenis a iure statutis, iuxta Sanchez (*De Matr. III.* XVI *5*) aliosque. 2° Reatus adest quidem contra religionem (quia sacramentum redderetur non parum odiosum et molestum); sed, quamvis adhuc ordinarie mortalis, est minor. Dixi *ordinarie;* interdum enim (si vix adesset periculum alicuius minimae displicentiae in poenitente) venialis esse posset. 3° Aliqui theologi dicunt quod sufficit licentia certissime praesumpta; imo quod, ad reparandum defectum magni momenti in

confessione commissum vel ob aliam causam urgentissimam, confessarius loqui posset cum poenitente, quamvis ille loquendi licentiam concedere noluisset. Vide Palao (*XIX.* III *14*), Suarez (*XXIII.* v) et Frassinetti (*not. 143*).

568. *An, saltem de regula ordinaria, exigatur* ***licentia expressa*** *poenitentis?* Affirmative. Sufficit tamen licentia implicita, si nempe poenitens ipse sponte sua de dictis in confessione sermonem introduceret.

569. *An sine ulla poenitentis licentia liceat eum admonere de absolutione non data propter oblivionem vel defectum iurisdictionis?* Affirmativae: quia tunc de eiusdem peccatis confessarius nihil diceret. S. Lig. (*n. 622*).

570. *Licetne* ***levi de causa*** *hanc licentiam petere; et qualis est modus aptior illam petendi?* Excepta forsan aliqua persona valde spirituali, ipsa petitio loquendi de rebus confessionis (multi enim ne vellent quidem a confessario cognosci) solet esse valde ingrata et molesta, et proinde ad casus rarissimos, in quibus magna necessitas vere adsit, reservari debet; et, dato casu, si res moram patiatur, confessarius dicere poterit: Vellem ut iterum venires ad me pro confessione vel in confessionali; habeo enim aliquid tibi dicendum.

571. *An vetita sigilli fractio cum poenitente accidere possit non solum directe sed* ***etiam indirecte?*** Affirmative. Hoc tamen verificaretur solum si dictum vel factum confessarii in poenitentis molestiam redundaret (v. g. illum pristina amicitia privando); non vero si potius gratum ei esset (v. g. illum magis diligendo, adiuvando etc.). Sed res ista in articulo sequenti melius explicabitur.

ARTICULUS III.

De usu scientiae confessionis.

572. *Usus scientiae confessionis* ***estne licitus?*** Aliquando est licitus et aliquando illicitus,

573. ***Quandonam est licitus?*** Quando agitur de tali vel tali usu, qui quamvis licitus declaretur et omnes scirent permitti, non sequeretur odium sacramenti, et fi-

deles a frequentanda confessione minime retraherentur; quod certe contingeret quando nulla adesset fractio sigilli cum aliis, simulque nullum poenitentis gravamen interveniret, imo talis usus nihil ei displiceret.

Hinc ex auditis in confessionibus facile licebit imprimis occasionem sumere magis adiuvandi poenitentem ipsum, v. g. orando pro illo; studendo vel caute consilia petendo; eleemosynas ei praebendo; mitius cum illo procedendo; libros devotos ei dando; cognita illius magna fragilitate, illum infirmum frequentius visitando, mortique appropinquantem frequentius ad confessionem invitando etc. (intellige semper si reapse credi deberet quod haec ei non displiceant).

Licet etiam sumere occasionem melius adiuvandi alios. Hinc confessarius poterit bonas regulas pro confessionibus audiendis et interrogationibus faciendis statuere. Item normam sumere pro sacris concionibus in eligendis argumentis, vel applicationibus faciendis etc.; idque liceret quamvis forte poenitentes adverterent quod concionator aut missionarius ex auditis in eorundem confessionibus ita re gereret (Lugo *n. 102,* Sanchez *III.* XVI *6,* Croix *n. 1970* etc.), dummodo de vitiis in loco communibus ageretur, et nemo confusioni et rubori exponeretur. Item posset Superior a nimio rigore, a nimia asperitate, a nimia parsimonia etc. se temperare, etiam advertente poenitente (Baller. *n. 1008*). Item confessarius postquam ex confessionibus percepisset, poenitentes subiisse damna vel scandala a talibus vel talibus personis (de quibus ideo non sit fidendum), poterit procurare ut alii ab iisdem caveant (sicut posset cavere ipse): attamen caute, atque ita ut nec fractio sigilli nec poenitentium gravamen sequatur; et notandum quod gravamen semper adesset si ageretur de persona quam poenitens amaret vel eiusdem consanguinea foret; et facilius non adesset si de iniquo tentatore vel damnificatore ei iam valde inviso res esset. Cf. S. Lig. *(n. 657 et seqq.)* et Génicot *(n. 392)*.

574. *Usus scientiae confessionis* ***quandonam esset illicitus?***

Quando, si fideles scirent talem usum esse licitum, odium contra sacramentum conciperent, atque a confessione notabiliter retraherentur: idque ordinarie contingeret si dictae scientiae usus *cum gravamine poenitentis* coniungeretur.

Patet 1° ex rei natura; si enim non licet loqui cum poenitente ipso de rebus ab eo in confessione auditis, quia hoc molestum ei esset, multo minus licebit sive in honore, sive in bonis fortunae, sive in officiis etc. eidem damnum inferre.

Patet 2° ex decreto Clementis VIII *(26 Maii 1593)*, et declaratione S. C. S. O. *(18 Nov. 1682)*, in qua insuper definitur quod gravamen subsisteret, quamvis pro poenitentis ipsius bono atque ad impediendum maius eiusdem gravamen seu malum (sive spirituale sive temporale, sive statim sive postea secuturum) confessarius ita se gereret. Enimvero Clemens VIII sic decrevit: « Tam superiores pro tempore existentes, quam confessarii « qui postea ad superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligenter, « ne ea notitia quam de aliorum peccatis in confessione habuerint, *ad*

« *exteriorem gubernationem* utantur »; quod utique intelligi debet de gubernatione cum gravamine poenitentium.

Declaratio autem S. C. S. O. continetur in damnatione sequentis propositionis: « Scientia ex confessione acquisita uti licet, modo fiat sine « directa aut indirecta revelatione et gravamine poenitentis, nisi aliud « multo gravius ex non usu sequatur, in cuius comparatione prius merito « contemnatur. Adhibita deinde explicatione, sive limitatione, quod (propo- « sitio) sit intelligenda de usu scientiae ex confessione acquisitae cum « gravamine poenitentis, seclusa quacumque revelatione; atque in casu « quo multo gravius gravamen eiusdem poenitentis ex non usu seque- « retur ». Damnatio autem fuit requentis tenoris. « Hanc dictam proposi- « tionem, quatenus admittit usum dictae scientiae cum gravamine poeni- « tentis, etiam cum dicta explicatione, praesenti decreto prohibent (Qua- « lificatores). Mandantes etiam universis sacramenti poenitentiae ministris, « ut ab ea (doctrina) in praxim deducenda prorsus abstineant ». Porro perinde est sive verum sive tantummodo apprehensum sit gravamen; eodem quippe modo sacramentum fidelibus invisum redderetur.

575. Hoc verum esset quamvis poenitens damnum vel nullatenus adverteret, vel non adverteret illud propter confessionem sibi provenire; ipsa enim doctrina, usum scientiae cum gravamine permittens, eundem effectum produceret; imo magis formidantur ea quae in occulto, quam quae palam contra nos fiunt. Lugo (*XXIII q. 8*).

576. **Casus practici,** in quibus poenitentium gravamen interveniret, sunt speciatim sequentes.

I. Si superior regularium alicui subdito mutaret monasterium, aut ad dignitatem illum non promoveret, aut ab officio illum deponeret, aut prohiberet ne talem vel talem domum adiret, aut tali vel tali tempore a conventu exiret; et multo magis si insidias ei tenderet ut in flagranti illum deprehenderet etc.

II. Si quis alicui denegaret suffragium pro beneficio vel officio, aut praesentatum in beneficio non institueret.

III. Si Episcopus denegaret sacram ordinationem (propter incontinentiam ei accusatam in confessione ab ordinando), vel parochus arceret a matrimonio (propter occultum impedimentum dirimens in confessione detectum). Idem dic si sacerdos poenitenti occulte indigno, quem inabsolutum dimisit, communionem (speciatim publice vel aliquo advertente) denegaret.

IV. Si quis dissuaderet testatorem ne alicui haereditatem vel legatum relinqueret.

V. Si pristina amicitia poenitentem privaret vel torvis oculis illum aspiceret.

VI. Si bonorum morum testimonium ei denegaret.

VII. Si herus (audita famuli confessione, eoque intra illam non consentiente) arcae pecuniariae clavem ei auferret, aut seram mutaret, aut pecuniam ab illa subtraheret; vel ita clauderet fores domus, ut non amplius amicam noctu introducere posset, vel demum a servitio suo illum eiiceret. Notant autem theologi, a peccato nequidem excusari confessarium si actu ipso confessionis aliquid huiusmodi ei iniungeret; non enim (aiunt) ut confessarius sed ut herus ita procederet. Hoc tamen intellige nisi bonis modis, vel utcumque non transiliendo ultra iura et munera confessarii, ita se gereret. Et de hoc sermo redibit infra (*n. 584*).

577. Oportet tamen semper ut confessarius ex scientia confessionis vere moveatur; si enim v. g. superior audivisset quidem confessionem subditi, sed illum ab officio deponeret propter notitiam externam, et quin ex notitia confessionis ullas inquisitiones fecisset; tunc confessione nullo modo abuteretur.

578. Perplexitas contingere potest si confessarius partim ex scientia externa et partim ex confessione aliquid cognoscat. Tunc conscientiam suam sic interroget: *Statuine sic facere antequam confessionem audiverim?* Et in quovis casu dicat intra se: *Quid fecissem si confessionem non audivissem?* In dubio stabit in favorem confessionis.

579. Cautelae etiam (N. B.) adhiberi deberent (quantum fieri posset) ne poenitens de illius confessionis abusu (qui de facto nullatenus adesset) suspectum conciperet. Attamen confessarius, ne huiusmodi suspectus praebeat, neque seipsum nimium ligare, neque incommoda gravia subire, neque mala publica permittere tenebitur. S. Lig. (*n. 659*).

580. *Doctrina de vetito usu confessionis cum gravamine poenitentis admittitne aliquas* ***exceptiones?***

I. Claritatis gratia, praemittendum quod antiquitus theologi (etiam probatissimi) hac in re plus aequo habenas solvebant, et (salvo tamen sigillo) multa permittebant, quae (saltem magna ex parte) admitti non possunt.

Quoad Regulares scripsit D. Th. (*Quodl. V a. 13*): « Si per amo-« tionem ab administratione peccatum nullatenus manifestaretur, tunc, « alia occasione accepta, posset Superior subditum sibi confessum ab admi-« nistratione removere; et deberet hoc facere, cum debita tamen cautela,

« si talis administratio esset subdito periculosa in posterum, quamvis in « hoc casu melius esset, quod eum induceret ad cessionem petendam ». Rationem adducebat Sylvester (v. *Confessio*) inquiens: « Nec obstat quod « poenitens redderetur pronior ad celanda peccata, quia melius est cavere « ne peccata fiant, quam ne facile celentur: quia si non fiunt nec celantur ». Et S. Antoninus (*3 p. t. 16 C. 23 § 1*) scripsit: « Qui liberam electionem « habet, licet per solam confessionem sciat aliquem indignum ad praela- « turam ad quam eligitur, quem alias putabat dignum, non debet eligere ». Atque ita docebant S. Bonaventura, Sotus aliique communissime. Vide S. Lig. (*n. 657*), Viva (Appendix ad Prop. damn. § *VII*) et Ballerini (*Op. th. Vol. V n. 1000*).

II. Sed, ut dixi, decreta *anno 1594* Clementis VIII, et *anno 1682* S. C. S. O. supra relata prodierunt.

III. Decreta ista theologi posteriores rigidissime interpretati sunt.

Baller. (*l. c. n. 1096*) innuit oportere semper sub gravi ut ne *minimum* quidem gravamen interveniat; et Viva (*l. c.*) scripsit, hoc esse illicitum *pro quocumque casu*, non secus ac pro quocumque casu est illicita iure divino revelatio confessionis. De sacerdote (Graeco) Lehmkuhl scripsit: « Qui casu audierit propriam uxorem confitentem crimen, ex quo « pateat matrimonium fuisse et esse invalidum, eam tamen pro uxore « habere et matrimonialiter cum ea vivere debet. Nam, si de impedimento « ecclesiastico agitur, hoc tum prorsus cessare debet, ita ut matrimonium « validum tunc fieri possit, tacito, si opus est, utriusque coniugis con- « sensu. Si vero fingas casum quo agatur de impedimento indispensabili, « Deus utique censendus est concedere supremo suo dominio potestatem in « putativam illam coniugem, donec alia via per ipsam mulierem aut com- « plicem matrimonii nullitas patescat ».

IV. Ego suspicor quod res ad excessum oppositum deductae sint; et quod, ex nimio timore inducendi gravamen in poenitente, et reddendi odiosam confessionem, nunc a theologis prohibeatur usus scientiae confessionis etiam in quibusdam casibus in quibus licitus et necessarius esset; secus enim nequidem possemus petere a poenitente licentiam introducendi sermonem de praecedentibus confessionibus ad corrigendos errores (qui momentosissimi esse possent), quandoquidem (ut bene notant Sanchez et Viva *l. c. § IX*) haec ipsa licentiae petitio molesta esse et confessionem odiosam poenitenti reddere solet.

Meo sensu, veritas est quod ordinarie quidem interdicitur usus scientiae confessionis cum gravamine seu displicentia (etiam minima) poenitentis, quia secus odiosa redderetur confessio; sed, quum ex una parte gravamen et odium istud diversissimos possit habere gradus, nec semper ex quovis etiam exiguissimo gravamine confessio

reddatur (ut cum Viva *l. c.* hoc verbo utar) ita formidabilis, ut fideles ab illa retrahantur; et ex alia parte magnae etiam possint esse differentiae quoad necessitatem utendi scientia confessionis; bene contingere potest quod aliquando maius malum proventurum sit a non usu quam ab usu scientiae confessionis; unde reliquum erit ut (seclusis casibus ab Ecclesia iam definitis) consideretur quid praeponderet et malum minus eligatur. Tunc autem sequi poterunt etiam sententiae antiquorum, quae praedictis legibus et decretis proscriptae non remanserint.

581. His praemissis, mihi videntur excipiendi sequentes casus rarissimi, in quibus, etiamsi toti mundo notum esset quod usus scientiae confessionis licet, non ideo christifideles a confessione ipsa retraherentur.

Casus I. *Si confessarius, ad evitandum talem vel talem usum, peccare et rem intrinsece malam facere cogeretur.* Rectissime dixit Concina quod sigillum non potest esse vinculum iniquitatis. Exempla.

Caius confessarius saepe peccabat cum Titia, cui asseveranter dixerat, res huiusmodi nihil mali esse, eique quavis vice unum aureum dabat. Quadam die Titia accedit ad Caium pro confessione eique patefacit se esse in mala fide; sed paullo post, pecunia indigens et libidini suae satisfacere cupiens, adit Caium, illumque, sicut prius facere solebat, ad peccatum invitat; sed ille, propter notitiam malae fidei in confessione habitam acriori remorsu exagitatus, non obstante gravissima Titiae displicentia, consentire non vult.

Antonius sacerdos, vestibus sacerdotalibus depositis, matrimonium civile contraxit cum Rosa, quod postea, dispensatione pontificia sanatum fuit. Repentino casu Rosa in mortis periculo versatur, et Antonius, eius confessionem audiens, reperit, impedimentum occultum affinitatis validitati ipsius matrimonii obstare. Rosa convalescit et coniugale debitum exigit. Debebitne Antonius, ne utatur scientia confessionis cum molestia poenitentis, copulam habendo, fornicationem committere? Contra Lehmkuhl (ut supra) negat Croix *n. 1978* cum Illsung, qui (*Cas. consc. n. 773*) dicit: « Probabilius negandum videtur ».

Casus II. *Si Superior ex auditis in confessione occasionem sumat seipsum emendandi et satisfaciendi numeribus suis erga totam communitatem.*

Explicatio. Rector collegii valde negligens, quadam die audit confessionem plurium collegialium, et ex illis percipit quod ex sua magna incuria inordinationes multae et gravissimae locum habent. Tunc oculos aperit, velletque suam magnam negligentiam excutere et regularum observantiam (in punctis principalibus et pedetentim) exigere. Sed timet ne hoc modo scientia confessionis cum gravamine poenitentium illicite utatur. Debebitne proinde in sua magna negligentia perseverare? Suarez (*XXXIII.* VII *Reg. 3*) dicit : « Potest Superior, si prius remisse se gere- « bat, se emendare, satisfacereque suo muneri, non extraordinario modo, « sed usitato a praedecessoribus ». Et Gury (*Cas. cons. n. 754*) subiun- « git : « Posset confessarius, si ipse curam invigilandi habeat, uti notitia « confessionis ad se cautiorem seu vigilantiorem reddendum, quia semper « potest proprios defectus emendare, quando ad eos advertit ».

Vide etiam Viva (*l. c.* § *9*), et Tamburini (*VI.* II), qui scite distinguit inter ea quae solum poenitentem respicerent (v. g. parando ei insidias aut specialem vigilantiam contra illum solum adhibendo); haec enim certe non licent ; et ea quae totam communitatem respiciunt, quamvis inter alios poenitens quoque effectum sentiat.

Caeterum cautelae adhibendae essent, ne, mutationes statim post confessiones auditas faciendo, violatio sigilli aut scandalum interveniret.

582. Idem dic quamvis non de se emendando in rebus stricte obligatoriis, sed de melius se gerendo in officio suo ageretur, dummodo semper (repeto) relate non ad solum poenitentem, sed ad totum gregem et prudenter ita procederet.

Scripsit Gury (*n. 671*), posse confessarium uti scientia confessionis, si id faciat « ad corrigendos proprios defectus, *aut ad melius fungendo* « *officio suo...;* nec potest ullus poenitens rationabiliter offendi, quod con- « fessarius, ob audita in confessione, vitam in melius mutet ».

Hinc parochus non equidem poterit, audita confessione filiae, illico intimare matri ut in talibus vel talibus circumstantiis libertatem ei non permittat ; sed, cognita ex confessionibus filiorum negligentia genitorum, poterit generaliter tam in concione quam in confessionali erga genitores ipsos severitatem (discretam tamen) adhibere, quamvis futurum sit ut exinde filii et filiae pristinam libertatem amplius non haberent.

Sic nuperus parochus, si ex confessionibus percepisset multos in paroecia adesse concubinarios, posset advocare sacram missionem, quamvis forte aliquibus ex illis futura esset ingrata.

Hinc scripsit S. Thomas (*l. c.*): Potest (confessarius) dicere praelato « quod diligentius invigilet super gregem suum, ita tamen quod non dicat « aliquid, per quod verbo aut nutu confitentem prodat ».

583. Aliqui dicunt, Episcopum, ex notitiis in confessione habitis, non posse novas leges condere, vel antiquas in vigorem revocare, vel crebius quam secus faceret sacram visitationem peragere; sic enim (aiunt) scientia con-

fessionis ad exteriorem gubernationem uteretur, quod decreto Clementis VIII vetitum est. Sed decretum istud vetat quidem ne Superiores pro externa gubernatione procedant ad dispositiones particulares relate ad poenitentes, quorum peccata audierunt (iuxta dicta *Cas. II*); non vero ne procedant ad dispositiones generales quae totius communitatis vel dioecesis bonum respiciunt, et quae a quolibet Superiore vel Episcopo zelante laudabilissime (discretione servata) fieri possunt.

Casus valde practicus est quod confessarii monialium (speciatim extraordinarii) interrogentur a Superiorissa an invenerint aliquid quod expediat ut ipsa sciat, ut remedium apponat vel regulam sumat. Ut plurimum melius erit quod confessarius negative respondeat. Certe cavere debebit ne ex eius dictis violatio sigilli aut gravamen alicuius poenitentis sequatur. Hinc, si inveniat rem aliquam, quae Superiosissae remedium exposcat, petere debebit (a poenitente in confessione) licentiam loquendi cum illa de re eadem. Si licentiam istam non petivisset, in rigore adhuc loqui posset cum Superiorissa; sed solum de rebus quae certissimae sint atque ex una parte omnibus noceant, et ex alia remedium omnibus placeat, v. g. ut illa de nimia asperitate, vel severitate vel prodigalitate, vel parsimonia se emendet. Si vero remedium non omnibus placere posset, tunc res esset plena periculi, et maxime si aliquae moniales in flagranti deprehendi possent, ut puta, si confessarius diceret: *Vigila tali loco aut tali tempore;* aut etiam diceret solum *vigila,* si communitas valde parva esset.

Regulam istam applicabis ad casus similes, v. g. Rectorum seminarii vel collegii; aut Episcoporum, qui occasione exercitiorum spiritualium, concionatorem qui tunc confessiones audivisset, ut supra, interrogarent.

Casus III. *Potest confessarius diligentius custodire res suas, ita tamen ut, non circa solum poenitentem qui de furtis in eiusdem damnum se accusasset, sed circa alios omnes, cautelas iuxta regulas bonae administrationis adhibeat.* Id notant theologi passim, inter quos Sporer (*n. 1870*) scripsit: « Licitum est confessario uti notitia « ex confessione accepta ad iustam indemnitatem sui ipsius, « exercendo nimirum aliquos actus non directe circa poe- « nitentem (licet contra ipsum aliqualiter recurrant), sed « potius circa se ipsum... v. g. potest diligentius custodire « res suas »; ordinariam scilicet vigilantiam adhibendo circa famulos et colonos, vel in fine anni (prout de more) exigendo rationes etc.

584. Famulo autem aut ministro aut colono se accusante in confessione apud dominum ipsum de furtis (ut supra), contingere potest etiam quod, ex re adeo insolita

aut ex aliis circumstantiis, iam manifeste pateat quod huiusmodi personae ad illum venerint non iam ad sinceram confessionem faciendam, sed ex solo fine ligandi illum sigillo, et hoc modo se et sua furta tuendi, ne unquam a servitio eiiciantur aut aliter impediantur. Quatenus autem iam certe ita esset, confessarius nullatenus ligatus remaneret, et directe quoque contra vaferrimum latrunculum procedere valeret. Supposita vero bona et sincera poenitentis intentione, confessarius posset agere cum illo (actu ipso confessionis) de remedio. Equidem (ut supra innuebam) dicunt, confessarium non posse exigere ut claves (quibus utitur ad furandum) restituat, quia sic etiam confessio ei redderetur odiosa et difficilior. Sed Ballerini (*Op. th. n. 1015*) ait : « Nescio cur difficilior fiat hinc « confessio : nam supponendum est, poenitentem habere « bonam voluntatem consentiendi iis quae iusta sint, et « vix excogitari potest homo qui sua furta sincera poe- « nitentia fateatur, et exigat ne impediantur ».

Casus IV. *Si ex una parte non proprie de gravamine (scilicet de gravi incommodo) poenitentis, sed solum de eiusdem levi displicentia, agi posset, et ex alia magna necessitas vel saltem iusta et proportionata causa subsistat.* Exempla sunt sequentia.

I. Scripsit Lugo (*n. 117*): « Respondendum est ad casum : quando « confessarius semel et iterum poenitentem non absolvit, et iterum voca- « tus ire non vult, ne tempus frustra expendat cum eo... Si poenitens ve- « niat animo confitendi, licet indispositus, quia non vult restituere v. g. « vel relinquere proximam occasionem, *et sacerdos non possit se excusare « nisi intelligatur, saltem in genere, causa, non poterit non ire... Raro « tamen deerit praetextus alius fugiendi et excusandi se absque fractione « sigilli* ». Ergo, iuxta Lugo, sola displicentia, quam habebit poenitens, eo quod suspicionem concipiat quod a confessario declinetur ob notitiam in aliis confessionibus habitam eiusdem indispositionis, non sufficit ut res ista confessario (salvo sigillo cum aliis) interdici debeat. Ballerini autem (*Op. th. n. 1019*) dixit : « Erit haec non quidem peccatorum, sed indispo- « sitionis exprobratio, nec faciet id odiosam confessionem sinceram, sed « confessionem sine dispositione ». Vide etiam Génicot (*n. 393 XI*). Hinc a fortiori licebit huiusmodi indispositis in ipsa confessione intimare ne redeant, quia inutiliter redirent et non audirentur. Lugo (*l. c.*) et Roncaglia (*Regulae in praxi I*).

II. Idem Lugo (*n. 116*) dixit : « Posset alius casus esse, si ex eo « quod poenitens confitetur plura et extraordinaria peccata carnis, confes- « sarius sentiat vehementiores carnis stimulos... Fatemur, debere redire « confessarium, *si non possit se ex alio praetextu excusare*, quin intelli-

« gatur id fieri propter poenitentis peccata, quae audivit ». Vide etiam Ballerini (*l. c. n. 1023*), Roncaglia (*C. II q.* v) et Croix (*n. 1979*), qui tamen supponit exigi etiam ut alia media (v. g. sermo brevis et durus) ad illam mulierem arcendam, vel ad periculum consensus eliminandum, minime sufficiant. Certe declinari posset mulier, quae praetextu quidem confessionis, sed revera ex solo fine confessarium ipsum tentandi, ad illum accederet.

III. Scripsit Roncaglia (*Reg. in praxi 1*): « Si aliquis poenitens « communiter dignoscatur esse valde prolixus, inquietus etc., quia clare « appareret confessarium fugere, ne ab ipsius naturali prolixitate, inquie- « tudine etc. taedio afficiatur, in talibus circumstantiis fugere non esset « fractio sigilli ». Equidem communiter docent quod confessarius non posset (nequidem utendo praetextibus) declinare poenitentem, quem ex sola confessione cognovisset esse scrupulosum ; sed (ut ait Gury *Cas. consc. n. 776*) plures contra sentiunt ; et forsan quia non confessio, sed scrupuli odiosi redderentur. Certe posset confessarius in ipsa confessione quibusdam scrupulosis inobedientibus et obstinatis intimare ne amplius ad illum redeant (ut supra).

IV. Nihil dico de casu in praxi satis frequenti, in quo confessarius advertendo adesse suam poenitentem, quae propter multitudinem peccatorum vel conscientiam valde meticulosam indiget commorari diu in confessionali, audit prius unam vel alteram personam (quae secus sine confessione abire cogeretur), illamque proinde (non obstante aliqua eiusdem displicentia) expectare facit.

N. B. Aliqui dicunt declinari posse poenitentem ob perspectam eiusdem multitudinem peccatorum vel tenuem dispositionem ; sed hac de re bene scripsit Ballerini (*Op. th. Ir. X n. 1018*), non apparere cur fugiat confessarius, nisi quod impatiens sit et prorsus ignarus suae vocationis ac muneris. Isti confessarii anomali non cogitant illud Christi : *Non egent qui sani sunt, medico, sed qui male habent.*

V. Scripsit Lugo (*XXIII 105*): « Quid dicendum sit ad illum casum, « quando ille, cui confiteri soleo, confiteretur mihi, se non esse sacerdo- « tem, et tamen audire confessiones, an possum ego postea illum relin- « quere, an deberem illi ut antea confiteri. Sanchez indicat posse me « illi non confiteri ; quia ex illo notitiae usu nullo modo redditur confes- « sio odiosa. Sed quid si vere redundaret aliquod poenitentis dedecus, « quod ego praeter solitum illi non confiterer ? Casus certe metaphysicus « est, quod ille mihi fatcatur se non esse sacerdotem, et tamen velit meam « postea confessionem serio audire. Sed, dato illo casu non morali, conse- « quenter fatendum esset, non posse me uti tali notitia, si ex eo usu « resultaret aliqua saltem indirecta revelatio vel etiam aliquod dedecus « vel incommodum mei poenitentis. Deberem ergo alteri serio confiteri : « illi autem solum exterius etc. ». Lugo itaque supponit 1° quod practice interveniret licentia expressa vel praesumpta relinquendi (salvo sigillo) talem confessarium ; 2° quod, in casu metaphysico quo talis licentia non adesset, adhuc liceret illum derelinquere si non subsisteret eiusdem dedecus vel incommodum ; unde aliqua simplex et levis displicentia consideranda non esset. Vide etiam Ballerini (*Op. th. n. 1012*) et Salmant. (*C. XIV p. III n. 55*).

Gury (*Cas. cons. n. 785*) circa dictum casum, ait : « Potest (poeni- « tens) petere ab ipso licentiam eum relinquendi, etiam sub poena non « concedendae absolutionis ». Sic itaque ad minus liceret uti licentia

coacta, quae (in ratione displicendi poenitenti) licentiae non petitae moraliter aequivaleret et forte peior esset.

VI. Scripsit D' Annibale (*III 251 in not.*): « Ei qui tibi confessus « est, te occidere velle, ensem ideireo a te reposcenti negare te posse, sen« tentia olim communissima fuit. Alias si is tibi in confessione significa« verit, venenum se eo die tibi ad coenam daturum, et post ad coenam « invitet, debebis ire ! » Dicunt tamen, aliquem praetextum esse adhibendum. Vide Salmant. (*l. c.*), et Sanchez (*De Matr. III.* XVI *1-5*).

585. Sed quid si non a poenitente solo sed etiam ab aliis eiusdem complicibus insidiae confessario (v. g. apponendo venenum in vino dum missam celebrabit, aut illum aggrediendo dum ad talem locum se conferet etc.) paratae fuissent, idque ex eiusdem confessione ille intellexisset? Tunc casus speciem mutaret, propter periculum ne (sacerdote insidias declinante) complices suspicionem conciperent de confessione a socio facta et contra illum iram converterent. Lugo (*n. 110*) dixit imprimis, nullum respectum habendum esse confessioni, si forte ex circumstantiis colligi deberet quod poenitens animo non iam vere confitendi, sed solum ligandi confessarium ne auderet fugere ob metum sigillum violandi. Adhuc autem supponendo confessionem fuisse sinceram, idem auctor dicit : « Experientiam tot sae« culorum ostendere nunquam revelationem directam vel indirectam con« fessionis fuisse necessariam ad ea pericula fugienda, cum vel ex licentia « poenitentis, vel aliis modis obviari possit ». Quoad licentiam poenitentis, notandum 1° quod, si poenitens fuisset revera complex, teneretur illam dare ex iustitia et non obstante aequali (imo et longe maiori) incommodo proprio, unde confessarius, negando quoque ei absolutionem, illam petere et exigere posset. Notandum 2° quod interdum adesse et sufficere posset licentia praesumpta (iuxta dicta *n. 552 in fin.*), si nempe, praeter suspicionem de illius confessione (apud socios dumtaxat, quibus res tota iam cognita est), nihil mali timeri deberet. Alii autem modi, quibus (ut innuit Lugo) facile obviari posset dictis periculis, consisterent in praetextibus ad se eximendum (v. g. a missa celebranda, ab itinere suscipiendo etc.), qui veram rationem confessionis auditae sufficienter tegant. Contingere posset denique quod non de vero gravamine sed solum de aliqua levi displicentia ageretur, et tunc (maxime in tanto sacerdotis discrimine) supra dicta (*n. 584 Cas.* IV) applicari deberent. Casus itaque in quo confessarius in paratas insidias se coniicere teneretur, ne poenitenti gravamen obveniret, vix unquam contingeret, multo magis quia practice solum in periculo mortis accidere posset, quod complex huiusmodi insidiarum hoc ipsum peccatum confiteatur apud illum ipsum contra quem paratae fuerunt. Si tamen revera ex una parte poenitentis gravamen subsisteret et ex alia nec expressa nec praesumpta haberetur licentia, tunc quodlibet (etiam vitae) sacrificium a confessario sustinendum esse, docent Lugo, Salmant. aliique communiter ; idque quamvis poenitens inique prorsus eandem licentiam denegasset, quia (aiunt) admissa contraria sententia, odium contra confessionem sequeretur et fideles ab illa valde retraherentur. Adhuc tamen aliqui (ut dicit Bonacina *D. V q.* VI *n. 29*) de hoc non sunt persuasi, et hanc obligationem pro casu huiusmodi non recognoscunt.

VII. Scripsit Lehmkuhl (*II 468*) : « Propter notitiam confessionis, « Superior non potest mutare dispositionem etiam **sola mente factam** (*pro« movendi subditum ad aliquod officium vel dignitatem etc.*): potest vero « accidere ut in confessione id poenitenti declarare debeat, sibi in mente « fuisse ita et ita disponere, nunc vero ipsum poenitentem obligari ut « sibi det licentiam ab hoc proposito resiliendi. Idem dic de parocho qui

« secum constituerat, Titiam assumere pro ancilla, sed postea ex eius con-
« fessione audit, eam esse ex delicto gravidam. Haec ratio esse nequit,
« cur eam invitam nunc respuat; sed illi in confessione declarare debet,
« ut sponte desistat a munere ancillae apud se, alioquin illam absolutione
« incapacem esse. At si nolit acquiescere, tunc tantum propositum mutare
« potest, si aliam causam, seu causam extra confessionem notam, detegit ».
Ego dicerem, hos duos casus non esse aequiparandos. In primo difficile adesset consensus poenitentis, confessio redderetur odiosa, et urgerent decreta supra exposita quae vetant usum notitiae confessionis ad externam gubernationem cum gravamine poenitentis. In secundo e contra 1° Consensus Titiae facile adest, imo prorsus praesumendus est, nunquid enim, postquam ei dixisset se esse ex delicto gravidam, ut eam in ancillam accipere teneatur, exigeret? Vix enim (si non esset mentecapta) id exigere posset si de famulatu iam contractus intercessisset, vel in eiusdem domo et servitio iam esset. 2° Ex eo quod usus scientiae confessionis in his circumstantiis licitus decerneretur, nec Titia ipsa nec alii odium contra confessionem conciperent, neque ab illa retraherentur. 5° Decreta supradicta primum quidem casum sed non secundum respiciunt.

586. *Usus scientiae confessionis cum gravamine poenitentis, quamvis gravamen istud esset minimi momenti*, ***estne semper peccatum mortale?*** Viva (*App. cit. § IX*) dicit, id sibi non esse liquidum, et videri posse quod, quamvis in fractione sigilli non detur parvitas materiae, haec tamen detur in usu scientiae confessionis; si enim peccatum veniale in gravamine levissimo admittatur (secluso periculo hallucinationis), non per hoc ab huius Sacramenti usu Christifideles valde alienarentur. Idem sentit Gobat apud Croix (*n. 1939*); et Lugo (*n. 79*) scripsit, peccatum esse veniale « si praelatus fervore cor-
« rectionis aliquod verbum acrius adiungit, cum inadver-
« tentia veniali, ex notitia aliqua, quam habuerat ex con-
« fessione mediate vel immediate ». Idem dic si confessarius de peccato, quod poenitens ei cognitus accusaverit, cum admiratione et sine necessitate recogitaret. Quid si confessarius, propter casum curiosum in confessione auditum, poenitentem, qui illum exposuit, a confessionali abeuntem inspiceret, ad sciendum quisnam ille sit? Peccatum mortale hac quoque in re ego non ponerem. Quoad casum confessarii ex curiositate interrogationem aliquam facientem (sine ulla prorsus poenitentis et peccati revelatione), ad sciendum quisnam sit complex quocum poenitens peccavit, rigidius loqui videtur Roncaglia (*q. VI c.* VI *Reg. III*).

Appendix I.

De quibusdam aliis loquendi modis, qui scandalum inducunt et confessionem odiosam reddunt.

487. Casus magis practici sunt sequentes.

I. Confessarius loquitur aut agit cum licentia poenitentis vel ex scientia externa; sed ex una parte de hac licentia vel scientia nihil innuit, et ex alia circumstantiae sunt tales ut eum fregisse sigillum non temere existimaretur.

II. Confessarius loquitur de casu sibi obvento alio loco et alio tempore, sed ex una parte id non exprimit, et ex alia audientes merito suspicarentur quod de casu praesenti et praecise de tali vel tali persona agatur. Quid enim si confessarius, qui unicum Religiosum audire solet, exponeret casum Religiosi? Quid referret si de praesenti suo poenitente loqui non intenderet? Audientes crederent quod de illo loqueretur.

III. Confessarius coram saecularibus exponit casum, et dicit contigisse sibi in confessione. Saeculares distinguere nesciunt, et proinde scandalizarentur, et crederent sacerdotes frangere sigillum, de eorumque secreto non esse fidendum.

Scandalum, quod in huiusmodi casibus suscitatur, certe redundat in damnum sacramenti, et sacerdos qui illud causaret, contra religionem quoque plus vel minus peccaret.

IV. Confessarius, sicut non potest manifestare aliis peccata poenitentis, ita ne potest quidem cogere poenitentem ipsum ut peccata sua iam rite confessa cuiquam manifestet. Peccaret itaque confessarius 1° Si, denegando indebite absolutionem, cogeret poenitentem ad accusanda iterum peccata apud alium confessarium; vel ad omittendam communionem cum nota et infamia. 2° Si, necessitate seclusa, cogeret poenitentem ad confessionem generalem. 3° Si in praesenti confessione (seclusa necessitate, quae non facile aderit) exigeret accusationem peccati probrosi

vitae praeteritae apud illum nunquam accusati. 4° Si poenitentem obligaret ad adimplendam publice poenitentiam gravem, vel ad faciendum aliquid indicativum peccati, ad quod alias non teneretur. Excipe nisi poenitens libenter consentiret. 5° Si, audita confessione, publicam concionem vel correctionem praesente poenitente facere deberet; et in ipsa, propter ea quae in confessione audivit, descenderet ad talia particularia ut poenitens rubore suffunderetur, idque ab aliis notari posset; prout in collegio, aut monialium monasterio facile contingeret.

V. Si diceres: *Pro tali peccato talem, et pro tali alio peccato talem aliam poenitentiam dare soleo;* haec propositio periculosa esset, si facile foret quod tui poenitentes pergerent ad alios confessarios, quibus sic dixeris, prout accideret, si in sacra missione sociis tuis ita dixisses. Praescindendo ab hoc speciali periculo, dicta propositio culpari nequiret; secus enim culpandum foret quoque decretum Clementis VIII (*26 Maii 1593*), ubi dicitur: Li- « cebit Superioribus determinare poenitentias graves qui- « busdam peccatis, etiam non reservatis, a confessariis « imponendas, quibus subditos ab eiusmodi perpetrandis « cohibere possint ».

Appendix II.

De aliis personis, quae, praeter confessarium, ad sigillum vel ad non utendum scientia confessionis, teneri possunt.

588. ***Quaenam*** *sunt personae istae?*

I. Praelatus, ad quem poenitens, vel (pro illo) confessarius, se dirigat pro reservatis.

II. Confessarius non verus, sed existimatus, scilicet iurisdictione carens, vel (sive sacerdos sive laicus) fictus omnino; apud quem poenitens (de hoc inscius) confidenter confessionem fecisset.

III. Qui, dum poenitens confessionem faciebat (v. g. ex voce paullo elatiori poenitentis ipsius aut confessarii), sive casu, sive ex industria, peccata intellexisset.

IV. Qui ex imprudentia confessarii loquentis de peccatis in confessione auditis, vel dum ille pro poenitente restitutionem executus fuit, in cognitionem personae devenire potuisset.

V. Interpres, vel qui pro ignaro idiomatis confessarii confessionem scripsisset.

VI. Doctor seu consiliarius, qui sive a confessario sive a poenitente pro re ad confessionem pertinente consultus fuisset.

VII. Qui legisset chartam, in qua poenitens (v. g. pro confessione generali, vel utcumque in auxilium memoriae, vel etiam praecise ut oculis confessarii subiiceretur atque oralis confessionis locum teneret) peccata sua scripsisset.

VIII. Qui legisset epistolam directam ad Superiorem pro facultate obtinendi absolutionem a reservatis.

589. *Personae istae tenenturne ad sigillum* ***praecise sicut confessarius?***

Affirmative certe quoad Praelatum ratione reservatorum (ut supra); poenitens enim cogitur prorsus ad illum etiam recurrere, qui proinde eiusdem iudicii particeps et quasi alter minister esset. Idem dic de confessario non vero sed existimato.

Praecise autem et cum eodem rigore ad sigillum non tenentur alii; longe magis enim retraherentur a confessione fideles si confessariis liceret peccata revelare, quam si id liceret aliis. Et ratio est quia 1° Poenitentes (non subsistente obligatione sive utendi interprete, sive scribendi peccata) huiusmodi casus evitare possent. 2° Ageretur de casibus rarissimis. 3° Dictae personae ex officio obligatae minime essent. Quia tamen reapse (saltem in intentione fidelium) interveniret sacramentum, et confessio odiosa redderetur; reatus non solum contra secretum naturale, sed etiam contra Religionem, adhuc (et quidem ordinarie gravis) subsisteret; attamen aliter et aliter. Huiusmodi enim reatus esset minor si ageretur de sola praeparatione, et quidem non necessaria, prout contingere posset in dicta scriptura, vel in consultatione doctoris quae a poenitente fieret.

590. *Personae istae, tenenturne etiam ad* ***non utendum scientia*** *ut supra acquisita cum gravamine poenitentium?*

Affirmative certe cum eodem rigore quoad praelatum et confessarium existimatum.

Affirmative etiam quoad alios. Sed isti tenerenturne ad hoc etiam cum magno damno proprio? Deberetne v. g. herus retinere famulum eique claves pecuniae relinquere, si casu legisset chartam in qua scripsisset sua furta, vel audisset illum de iisdem furtis se accusantem? Hac in re non immoror. Iudicent alii.

ARTICULUS IV.

De corrigendis erroribus, qui forte in administrando sacramento poenitentiae commissi faerint.

591. *Errores huiusmodi* ***quotupliciter*** *accidere possunt?* 1° Circa integritatem confessionis (v. g. non interrogando de specie et numero peccatorum, vel non obligando, si id fieri debuisset, ad confessionem generalem). 2° Circa poenitentiam sacramentalem. 3° Circa monita et remedia quae ex officio medici dari debuissent. 4° Circa valorem sacramenti (absolvendo sine iurisdictione aut quin poenitens esset dispositus). 5° Circa poenitentis obligationes (illum de iisdem non admonendo, aut indebite obligando, vel positive deobligando, v. g. quoad occasionem proximam, restitutionem, reconciliationem, ieiunium etc).

592. *Errores huiusmodi* ***suntne reparandi?***

Distinguendum est. Imprimis sunt certe reparandi in duobus casibus, nempe 1° si poenitens, quamvis confessionem complevisset, tamen *esset adhuc ad pedes confessarii;* vel si absolutio ex inadvertentia ei data non fuisset, et eidem parum distanti adhuc dari posset. 2° Si poenitens *ad confessionem rediret;* quo casu ut plurimum error reparari posset etiam modis indirectis, et quin confessarius cum suo rubore apertis verbis dicere cogeretur se errasse.

Si autem, ad reparandum errorem, *advocandus vel inquirendus esset* poenitens, et cum illo de confessione facta sermo esset instituendus, tunc (quidquid dicant theologi recentiores) casus, in quo haec obligatio, vere subsistat, non nisi rarissimus esse potest. Ita (et, meo sensu, bene) docebant theologi antiquiores (ut videre est apud Suarez *XXXII.* v). Rationes sunt sequentes. Difficillimum est quod vere expediat ut admonitio hoc modo fiat; quippe si poenitens sit persona pia, error facile emendabitur in sequentibus confessionibus; et si e contra sacramentis parum utatur, parum etiam erit sperandum. Praeterea poenitentes difficile reparationes huiusmodi exigunt, quinimo facillime molestia afficerentur; idque maxime si correctio erroris ad illos magis gravandos tenderet. Adde incommodum confessariorum, atque conscientiae angustias, quibus passim subiicerentur; multo magis quia, dato etiam quod poenitentes cognoscant, practice difficile esse solet ut confessarius ad illos se conferat aut illos per internuncium ad se advocet. Denique si reparationes huiusmodi in casibus frequentibus locum haberent, non exigua a sacramentis alienatio certo certius sequeretur.

593. *Veniendo ad particularia, deberetne confessarius* ***poenitentem inquirere, si error circa integritatem confessionis,*** *vel poenitentiam sacramentalem, commissus fuisset?*

Negative; et in hoc conveniunt etiam theologi recentiores, qui cum Lugo (*XXII 54-71*) dicunt, quod si totus defectus consisteret in omissione interrogationum cum praeiudicio solius integritatis materialis confessionis, non adesset obligatio illum reparandi, nisi in nova confessione, si poenitens redeat. Idem dic si simplex confessarius poenitentem peccata reservata et non reservata habentem absolvisset. Rigidius loquuntur si confessarius a confessionis integritate poenitentem positive et culpabiliter exemisset, quo casu ad defectum reparandam illum obligant absolute.

Sed Ballerini (*n. 643 III 6*) recte observat quod cum mica salis hoc intelligi debet; quid enim si poenitenti plurima peccata habent, dum eorundem numerum et circumstantias explicare volebat, confessarius, taedio affectus aut indigens se cito expedire, dixisset: *Non oportet, intellexi,*

satis est? Male quidem fecisset, sed non facile ad reparandum hunc defectum extra confessionem adigi deberet; ex una parte enim poenitens materialiter dumtaxat defecisset, et in sequentibus confessionibus suum morem antiquum (prout practice contingere solet) non explicandi numerum et circumstantias servabit, aut saltem de his ab aliis confessariis interrogabitur; et ex alia parte molestia praedicta plus vel minus adesset; idque speciatim si ad novam confessionem illum invitare non expediret; tunc enim nimio rubore afficeretur, si de eiusdem peccatis mortalibus cum eo molestissimus sermo extra confessionem institueretur; unde, ad remedium apponendum malo minori, malum maius provocaretur. Casus similis esset si confessarius a confessione generali facienda poenitentem indebite exemisset.

594. *Quid si error accidisset* ***circa monita et remedia?*** Ut plurimum aderit obligatio reparandi errorem, solum in sequentibus confessionibus. Excipe nisi forte ageretur de casu omnino urgenti et valde extraordinario, prout speciatim in moribundo contingere posset, v. g. si ex omissione monitionis versaretur in periculo damnationis aeternae, vel cum magno scandalo publico obligationibus suis satisfacturus non esset.

595. *Quid si error* ***circa valorem sacramenti*** *commissus fuisset?*

Si poenitens esset *moribundus,* vel utcumque foret in periculo moriendi sine nova confessione, tunc confessarius, qui formulam absolutionis non protulisset, aut poenitentem nimis dubie dispositum, salutari exhortatione non facta, absolvisset, ad errorem reparandum teneretur. Necessitas poenitentis; praesumptio quod ille ipse interpretative reparationem exigat; et facilitas inducendi illud ad novam confessionem, efficiunt ut obligatio huiusmodi vere subsistat.

Sed *in aliis casibus* difficile adesset; idque maxime si confessarius bona fide errasset. Notandum est enim quod poenitentia non est sicut baptismum vel ordo sacer, quorum sacramentorum invaliditas malum gravissimum esset. Invaliditas absolutionis non solum in sequentibus confessionibus, sed forte etiam hic et nunc per receptionem eucharistiae (cum attritione) repararetur. Praeterea si poenitens non habuisset mortalia, damnum non fuisset multum; si vero fuisset habituatus in mortalibus, iam credi deberet quod aliquibus diebus transactis (propter relapsum) quasi perinde fuisset sive valide sive invalide absolutionem recepisset. Speciatim si ex defectu dispositionis invaliditas

absolutionis contigisset, ordinarie maior esset timor damni quam spes fructus; si enim poenitens non erat dispositus dum sponte ad confessionem venit, quomodo sperari poterit quod occasione illius molestissimae invitationis, instaurando cum ipso sermonem de eiusdem peccatis gravioribus et indispositione, dispositus evadat? Cf. Suarez (*l. c.*).

Notari potest etiam quod, si poenitens sponte rediret, non esset necessarium patefacere illi invaliditatem praecedentis absolutionis, sed procul dubio sufficeret eum inducere ad accusanda in globo peccata iam alias accusata cum dolore de iisdem, ut suggerit Lugo (*l. c. 54*).

Si tamen absolutio ex solo defectu iurisdictionis invalida fuisset, aut confessarius ex inadvertentia formulam non protulisset, contingere posset quod poenitens commode et sine eiusdem taedio admoneri valeret; et tunc (nisi longum tempus iam effluxisset, aut de solis venialibus confessio facta fuisset) admonitio fieri deberet; neque in casu isto licentiam introducendi sermonem de rebus confessionis petere oporteret, ut alibi dixi.

596. *Inquirendusne esset poenitens si* ***circa illius obligationes*** *error (positive illum erronee deobligando) commissus fuisset?*

Regula generalis dari nequit; sed considerandae essent circumstantiae.

Si ageretur de re exigui momenti (v. g. de unius dici ieiunio), ita ut praesumi deberet quod poenitens de retractatione hoc modo facienda non curaret; vel si error aliis mediis tempestive emendabitur; vel si, advocando etiam poenitentem, fructus non speraretur; vel si mala maiora provocandi (v. g. frangendi sigillum aut quomodolibet reddendi odiosum sacramentum) periculum adesset; tunc confessarius ad retractationem non teneretur.

Si vero retractatio absque provocatione mali maioris fieri posset; et, inspecta tum re in se, tum spe fructus, tum urgentia casus, valde momentosa esset (prout contingere posset si de contrahendo matrimonio invalido, vel de magno scandalo ageretur); tunc fieri deberet: idque maxime si a parte confessarii quoque incommodum grave

non adesset, vel si ipse in errore committendo mala fide processisset.

597. *Quid si error* ***in materia iustitiae*** *(v. g. poenitentem quoad restitutionem perperam obligando vel deobligando) locum habuisset? Tenereturne tunc confessarius ipse ad damni reparationem?*

Doctrina communis sic dicit. Si confessarius negative dumtaxat (quamvis forte studiose et culpabiliter) se habuisset, non monendo scilicet de restitutione facienda; male quidem fecisset, sed ad damnorum reparationem nunquam teneretur. Si vero positive obligasset vel deobligasset; videndum utrum mala an vero bona fide processisset. Si mala fide (nempe cum culpa theologica gravi), tunc, supposito influxu vero et tempestive atque efficaciter non retractato, ad damnorum reparationem ipse teneretur. Si autem bona fide, vel solum cum culpa levi, erroneam sententiam dedisset; tunc ad restitutionem quidem, praecise propter sententiam datam, non teneretur; sed deberet modo cum levi, modo etiam, iuxta rei gravitatem (aliud enim est si de restituendo regno et aliud si de restituendo agno ageretur), cum notabili incommodo, se retractare ex iustitia. Si vero retractationem istam (cum culpa theologica gravi) omitteret, et ex hac omissione damnum sive poenitenti sive eius creditori obveniret, tunc ipse damnum secutum reparare deberet.

Haec, inquam, est doctrina communis; sed (supposita bona fide in danda sententia erronea) non desunt auctores gravissimi, qui a reparatione ista confessarium (qui se non retractavit) excusant. Sanchez (*Consil. I.* IV *Dub.* 5) dicit non esse verum quod, propter actionem materialiter iniustam a se factam, quispiam habeat obligationem *iustitiae* illam reparandi, ut patet ex casu illius qui bona fide vas furtivum, credens esse suum, alteri donasset; quamvis enim haec donatio fuisset materialiter iniusta, tamen non teneretur, cognita veritate, ex lege iustitiae factum suum iniustum reparare, manifestando domino personam apud quam vas existit Nec valet quod confessarius ex officio et proinde ex iustitia debeat se corrigere si forte erraverit; haec enim obligatio, quatenus est ex iustitia, durat

solum durante officio (nempe dum adhuc est in actu confessionis), non vero postea.

Caeterum, etiam in opinione adversariorum, semper oporteret ut in omissione admonitionis gravis culpa theologica intervenisset.

Appendix.

De sollicitatione.

N. B. Argumentum istud evolvi ex professo in alio opere (quod inscribitur *De sollicitatione et de absolutione complicis. Ed. II*). Quae tamen pro praxi sunt necessaria hic per summa capita expono; et pro explicationibus dictum opus cito.

I.

De natura sollicitationis, de persona sollicitata et de persona sollicitante.

598. ***Quid est*** *sollicitatio?* Crimen quo sacerdos iuxta terminos et clausulas bullae Benedicti XIV (quae incipit *Sacramentum poenitentiae*) poenitentem ad turpia provocat, vel utcumque cum illo sermones vel tractatus inhonestos habet.

599. *Leges ecclesiasticae hoc in puncto* ***quid praecipiunt?*** Praecipiunt 1° ut personae sollicitatae, vel sollicitationis perpetratae notitiam habentes, denuntient Episcopo vel Inquisitori sacerdotem sollicitantem. 2° Ut confessarii personas sollicitatas de hoc onere admoneant (*Op. cit. n. 17*).

600. *An oporteat ut sollicitans sit* ***sacerdos pro confessionibus iurisdictionem habens?*** Oportet ut sit sacerdos; non vero ut sit iuridictione munitus: unde denuntiari deberet sollicitans, quamvis propter complicitatem, vel reservationem, vel facultatis cessationem, iurisdictione careret (*n. 21*).

601. *Oporteretne ut persona* ***sollicitata sit foemina?*** Negative (*n. 25*).

II.

De sollicitatione considerata in se.

602. *Qualis debet esse* ***sollicitatio considerata in se?*** Debet esse 1° in materia sexti; 2° graviter malitiosa; 3° certa (*n. 27 et seqq. 407*).

603. *Quot modis potest esse* ***in materia sexti?*** Tribus modis.

Primus est si confessarius aperte provocet personam ad turpia. Nihil autem refert sive illam tentet ad peccandum secum aut cum aliis; sive inducat illam ad lenocinium exercendum; sive illa consentiat aut non consentiat; imo sive intelligat, aut (v. g. propter surditatem vel simplicitatem) non intelligat. Bulla enimvero dicit: provocare tentaverint.

Secundus est si confessarius utcumque sermones inhonestos cum illa habeat.

Tertius est si cum ipsa inhonestos tractatus (qui potius in factis quam in verbis consistunt) exerceat.

Circa provocationes et sermones notandum, quod non solum in verbis, sed etiam in nutibus vel scriptis consistere possunt.

604. *Oportetne ut sollicitatio verae provocationis et tentationis naturam semper habeat?* Negative; sed sufficit si sermo vel tractatus inhonestus verificetur. Hinc denuntiari deberet confessarius 1° quamvis, potiusquam provocaret, *provocaretur ipse et consentiret;* 2° si eius sermones essent tales, ut admirationem quidem et horrorem, non vero tentationem in poenitente producerent; unde coniiciendum esset quod non ad illam provocandum, sed solum ad satisfaciendum propriae libidini eos protulisset; 3° si tactus turpes habuisset cum poenitente, quae sensibus destitutu ab ipso existimata aut reapse fuisset (*n. 34*).

605. *Quid de sollicitationibus* ***palliatis?*** Hae quoque inter sermones inhonestos denuntiationi subiectos recenseri debent. Casus esset, v. g. si confessarius diceret: Si non essem sacerdos, si non essem in hoc loco, si timor Dei me non cohiberet etc., dicerem, facerem etc., vel si praetextu puri amoris ad oscula aliasve blanditias procederet etc. (*n. 55*).

606. *Sermones vel tractatus* ***quo sensu debent esse inhonesti?*** Non oportet ut stricto sensu fuerint, aut statim apparuerint in se inhonesti; sed sufficit si tales fuerint in intentione: sufficit scilicet quod sive ex iis quae postea acciderint, sive ex aliis circumstantiis certisque coniecturis, de inhonesta aut etiam solum amatoria confessarii intentione constet. Casum habes in osculis, in verbis amatoriis, in laudanda poeni-

tente de pulchritudine, vel in munusculis ei praebendis (intellige semper nisi de recto fine constet), et multo magis in tradenda ei epistola provocante ad turpia, vel in petendo ex fine pravo ubi habitet etc. (*34 et sqq.*).

607. *Dixi, sollicitationem debere esse* ***graviter malitiosam.*** *Hoc in puncto estne aliquid observandum?*

Observanda sunt sequentia.

I. Exigitur certe ut praesumi debeat, quod confessarius vere, formaliter et mortaliter deliquerit; et quidem non actu interno dumtaxat; sed verbo vel opere externo tali, quod gravem sacramenti abusum involvat: ita ut, si res ab aliquo resciretur, grave dedecus sacramento obveniret.

II. Circumstantia sacramenti efficit, ut vix unquam non evadant mortalia et praedictum grave dedecus non involvant, ea quae extra talem circumstantiam forsan tamquam levitates haberi possent. Hinc quaevis *iocosa* et temeraria manuum admotio, etsi momentanea et in partibus non inhonestis, et a fortiori genarum vellicationes etc., sollicitationem certo certius constituerent.

III. Si tamen daretur casus, in quo, attenta etiam circumstantia sacramenti, aliquod confessarii verbum gravem sacramenti ipsius abusum non praeseferret; aut si ex fundatis coniecturis praesumi deberet quod in genere luxuriae malitia prorsus nulla adfuisset, ita ut defectus a confessario commissus non fini pravo, sed solum imprudentiae, irreflexioni, simplicitati, ignorantiae etc. tribui deberet; tunc denunciationis obligatio *vi bullae* non adesset.

IV. Non existentibus huiusmodi coniecturis, malitia iuxta dicti vel facti naturam praesumi deberet; homo enim videt ea quae parent, et solus Deus intuetur cor (*n. 45 et seqq.*).

608. *Dixisti, sollicitationem debere esse* ***certam.*** *Circa certitudinem istam quid observandum?*

I. Poenitens de dicto vel facto confessarii debet habere certitudinem; pro certo scilicet testari debet se bene audivisse, se bene reminisci etc.

II. Dictum vel factum ipsum non debet esse ambiguum; non debet scilicet esse tale ut satis commode etiam in bonam partem accipi valeat.

III. Circumstantiae, et speciatim antecedentia et consequentia, maxime vero causa et contextus sermonis, examinari debent.

IV. Sufficit tamen certitudo moralis (quae etiam ex vehementibus indiciis constitui potest); et tunc dubium leve in contrarium non obstaret.

V. Si confessarius sciret, personam non esse fide dignam, vel de hoc ex indiciis positivis valde dubitaret; tunc denunciationis obligationem ei indicere non deberet. Si e converso indicia huiusmodi contra illam minime haberet, tunc eius firmae assertioni stare deberet; neque prius an sit fide digna inquirere teneretur (*n. 51 et sqq.*).

609. *Utrum* ***in interrogationibus,*** *instructionibus, vel in remediorum assignatione, aut paterni affectus ostensione, casus sollicitationis intervenire possit?* Cautissime procedendum antequam in casibus huiusmodi sollicitatio recognoscatur; quamvis enim confessarius limites praetergressus fuisset (de quo excessu prima fronte non est iudicandum), difficile pro certo constabit quod ex malitia id fecerit; valde facile enim ex sola imprudentia, irreflexione, et ignorantia res huiusmodi contingere solent. Quod tamen possint dari, et interdum practice dentur, excessus ita manifesti, ut a gravi et valde scandalosa malitia, atque adeo a crimine denuntiando, excusari nequeant, omnino admittendum est (*n. 55 et sqq.*).

III.

De clausulis, sub quibus accidere debet sollicitatio, ut denuntianda sit.

610. Clausulae fundamentales, quae ab Ecclesia primitus appositae fuerunt, sunt *actu* vel *loco* confessionis.

Ad significandum autem quod comprehendi debet sollicitatio quamvis acciderit etiam actu confessionis non stricte sed moraliter accepto, atque etiam solum inchoative, vel solum apparenter secuto, ideo aliae clausulae (quae sunt potius duarum priorum declarationes) appositae fuerunt, et prostant in bulla Benedicti XIV, suntque sequentes: « vel in actu « sacramentalis confessionis, vel ante, vel immediate post « confessionem, vel occasione aut praetextu confessionis, « vel etiam extra occasionem confessionis in confessionali, « sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato, aut « electo, cum simulatione audiendi ibidem confessionem ».

611. *Quandanam sollicitatio dicitur accidere* ***actu confessionis?*** Quando accidit in intervallo quod decurrit (ut aiunt) inter duas cruces, seu a momento quo poenitens se signat, usque ad absolutionem inclusive (*n. 102*).

Confessio debet esse *sacramentalis;* sed advertendum esse talem toties quoties cadit sub sigillo, et proinde quamvis persona non fuisset absoluta, aut sive ex defectu dispositionis, sive ex defectu iurisdictionis in confessario nullo modo potuisset valide absolvi, aut etiam si illa advertenter accessisset indisposita. Sacramentalis itaque non esset solum quando de mera poenitentis fictione agi evidenter constaret (*n. 101*). Attamen tunc quoque incidi posset in clausulas *loci* vel *praetextus confessionis* (ut infra).

612. *Quomodo intelligi debet clausula;* ***ante confessionem?*** Imprimis oportet certe ut poenitens sive expresse sive tacite petiverit confessionem, et quidem proxime faciendam. Quoad minutiorem explicationem theologi non conveniunt; sed videtur oportere ut poenitens fuerit vel iam ad confessarii pedes genuflexus, vel saltem hic et nunc genuflexurus; nec obstare si forte, genuflexione et sollicitatione secuta, casu aliquo confessarius rediturus abierit, seu interruptio inter sollicitationem et confessionem intercesserit. (*n. 113. 110*).

613. *Quid si confessarius pro confessione mulieris infirmae vocatus, illam adiisset, nulloque confessionis verbo facto, ad sollicitationem processisset?* Si solus cum sola remansisset, et illa (prout ordinarie praesumendum est) ad confessionem hic et nunc faciendam parata fuisset, iniquissimus confessarius in clausulam istam certo certius incidisset (*n. 118*).

614. *Quid si confessarius eandem mulierem ad alia negotia tractanda invitasset, et in progressu talis profanae collocutionis illam sollicitasset?* Si praesumendum esset, quod malitiose a confessione illam distraxisset et dictos de aliis negotiis sermones instituisset; tunc pariter in clausulam istam incidisset; huiusmodi enim sermones, quamvis exterius liciti apparuissent, tamen ex latenti intentione malitiosa prodiissent; et sollicitationis initium fuissent. (*l. c.*).

615. *Quomodo intelligi debet clausula* ***immediate post?*** Communissime censent clausulam istam stricto sensu intelligi debere, ita ut revera inter confessionem et sollicitationem nihil mediet: unde oportet ut poenitens vel adhuc sit genuflexus ad pedes confessarii, vel saltem ab eius conspectu non adhuc recesserit; ita ut inter confessionem et sollicitationem unio moralis intercedat, et veluti quid unum constituatur. (*n. 103 et seqq.*).

616. *Quid si inter confessionem et subsequentem sollicitationem negotia confessioni extranea intercesserint?* Videndum an malitiose talis tractatio a confessario proposita fuerit, ut supra dicebam. Si autem nulla malitia praesumi deberet, adhuc distinguendum esset inter sermones ad conscientiam pertinentes, et sermones omnino profanos; isti enim et non illi unionem moralem facile destruerent. (*n. 119*).

617. *Quid significat clausula* ***occasione confessionis?*** Iuxta plures cum S. Lig., haec clausula verificaretur si confessarius sollicitaret occasione sive alicuius *notitiae* (v. g. fragilitatis vel paupertatis poenitentis) in confessione habitae; sive *petitionis* confessionis (dum scilicet poenitens petebat confiteri, quamvis non hic et nunc); sive *invitationis* ad confessionem (confessario scilicet extra locum et statum confessionis interrogante aliquem an velit confiteri); sive denique *promissionis* confessionis (confessario nempe mulierem. sub promissione audiendi postea eius confessionem, ad peccandum inducente).

Sed iuxta alios (meo sensu verius) clausula ista supponit poenitentem iam venisse pro confessione, et significat dumtaxat nihil obstare si forte confessio secuta non fuerit. Casus itaque istius clausulae verificaretur, quando tam poenitens quam confessarius sincere parati erant ad confessionem incipiendam, sed confessarius tentatione victus sollicitavit. Postea autem (sive quia poenitens tali iniquissimo confessario peccata sua non amplius confiteri voluerit, sive quia ab eo ipso a confessione dissuasa fuerit, sive quia propter consensum sollicitationi praestitum indisposita evaserit) confessio locum non habuit. (*n. 122. 139*).

618. *Quid si sacerdos rogatus a persona de eius confessione hic et nunc audienda, illam audire recusaret, atque sollicitaret?* Seclusa quavis sive expressa sive tacita acceptatione audiendi confessionem, imo confessario statim recusante illam audire, clausula ista (iuxta auctores secundae sententiae modo allatae) locum habere non potest. Videndum tamen ne forte aliae clausulae infra explicandae locum habeant.

619. *Quandonam accidit sollicitatio* ***praetextu confessionis?***

I. Quando confessarius ficte, et cum intentione sollicitandi, personam ad confessionem invitat, eamque advenientem, vel utcumque ad confessionem hic et nunc faciendam paratam, sollicitat.

II. Quando confessarius, sive a poenitente ipsa sive ab eius familiaribus pro confessione vocatus, cum unica aut saltem principali intentione sollicitandi ad eam accedit, et solus cum solo remanens sollicitationem exequitur reapse.

III. Quando confessarius et poenitens ex condicto adhibent praetextum confessionis ad arcendos alios, et sic de facto soli remanentes, dum alii credunt eos confiteri, turpia exequuntur.

IV. Quando praetextus confessionis ad arcendos alios adhibitus fuit a sola poenitente; sed sacerdos, postquam hac de re certior evaserit, turpia (ut supra) perpetravit. (*n. 140 et sqq.*).

620. *Quid si sacerdos Regularis, ad obtinendam licentiam exeundi a monasterio, adduxerit praetextum se conferendi ad audiendam confessionem; sed reapse ad peccandum cum aliqua persona perrexerit?*

Casus iste non est iuxta sensum Bullae.

Idem dic de aliis casibus, in quibus praetextus confessionis intervenit quidem, sed confessionis actus nullo modo (scilicet neque inchoative neque ficte) locum habet; et proinde talis praetextus in confessionis actu nullatenus exercetur (*n. 143 et seqq.*). Idem dic si praetextus (ad alios arcendos) a sola poenitente ita adhibitus fuerit, ut sacerdos (quando peccavit) de illo nihil sciverit et de con-

fessione nihil esse crediderit. Idem dic etiam, si (nulla existente necessitate alios, qui, v. g. domi non adsint, arcendi) poenitens praetextu confessionis advocaverit confessarium, eique advenienti statim significaverit, se non iam confitendi sed turpia faciendi intentionem habere.

621. *Clausula:* ***Etiam extra occasionem confessionis in confessionali, sive in alio loco ad audiendas confessiones destinato aut electo, cum simulatione andiendi ibidem confessionem,*** *quid significat?* Significat non oportere ut sollicitatio accidat praecise occasione vel praetextu confessionis, sed sufficere si accidat in aliquo ex locis indicatis, dummodo confessionis simulatio interveniat. (Nota adesse differentiam inter praetextum et simulationem confessionis; praetextus enim saltem principaliter in verbis, simulatio autem in nudo facto consistit).

622. *Quomodo intelligenda sunt loca, quae in hac clausula indicantur?*

I. Quid sit *confessionale* (sive pro saecularibus, sive pro monialibus) omnibus notum est.

II. Loca *destinata* sunt quae non dicuntur confessionalia, sed ex stabili destinatione ad audiendas confessiones sunt deputata (v. g. pro viris). Videtur etiam quod intelligi debeat locus apud lectum infirmorum in hospitalibus (*n. 102*).

III. Loca *electa* (iuxta theologos) sunt loca quaelibet, in quibus confessio simuletur. Sed videtur quod interpretatio ista (etsi communissima) vera esse non possit. Meo sensu, locus electus est ille, qui pro aliqua circumstantia (v. g. missionis) ad confessiones vere audiendas electus fuerit (*n. 153 et sqq.*).

623. *Simulatio confessionis exigiturne etiam si confessarius sollicitet in confessionali?* Affirmative; unde, si confessarius in confessionali sollicitaret foeminam stantem in scamno ecclesiae, casus huiusmodi in lege non comprehenderetur (*n. 162*).

624. *Quid est simulatio confessionis?* Est figura sine re, est nempe repraesentatio confessionis sine confessione (*n. 163 et sqq.*).

625. *Quales sunt casus practici, in quibus haec simulatio contingere potest?*

Sunt (intellige semper stante confessario in aliquo ex dictis locis) 1° Si poenitens venerit absque ulla intentione confessionis. 2° Si confessionem nondum incoeperit, sed voluerit prius de aliis negotiis agere. 3° Si confessionem finierit, et post illam de aliis negotiis tractaverit (*n. 166*).

Attamen clausula ista tunc locum haberet solum si figura confessionis subsisteret.

626. *Ad constituendam simulationem confessionis, oportetne ut aliquis sit praesens?* Negative (*n. 169*).

627. *Oportetne ut tam confessarius quam poenitens eo modo sint compositi, quo esse solent dum confessio fit?* Si ambo sint in loco patenti, ita ut ambo conspici possint, affirmative. Si vero solus poenitens conspiceretur, sufficeret si ipse solus dicto modo compositus fuisset. Si denique essent ambo in loco clauso (v. g. in cellula ad audiendas confessione destinata), sufficeret, si utcumque circumstantiae praesumere facerent quod tunc confessio audiatur, etsi de facto non audiretur (*n. 171*).

628. *Exigiturne intentio simulandi?* Negative; sed sufficit si praesumendum sit quod confessarius, dum sollicitat, cognoscat quod in loco confessionis versatur (*n. 176*).

629. *Quid si simulatio adesset quidem, sed imperfecta?* Levis imperfectio nihil obstaret. Si vero signa gravia efficerent, ut praesumptio de confessione amplius adesse nequiret; tunc simulatio nimis ambigua redderetur, et proinde (quum simus in odiosis) denuntiationis obligatio non adesset (*n. 177 et seqq.*).

IV.

De sollicitatione ***actu vel loco confessionis inchoata,*** *cuius malitia solum postea cognoscatur.*

630. Si malitia esset certa, gravemque sacramenti abusum involveret; tunc denunciatio sine dubio fieri deberet. Casus esset in confessario, qui daret poenitenti epistolam amatoriam postea legendam; aut audita confes-

sione pueri, statim illum duceret in cubiculum, ubi ad turpia eum provocaret; aut poenitenti diceret: — veni vel expecta — (venientem autem vel expectantem statim sollicitaret); aut a poenitente exquireret notitias, quibus postea ad turpes suos fines obtinendos uteretur, (dicendo ei, v. g.: Ubi habitas? Esne sola? Esne pauper? Si quis pecuniam ad peccandum tibi obtulisset, quid fecisses? etc.); aut poenitentem (v. g. ei munera dando, vel dicendo quod turpia facere nihil mali est etc.) callide ad consentiendum disponeret etc. (*n. 181*).

631. *Quid si de dicta malitia non certitudo, sed suspectus dumtaxat concipi posset?* Tunc de sacrilego delicto non constaret, et proinde denuntiatio, vi bullae, fieri non deberet.

632. *Exemplum.* Confessarius actu vel loco confessionis dixit mulieri: — Veni ad me hodie, quia tecum loqui indigeo —. Vadit revera mulier, et confessarius illam provocat ad turpia statim; aut, si prius de aliis rebus loquitur, hae sunt adeo leves ut tamquam praetextus habendae sint. Tunc malitia confessarii invitantis erit certa. E contra confessarius cum muliere ut supra invitata et adveniente sermonem habuit de negotio serio et momentoso. Tunc, quamvis in huiusmodi sermonis progressu inhonesta intervenerint, de malitia in invitatione non constabit, sed ad summum suspectus aliquis haberi poterit. Quod verum erit a fortiori si non confessarius sed poenitens inhoneste loqui incepisset; aut si ex ipsa confessione orta fuisset necessitas sermonem habendi de eodem negotio extra confessionem; maxime vero si ipsa poenitens in confessione rogasset confessarium ut extra confessionale circa tale vel tale negotium illam audiret, vel ut aliquid (v. g., eleemosynam, vel librum devotum, vel chirographum confessionis) illi daret etc.; unde confessarius responderit: Veni et te audiam, vel tibi dabo etc.

633. *Potestne contingere quod malitia adfuerit quidem, sed gravem sacramenti abusum non involverit?* Affirmative. Exemplum esset si poenitens in confessione rogasset confessarium ut cras quemdam infirmum visitaret, et ille respondisset: — Non possum, quia cras volo Bononiam me conferre —; poenitens autem postea rescivisset quod ad turpem finem Bononiam se contulerit. Equidem casus huiusmodi aliique similes denuntiationi minime subiiciuntur.

V.

De denuntiatione sollicitationis.

634. ***Apud quemnam*** *denuntiatio fieri debet?* Vel apud Supremam Rom. Inquisitionem, vel apud localem Inquisitorem, vel Ordinarium, vel Sacerdotem ab iisdem delegatum.

Non oportet ut fiat apud Ordinarium delinquentis; sed sufficit si fiat apud Ordinarium personae sollicitatae, vel etiam loci ubi fit confessio (*n. 190 et seqq.*).

635. ***Quotuplex*** *est denuntiatio?* Triplex, scilicet 1° in forma; 2° simplex; 3° anonyma.

636. *Quid est denuntiatio* ***in forma?*** Illa cui nihil deest ut in iudicio deservire possit.

Talis autem esse potest modo nullâ modo aliquâ interveniente dispensatione.

637. *Quandonam est* ***in forma, nulla interveniente dispensatione?*** Quando fit personaliter apud iudicem vel eius delegatum (ut supra) cum interventu notarii (*n. 189*).

638. *Quandonam est quidem* ***in formâ, sed aliquâ interveniente dispensatione?*** 1° Quando Ordinarius concedit ut fiat apud sacerdotem delegatum sine interventu notarii, attamen extra confessionale, et poenitente actum subscribente. 2° Quando idem concedit ut fiat apud confessarium delegatum in confessionali et sine dicta subscriptione. 3° Quando idem concedit ut denuntiatio fiat a solo poenitente per litteras ab ipso subscriptas et iuramento munitas. 4° Quando S. Sedes (organo S. Poenitentiariae, vel Supremae Un. Inquis.) concedit ut persona sollicitata proprium nomen declinet; ita tamen ut delictum et delinquentem ope confessarii denuntiet (*n. 194 et seqq.*).

639. *Quid est denuntiatio* ***simplex?***

Quae in forma non est; attamen, aliqua interveniente comprobatione vel sanatione, in formam redigi valet.

Contingit quando persona sollicitata (nulla prius ab Ordinario dispensatione obtenta) ope epistolae a se subscriptae, vel confessarii non delegati, denuntiationem exequitur (n. *204*).

640. *Quid est denuntiatio* ***anonyma?*** Est illa quae fit per epistolam anonymam, vel utcumque talem, ut Superior (eo quod, v. g. in epistola non indicetur locus et paroecia scribentis) a quanam persona scripta fuerit recognoscere nequeat.

641. ***Valetne*** *denuntiatio* ***anonyma?*** Minime. (*n. 205*).

642. *Quid de denuntiatione* ***simplici?***

Hanc adhibere non licet, si denuntiatio in forma fieri possit.

Si autem nunquam vel solum post tempus nimis diuturnum informa peragi valeret, tunc denuntiatio simplex licita evaderet; imo sub obligatione cadere posset. Casus esset 1° si poenitens sive propter mortem vicinam, sive propter alias causas, neque tunc neque in posterum denuntiationem in forma facere posset. 2° Si posset quidem in posterum; sed magna adesset necessitas ea de re absque mora Superiorem commonefaciendi. Facta tamen utcumque denunciatione simplici, remaneret semper obligatio illam in forma reddendi, si Superior denuntiantem inquireret atque id exigeret (*n. 204 et seqq.*).

643. *Si sacerdos delegetur ad recipiendam denunciationem absque interventu notarii, sed extra confessionale, quomodo se gerere debebit?*

Parato libro evangeliorum, folio, calamo et atramento, habebit ad se, remotis arbitris, personam sollicitatam. Litteras testimoniales de Ordinarii delegatione et facultate recipiendi eius denuntiationem absque interventu notarii ei ostendet. Deinde sequenti modo scribere et se gerere debebit.

Die.... mensis.... anni.... Sponte comparuit coram me infrascripto sistente in (notabit locum ubi reperitur ad actum recipiendum) *ad hunc actum ab Ill. et Rev.mo* (scribet nomen Ordinarii qui illum delegavit) *specialiter delegato, prout ex eiusdem Ordinarii litteris mihi directis et datis sub die* (exprimet quo die ipsae scriptae fuerint litterae) *praesenti positioni allegandis, N. N.* (scribet nomen, cognomen, patrem, patriam, conditionem et habitationem personae denunciantis: et, si haec religiosa fuerit, exprimet etiam nomen, quo ea vocabatur in saeculo. Deinde ab ipsa iuramentum dicendae veritatis tactis evangeliis exiget, et prosequetur) *cui, delato iuramento veritatis dicendae, quod praestitit, tactis SS. Dei evangeliis, exposuit prout infra; videlicet...* (Hic persona denuncians vernaculo etiam sermone declarare debet, se scire obtentam esse ab Ordinario loci facultatem recipiendi absque interventu notarii, quod ad suam conscientiam exonerandam expositura est, propterea quia iustis de causis eidem R.mo Antistiti se sistere nequit. Deinde narrare continuo debet quae ad sollicitationes ei factas attinent, seu verba fuerint, seu actus, accurate describendo locum, tempus, occasionem, vices, et singula adiuncta, nec non utrum in actu confessionis, aut prius vel post sacramentalem absolutionem ea evenerint. Nominare debet confessionalem sedem, et ipsum confessarium sollicitantem, et, quatenus huius nomen et cognomen aut ignoret aut oblita fuerit, describet accurate illius personam, omnes distincte characteres notando, ita ut ille recognosci possit. Animadvertat delegatus non esse interrogandam personam denunciantem, utrum consensum ad actum turpem quocumque modo praestiterit, vel recusaverit, cum ipsa ad suos defectus manifestandos non teneatur. Hisce excriptis prout narrantur, scilicet non latino sed vernaculo aut nationali sermone, delegatus quae sequuntur, neque aliud praeterea quidquam, requiret).

Interrogata: *an sciat vel dici audierit, dictum N. N.* (nominando personam) *confessarium sollicitasse alios poenitentes ad turpia? Respondit.....* (notabit responsionem: et, si haec affirmativa fuerit, nomen et cognomen personarum sollicitatarum exquiret, et causam scientiae).

Interrogata de fama supradicti confessarii N. N. tam apud se, quam apud alios? Respondit..... (Responsionem excribet).

Interrogata: an odio vel amore praefata deposuerit, et super inimicitia, aliisque generalibus etc.? (Responsionem excribet).

(Si a sollicitatione plus uno mense praeterlapsum fuerit, etiam interroganda).

Interrogata: cur tamdiu distulerit praefata denunciare proprio Ordinario et conscientiam exonerare? Respondit.... (Notabit responsionem).

(Actus claudatur hac ratione):

Quibus habitis et acceptatis etc., dimissus (vel dimissa) fuit iuratus (vel iurata) de silentio servando ad novum tactum SS. Dei evangeliorum (super evangelia iurabit), *et in confirmationem praemissorum se subscripsit,* et (si scribere nesciat) *et, cum scribere nesciret, prout asseruit, fecit signum crucis* (subscriptionem vel crucis signum hic ab eo exiget).

(Postquam denuncians se subscripserit, aut crucis signum fecerit, subscribet se delegatus hoc modo):

Acta sunt haec per me N. N. ab Ill.mo et Rev.mo Antistite N. N. ut supra specialiter delegatum.

(Integrum deinde actum directe ad proprium Ordinarium delegatus transmittet, una cum instructione et litteris acceptis, nihil omnino apud se retinendo).

644. *Si sacerdos delegetur ad recipiendam denunciationem in confessionali, prout nunc ordinarie contingit; quomodo se gerere debebit?*

Denuntiatio in confessionali nihil differt a praecedenti, nisi quatenus denuntians iurat quin evangelia tangat, et forsan propriam subscriptionem actui, qui a confessario exaratur, non apponit.

Quia tamen, maxime pro casu, in quo mulier non ab uno sed a pluribus confessariis sollicitata fuerit, aliqua specialiter notanda sunt; methodum, quae a confessario, dum in confessionali denuntiationem excipit, servari debet, hic breviter expono.

I. Petat a denuntiante eius nomen, cognomen, paternitatem, aetatem, statum, patriam, et paroeciam.

II. Efficiat ut bene intelligat se a legitimo Superiore recepisse facultatem eius denunciationem excipiendi.

III. Illam moneat de enormissimo delicto Summo Pontifici reservato, quo se ream redderet, si sacerdotem innocentem calumniaret.

IV. Exigat ut iuret dicere veritatem.

V. Deinde petat utrum ab unico confessario, an vero a pluribus, tentata aut scandalo affecta fuerit. Si dicat ab unico,

VI. Petat quisnam ille fuerit; et, si nesciat nomine, cognomine vel officio illum indicare, praebeat alia indicia, dicendo, v. g. cuius loci fuerit, cuius circiter aetatis, staturae, coloris etc.

VII. Petat ubinam sollicitata fuerit, nempe qua in ecclesia, et in quo confessionali; an vero domi, occasione infirmitatis etc.

VIII. Petat an semel, an vero pluries id acciderit; et quatenus semel,

IX. Petat quo tempore, nempe (si reminiscatur) quo anno, quo mense, quo die, et qua circiter hora.

X. Iubeat ut accurate exponat quid confessarius ille dixerit vel fecerit.

XI. Petat an occasione vel praetextu vel loco confessionis id acciderit.

XII. Si ad petitionem *n. VIII* factam respondisset, se pluries ab eodem confessario sollicitatam fuisse, de rebus principalibus, quae in diversis sollicitationibus intervenerunt, interrogari deberet.

XIII. Dein interrogetur an sciat, eundem confessarium alias personas sollicitasse; et quomodo seu a quibus id didicerit?

XIV. Interrogetur etiam an idem confessarius bona existimatione gaudeat; an vero secus?

XV. Interrogetur insuper an ipsa eiusve familia aliquam offensam, vel displicentiae (invidiae, zelotipiae etc.) occasionem ab eodem confessario receperit; et an suasu alicuius, seu ad complacendum alicui, illum denuntiet?

XVI. Si a sollicitatione facta mensis praeterlapsus fuerit, interrogetur cur prius denuntiationem non fecerit?

XVII. Si ad petitionem *n. V* factam respondisset, se a pluribus confessariis sollicitatam fuisse: tunc circa singulos idem examen fieri deberet.

XVIII. Examine persoluto, iubeat ut de secreto perfecte servando iuramentum emittat.

645. *Quomodo possibile erit, ut examen adeo prolixum a confessario in confessionali perficiatur et in memoria retineatur?* Iuvare poterunt sequentia:

I. Moneatur denuntians, ut ad confessionale se con-

ferat die et hora opportuna, qua non perfunctorie sed commode, et (si fieri possit) dum in ecclesia nec populus nec alii poenitentes adsint, denuntiatio fieri valeat.

II. Si reapse in ecclesia nemo adfuturus sit, aut si confessionale sit clausum, confessarius folium aut libellum secum ferat, in quo supradicta examinis puncta excripserit; ita ut ad singula postulata pro notandis responsis spatium supersit. In hunc finem amatitam habeat, qua responsa adnotet.

III. Si sciret quod denuntians a pluribus sollicitata fuisset; tunc in praedicto folio aut libello unica quidem vice signabit petitiones generales, nempe *I. II. III. IV* (in principio) et *XVIII* (in fine): sed alias (quae particulares sunt) iuxta numerum sollicitantium repetet.

IV. Si in confessionali nihil scribere possit, saltem dictas petitiones in chartula secum ferat; et responsa memoriae mandet.

646. *Quomodo se gerere debet confessarius postquam in confessionali denunciationem exceperit?* 1° Si in confessionali responsa nullo modo aut solum imperfecte scripserit; domum reversus illico (ne e memoria excidant) illa adnotet. 2° In folio ad Episcopum deferendo, iuxta normam *n. 643 in fin.* traditam (mutatis mutandis, si opus sit) omnia exarabit. 3° Si forte denuntians trepidationem et titubantiam vel quamdam iram contra denuntiatum, vel suspectam facilitatem et complacentiam illum denuntiandi ostenderit; et, uno verbo, si delegatus de denunciationis veritate aliquam dubitandi rationem habeat, id quoque adnotabit. 4° In fine se subscribet. 5° Denique, si forte prius (ut supra) adnotationes scripserit, illas comburet; et folium formaliter exaratum una cum instructione et litteris pro delegatione acceptis quamprimum ad Ordinarium deferet; et nihil omnino apud se retinebit. Donec autem scripta ad Ordinarium non detulerit, diligentissime et sub clavi illa custodiat.

VI.

Quando et sub qua poena denuntiatio fieri debeat.

647. Fieri debet quamprimum data possibilitate. Sub gravi autem *infra mensem,* vel etiam prius, si praevideatur impedimentum (*n. 225 et seqq.*).

Fieri debet sub poena excommunicationis, si mensis culpabiliter praeterlabatur, et res sit de persona personaliter sollicitata. Haec excommunicatio est latae sententiae, sed nemini reservata, unde a quolibet confessario absolvi potest, dummodo tamen poenitens prius obligationi suae satisfacerit, aut saltem (si hic et nunc denuntiare nequeat) se quamprimum poterit denuntiaturam esse promittat (*n. 177, 186*).

648. *Quandonam praedictus mensis decurrere incipit?* Post sollicitationem a die obligationis cognitae : et, si forte poenitens impedimento non interpolato detineretur, a die cessantis impedimenti (*n. 178. 182*).

VII.

De habentibus notitiam sollicitationis perpetratae.

649. *Quid de persona, quae ipsa quidem sollicitata non fuisset sed* ***sollicitationis perpetratae notitiam haberet?*** Deberet nihilominus sub gravi (sed non sub censura) denuntiationem intra mensem peragere, dummodo talis denuntiatio fundamentum momentosum iudici praebere possit (*n. 241 et seqq.*).

650. *Quod si solum a personis non fide dignis, res audita fuisset?* Tunc denuntiationis obligatio non adesset.

651. *Quid si a voce publica?* Tunc etiam non tenerentur denuntiare personae privatae ; secus vero vicarii foranei aut parochi, si rem fundamentum habere, simulque Episcopum nihil scire reputarent.

652. *Quinam itaque erunt casus practici, in quibus ex mera notitia sollicitationis denunciatio fieri debet?* 1° Si quis casu propriis oculis vidisset aut propriis auribus audisset sollicitationem. 2° Si quis ab ipso confessario sollicitante, vel ab ipsa persona sollicitata serio loquente (quae fide indigna positive non appareret) sollicitationis notitiam habuisset (ex-

cipe nisi obstaret secretum). 3° Si quis ab alia quidem persona rem audivisset, sed ita ut testes intermedios usque ad personam sollicitatam, quae primitus rem manifestavit, iudici indicare posset; dummodo, attentis sive his ipsis testibus intermediis sive aliis circumstantiis, denuntiatio pondus habere valeat; multo magis si persona sollicitata mortua esset, vel utcumque denuntiatura minime foret.

VIII.

De causis a denunciatione excusantibus.

653. Causae excusantes esse possent sequentes.

I. **Inutilitas.** Haec excusabit si confessarius qui sollicitavit iam mortuus fuisset; sed non (saltem ordinarie) in aliis casibus; unde denunciari deberet quamvis censeretur emendatus, aut etiam punitus fuisset, vel ageretur de facto antiquo etc.

II. **Impossibilitas** aut **magna atque extraordinaria difficultas,** dummodo sit vera et indeclinabilis; et donec perduret.

III. **Dispensatio,** quae interdum obtinetur, speciatim si poenitens proprium nomen tantummodo, non vero nomen confessarii, reticere vellet.

Haec omnia (veniendo valde ad particularia) explicantur in opusc. cit. (*n. 282. 365*).

IX.

De obligatione confessarii admonendi poenitentem, ut sollicitationis denunciationem exequatur.

654. *Si confessarius noverit poenitentem fuisse sollicitatam, ad quid tenetur?* Non solum ex officio doctoris, sed etiam ex lege positiva tenetur illam admonere de obligatione denuntiandi (*n. 367 et seqq.*).

655. *Lex positiva iniungitne ut poenitens moneatur etiam praecise de censura?* Negative (*n. 373*).

656. *Lex positiva de obligatione admonendi poenitentem extenditurne etiam ad casum illius, qui notitiam quidem habeat sollicitationis perpetratae, sed ipse personaliter sollicitatus non fuerit?* Negative (*n. 374*).

657. *Asserente poenitente quod aliquis sacerdos talia dixerit vel fecerit, unde denuntiandus videretur, debetne confessarius illum statim de denuntiatione peragenda verba facere?* Negative; sed oportet ut prius rem bene examinet; advertendo 1° ne forte persona videatur fide indigna (prout statim explico); 2° an constet quod confessarius vere malitiose processerit; 3° an constet quod iuxta clausulas et terminos bullae delictum commiserit.

658. *Quomodo advertere poterit quod persona videatur fide indigna?*

I. Si ex confessionibus illius advertisset, illam esse surdam, aut magnis hallucinationibus subiectam, aut semifatuam, aut ita levem, ut, ad habendam materiam loquendi, sive sibi sive aliis confessariis falsa narraverit. Item si interrogata an certa sit se bene audivisse et reminisci, haesitaret et dubia in medium afferret. Item si animadverteret, illam contradictorie loqui: aut ex odio, vindicta, zelotypia etc. (eo quod, v. g. a confessario illo neglecta vel reiecta fuisset) posse de facili talia proferre. Denique si cognovisset, illam esse actu publicam meretricem, infamem, vel cuiuslibet sceleris capacem; aut unam ex illis quae contra sacerdotes odio aestuant.

II. Si illam esse fide indignam sciret casu ex scientia externa. Dixi *casu;* inquisitiones enim (ut ita dicam) in foro externo, circa ipsam facere nec debebit nec poterit. (*n. 322*).

659. *Quomodo cognoscere poterit quod confessarius vere malitiose processerit?* Bene interrogando poenitentem non solum circa antecedentia et consequentia, maxime vero circa causam et contextum sermonis.

660. *Quid si sacerdos, a quo mulier dicit se fuisse sollicitatam, optima existimatione gauderet?* 1° Tunc poenitens adhuc melius examinanda esset. 2° Haec circumstantia magnum pondus adderet aliis (si forte adessent) indiciis eidem sacerdoti favorabilibus; et facile efficeret ut indicia, quae in se nimis levia essent, sufficiant ut casus contra illum expositus sperni debeat. 3° Si tamen, non obstante examine, delictum clarum et manifestum esset, tunc optima sacerdotis existimatio nihil considerari deberet.

661. *Potestne confessarius non delegatus ad recipiendam denuntiationem petere nomen sacerdotis sollicitantis?* Poterit quidem petere quanam existimatione gaudeat: sed non facile aderit iustum motivum petendi eius nomen; et sic id non facile licebit. In quovis casu poenitens non poterit cogi ad revelationem istam, quam soli iudici eiusve delegato facere tenetur.

662. *Potestne confessarius poenitentem remittere ad alium, ut sic a declarando ei onere denunciationis liberetur?* Si confessarius parum doctus et casus difficilis esset, tunc affirmandum: secus negandum (*n. 381*).

663. *Quid si poenitens diceret se exposuisse casum aliis confessariis, vel etiam alicui sacerdoti valde docto, eosque nullam obligationem ei imposuisse?* Tunc casus melius esset examinandus. Sed si neque de delicto, neque de eius circumstantiis iuxta clausulas bullae, dubitari posset, obligatio tunc etiam imponi deberet (*n. 382*).

664. *Si confessarius animadverteret quod poenitens hic et nunc denunciationem facere nequiret, possetne omittere monitionem?* Negative; sed debebit eum admonere quod cessante impedimento denuntiare tenebitur (*n. 383*).

665. *Quid si confessarius hic et nunc casum resolvere nequiret?* Prout in aliis casibus difficilibus et momentosis, ita etiam in isto, deberet iniungere poenitenti obligationem redeundi die et hora opportuna, vel casum suo stabili confessario aut sacerdoti magis docto exponendi.

666. *Debetne semper confessarius (cognita obligatione) statim sic et simpliciter illam poenitenti indicere?* Interdum consultius esse potest, ut, ad indagandum ipsius animum, prius ad modum simplicis consilii denunciationem ei proponat.

667. *Quid si versaretur in dubio, utrum aperta admonitio de obligatione bonum effectum habitura esset; vel etiam ex admonitione ipsa magna inconvenientia secutura esse praevideret?* Ratione epickeiae admonitio omitti seu differri poterit 1° si propter admonitionem de secutura rei publicitate timendum esset. 2° Si magna adesset necessitas poenitentem ea vice omnino absolvendi (imposita tamen ei obligatione iterum agendi de illo casu cum confessario). 3° Si iure credendum esset quod admonitio alia vice fieri poterit tutius et opportunius. Caeterum, quamvis (expectato etiam, si opus, sit tempore opportuniori) repugnantia magna conspiceretur, *haec sola* non sufficeret, et nihilominus monitio fieri deberet; sperandum enim esset quod tandem aliquando poenitens (admonita etiam de excommunicatione) obtemperabit; et in casu extremo dispensatio obtineri poterit. (*n. 381 et seqq.*).

668. *Quid si confessarius mulierem de denunciatione iam admonuisset. sed illa, difficultatibus inanibus seu timore panico detenta, obtemperare omnino abnueret?* His de causis denunciationis lex non cessat. Nihilominus ex epickeia cessare vel suspendi potest lex de admonitione urgenda a parte confessarii, dummodo tria concurrant, nempe 1° quod poenitens propter praefata incommoda (etsi falso apprehensa) se excusari reputaret, et sic (non obstante admonitione facta) in bona fide versari videretur; 2° quod, praeter dictum timorem panicum, aliqua etiam subsistat ex circumstantiis, quas supra indicavi; 3° quod confessarius non positive deobliget, sed solum dissimulet: imo (quatenus fieri possit) prudenter innuat ea de re in sequentibus confessionibus sermonem esse iterum instituendum. Si autem hae circumstantiae non subsisterent,

sed de solo praedicto timore panico ageretur, confessarius (quamvis frustra conatus fuisset errores e mente poenitentis depellere) illum parvipendere et obligationem urgere deberet. (*n. 387*).

669. *Si mulier hic et nunc quidem denuntiare consentiret, sed valde timendum esset, ne postea mutatura foret voluntatem, possetne confessarius, qui nullam denunciationis recipiendae delegationem sibi comparasset, de denunciatione simplici hic et nunc exequenda esse contentus, et sic de denunciatione apud iudicem vel delegatum peragenda eam non admonere?* Affirmative; speciatim si ad eundem confessarium redire non posset. (*n. 388*).

670. *Quid si confessarius de denunciationis obligatione poenitentem non admoneret, dum illam admonere deberet?* Mortaliter peccaret. (*n. 390*).

671. *Quomodo se gerere debet confessarius quoad absolutionem sive dandam sive differendam sive denegandam poenitenti, quae denuntiare teneatur, et, de hoc sive a confessario ipso sive ab aliis admonita, iam in mala fide versetur?* Si denuntiare recuset, non potest absolvi. Si denuntiare (quamprimum poterit) promittat, et de denuntiationis executione plene fidendum sit, potest absolvi. Si de executione ista non plene sit fidendum, et absolutio commode differri possit (si nempe intra breve tempus denuntiatio fieri valeat, neque urgeat necessitas poenitentem hic et nunc absolvendi) expedire solet ut absolutio differatur. Si denique valde timendum sit ne poenitens, absolutione recepta, nihil sit executura (ut puta, si ad promittendum aegre se induxerit, et multo magis si aliis vicibus promiserit et promissis non steterit), tunc regulariter absolutio differri nedum poterit sed debebit. Dixi *regulariter*: si enim nonnisi post tempus valde diuturnum denunciatio fieri posset, aut si magna urgeret necessitas nihilominus absolvendi poenitentem (eo quod, v. g. agatur de sponsa eo ipso mane matrimonium celebratura, vel de moniali, quae a communione usque ad denunciationem executam abstinere nequeat, vel de puella, quae a matre comitetur, et sine infamia communionem omittere non possit etc.) absolutio dari poterit. (*n. 391 et seqq.*).

672. *Quid si mulier, audiendo quod confessarius de obligatione sacerdotem denunciandi illam admonet, verba sua revocet, et dicat se revera non fuisse sollicitatam?* Tunc confessarius ut plurimum versabitur in dubio, utrum mulier ad denuntiationem, an vero ad calumniam declinandam se retractet. In hoc dubio 1° absolutio dari poterit sub conditione; 2° de talis mulieris denuntiatione non amplius erit curandum, quamvis in posterum iterum dictura sit reapse se fuisse sollicitatam; nisi forte ex

specialibus circumstantiis clare constaret quod sollicitatio revera perpetrata fuisset; 3° si de poenitente stabili, et maxime si de moniali ageretur, dispensationem ad cautelam (reticito nomine poenitentis et sacerdotis) a S. Poenitentiaria petere expediret; qua obtenta, admoneri deberet poenitens, quod, sive sincera sive falsa eius retractatio fuerit, ex gratia S. Sedis ad nihil amplius tenetur.

X.

De auxilio praestando a confessario poenitenti in casibus sollicitationis.

673. *Si poenitens nullo impedimento legitimo detenta denuntiationem exequi omnino renueret, expediretne ut confessarius S. Poenitentiariae casum exponeret et dispensationem postularet?* Affirmative; imo in casu extremo ex charitate ad id teneri posset (*n. 396*).

674. *Si poenitens parata quidem esset ad denuntiandum; sed solum privatim vel in confessionali, expediretne ut confessarius hac de re Episcopum consuleret, et, si ipse delegaretur, delegationem acceptaret?* Negant hodie theologi communiter; sed doctrina ista sine dubio falsa est (*n. 397*).

675. *Habebitne confessarius veram obligationem huiusmodi onus in se suscipiendi?* Veram etiam obligationem habere posset ex charitate in quibusdam casibus: nempe 1° si bonum publicum aut alicuius communitatis valde periclitaretur, et promptum remedium (quod hoc solo modo procurari posset) omnino necessarium esset; 2° si poenitens non nisi apud confessarium, cui soli rem patefecit, denunciationem facere (v. g. ex magna erubescentia) consentiret, et in hoc firmissima foret.

676. *Quale monitum dandum erit poenitenti sollicitatae?* Nisi forte ex facta experientia et rei antiquitate de nova sollicitatione nullatenus esset timendum, admoneri debebit ut pro confessione ad eum, nisi indeclinabili cogente necessitate, non amplius accedat.

XI.

De accusatione calumniosa.

677. *Si quis de sollicitatione sacerdotem innocentem accusasset, ad quid teneretur?* Ad retractationem, et damnorum (si quae exinde orta fuissent) reparationem.

678. *Calumnia ista mulctaturne censura?* Negative; sed est casus reservatus Rom. Pontifici; et quidem specialissimo modo; ita ut in generalibus facultatibus Episcopis aut aliis sive concessis sive concedendis, etiam occasione iubilaei, nunquam comprehendatur; et ne ipse quidem Cardinalis Poenitentiarius Maior a casu isto absolvere valeat; sed singulis vicibus Rom. Pontifex immediate interpellari debeat.

TRACTATUS II.

De Extrema Unctione.

Agendum est de huius sacramenti natura, effectibus, materia, forma, ritu, subiecto, ministro, obligatione,

CAPUT I.

DE EXTREMAE UNCTIONIS NATURA ET EFFECTIBUS.

679. ***Quid est*** *extrema unctio, et quid operatur?*

Est sacramentum vivorum, quo, per olei benedicti unctionem et formam praescriptam, sacerdotis ministerio, christifidelibus doli capacibus, morbo vicinae mortis periculoso laborantibus, et rite dispositis, « confertur (ut declarat « *Trid. XIV, II*) gratia, quae delicta, si quae sint adhuc « expianda, ac peccati reliquias, scilicet (plus vel minus « iuxta dispositiones) spiritualem debilitatem ex peccatis « relictam et poenae debitum, tollit, atque aegroti animam « alleviat et confirmat, magnam in eo Divinae Misericor- « diae fiduciam excitando, qua sublevatur et morbi incom- « moda ac labores levius fert, et tentationibus daemonis « facilius resistit; et sanitatem corporis interdum, ubi « saluti animae expedierit, consequitur ».

Haec doctrina catholica fundatur in apostolica traditione et in verbis Iacobi Ap. (*V 14*) dicentis: « Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyte- « ros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: « et oratio fidei salvabit infirmum, et allievabit eum Dominus: et, si in « peccatis sit, remittentur ei ».

680. *Quo sensu intelligi debet quod hoc sacramentum remittat peccata?*

Quamvis validum esset et gratiam conferret etiam quando hic et nunc nulla peccatorum macula delenda adesset (S. Lig. *VI 731*); tamen inter principales eiusdem effectus remissio peccatorum (ut suadent etiam verba formae *Indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti etc.*) recenseri debet.

Directe tamen sola peccata venialia, et peccatorum omnium reliquiae et poenae (plus vel minus, ut dixi, iuxta dispositiones) remittuntur; non vero mortalia, quae solum indirecte (sicut in aliis sacramentis, et supposita bona fide) remitti possunt.

Haec omnia patent ex catechismo rom. dicente : « Hoc sacramento « gratiam tribui, quae peccata, et imprimis quidem leviora, et, ut com- « muni nomine appellantur, venialia, remittit: exitiales enim culpae poe- « nitentiae sacramento tolluntur : neque enim hoc sacramentum primario « loco ad graviorum criminum remissionem institutum est : sed baptismus « tantum et poenitentia vi sua hoc efficiunt ».

CAPUT II.

DE HUIUS SACRAMENTI MATERIA, FORMA, ET RITU.

681. *Quaenam est huius sacramenti* ***materia remota?***

Est oleum, quod certe (et pro valido) debet esse 1° olivarum ; 2° ab Episcopo (non vero a simplici sacerdote, nisi forte ex speciali delegatione Summi Pontificis) consecratum seu benedictum.

Patet ex Trid., ex Catech. Rom., et ex prop. damnata (a S. C. S. O. *13 Ian. 1665*), quae dicebat: « Extremam Unctionem oleo episcopali bene- « dictione non consecrato ministrari valide posse »; unde ne in casu quidem necessitatis oleum ab Episcopo non benedictum adhiberi posset, ut definivit eadem S. C. *14 Sept. 1842* probante Gregorio XVI, et *10 Ian. 1850* Pio IX.

Sed utrum valeat oleum ab Episcopo quidem benedictum, sed alia benedictione, nempe catechumenorum vel chrismatis, disputant doctores (Cf. S. Lig. *n. 709*): adeoque, proprio deficiente, hoc etiam adhiberi poterit sub conditione. Croix (*VI.* II *2090*).

Si oleum sanctum deficere inciperet, neque facile aliud oleum ab Episcopo benedictum haberi posset, tunc oleum commune (attamen semper in minori quantitate) adiungi posset.

682. *Quaenam sit* ***materia proxima?***

Est unctio quinque sensuum, idest oculorum, aurium, narium, oris, et manuum.

De pedibus quoque et renibus inungendis dicam infra, ubi de ritu.

Pro valido unctio singulorum quidem sensuum probabiliter (iuxta usum Ecclesiae) exigitur; attamen unctio pe-

dum et renum solum pro licito. Dixi *probabiliter ;* forte enim unica unctio (in fronte) ad validitatem sufficeret (Cf. S. Lig. *n. 710*).

Certe tamen in sensibus geminis unctio utriusque non est necessaria pro valido.

683. *Quaenam est huius sacramenti* ***forma ?***

Est : *Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum deliquisti. Amen.* Haec forma repetitur in singulis unctionibus; nisi quod, loco dicendi *per visum,* dicitur *per auditum — per odoratum — per gustum et locutionem — per tactum — per gressum — per lumborum delectationem.*

Ex his verbis ad essentiam pertinere : *Per istam unctionem indulgeat tibi Dominus* certum est. An autem de essentia sint verba *quidquid per visum* etc. *deliquisti* non est certum sed valde probabile. *Per suam misericordiam* non sunt de essentia, sed ea omittere grave esset. Verba denique *sanctam, piissimam, amen* nec sunt de essentia, nec gravem culpam constituerent si omitterentur.

684. *Quid* ***de ritu ?*** Notanda sunt praecipue sequentia.

I. Unctio *pedum* non est de essentia (ut supra innuebam); bene vero est de praecepto. Dantur tamen casus, in quibus decentia, non solum quoad foeminas sed etiam quoad masculos, exigere potest ut haec unctio omittatur ; si nempe moribundus pedes circa pudenda firmiter attractos haberet. (Bened. XIV *de Syn. VII.* XVIII).

II. Etiam unctio *renum* est solum de praecepto, et quoad masculos dumtaxat, qui ex utroque latere ungi debent, si commode id fierit possit. (*Rituale*).

Multi unctionem istam omittunt, adeo ut in quibusdam dioecesibus pene in desuetudinem abierit ; sed S. R. C. (*14 Aug. 1858*) scribens ad quemdam Episcopum, in cuius dioecesi talis unctio prorsus incognita erat et nunquam adhibita fuerat, dixit : « S. Congregatio ardentissimum « votum suum expressit ut, curante Amplitudine tua et « docentibus parochis, paullatim et sensim sine sensu di- « sponantur fideles ad istam quoque specialem unctionem

« in extrema agone recipiendam iuxta ritualis romani « praescriptiones » (*Decr. 3075*).

Caute tamen haec unctio fieri debet, ne modestia offendatur, maxime si puellae praesentes essent; et interdum, propter aliquod notabile incommodum (v. g. propter immunditiem et foetorem), omitti poterit.

III. Qui *carent aliquo sensu* (v. g. oculis) ungi debent, sicut ungerentur si illum haberent (idque quamvis a nativitate illo caruissent), tum quia desiderio peccare potuerunt, tum quia unctiones singulae ad sacramenti integritatem et forsan essentiam pertinere possunt.

Brachio vel crure mutilatus ungatur in parte proximiori (*Rituale*). Si tamen ageretur de coxendice mutilata, modestia exigere poterit, ut unctio omittatur.

IV. *Forma comitare debet unctionem*, nec absolvi antequam ambo oculi, vel ambae aures, vel ambae manus, vel ambo pedes uncti fuerint (*Rituale*).

In dubio de vita, dici debet: *Si vivis.*

V. Si moribundus iam iam ultimum anhelitum trahere videretur, ungi deberet *in fronte* dicendo: « Per « istam sanctam unctionem etc. indulgeat tibi Dominus « quidquid deliquisti per sensus omnes ».

Quia tamen de validitate huiusmodi administrationis ambigi potest; moribundus adhuc ungendus erit more solito in singulis sensibus, intelligendo administrare sacramentum sub conditione, si nempe prius valide iam administratum non fuisset.

Alii vero suggerunt ut sub unica forma (dicendo nempe: Per istam sanctam unctionem etc. indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum et tactum) celerrime ungatur unus oculus, una auris, una naris, unum labium, et una manus (vel pro manu aliqua alia corporis pars).

VI. Tempore *pestis* sacerdotes gossypium (sacro oleo intinctum) vel etiam penicillum adhibere poterunt, si Episcopus sic expedire decernat.

VII. Administratio fieri debet non solum cum stola, sed etiam cum superpelliceo; idque non obstante (si forte adesset) contraria consuetudine (S. R. C. *16 Dec. 1826*

n. 2650): Administratio sine vestibus sacris censetur graviter culpabilis, seclusa necessitate.

VIII. In casu necessitatis omitti quidem possent orationes quae ad substantiam non pertinent: sed, seclusa necessitate, illas omittere grave esset.

IX. Rituale monet unum saltem clericum inservientem esse adhibendum. In defectu clerici inservire posset laicus. Theologi dicunt quod foemina inservire nequit, et sacerdos per se ipsum omnia praestare deberet potius quam foemina uteretur. Sed in praxi aliquod adiutorium exigitur, quod subinde (speciatim ruri) nonnisi a foeminis haberi potest.

X. Si feria V. *in Coena Domini* sacrum oleum consignaretur archipresbyteris, hi deberent statim illud mittere ad parochos, nec usque ad Dominicam *in Albis* id differre possent. (S. R. C. *Decret. cit.*).

XI. Nonnulla alia, quae ad ritum pertinent, exposita fuerunt in *Vol. IV n. 423.*

CAPUT III.

DE HUIUS SACRAMENTI SUBIECTO.

685. *Quid exigitur a parte subiecti ut valide et licite hoc sacramentum ei dari possit?* Exigitur 1° ut sit baptizatus; 2° ut sit doli capax; 3° ut sit infirmus graviter; 4° ut sit in periculo mortis vicinae; 5° ut sit contentus recipiendi hoc sacramentum; 6° ut ille non sit indignus; 7° ut possit illud recipere decenter; 8° ut in eadem infirmitate a brevi tempore illud non receperit; 9° ut iam certe non sit mortuus.

686. *Quid de necessitate quod subiectus sit* ***doli capax?***

Exigitur ut potuerit peccare, ut patet ex verbis formae et perpetuo Ecclesiae usu.

Hinc perpetuo amentibus et pueris ante usum rationis hoc sacramentum dari nequit. Puer qui sacramentalis absolutionis capax censeatur, extremae unctionis quoque capax censeri debet, quamvis forte viaticum non videretur ei adhuc deferendum. In dubio de usu rationis, interrogentur

parentes ; et, dubio perseverante, puer sub conditione inungatur (Cf. Bened. XIV *De Syn. c. VIII.* VI 2). Tunc tamen obligatio administrandi illi hoc sacramentum non esset gravis.

687. *Quid de necessitate quod subiectus sit* ***infirmus graviter?*** Patet ex verbis Apostoli *Infirmatur quis in vobis,* et praxi Ecclesiae.

Hinc sacramentum istud capite damnatis conferri non potest : nec instante praelio vel naufragio ; nec mulieri quae soleat periculum mortis subire in partu, nisi exurgente periculo in partu ipso (S. Lig. *713*) ; et idem dic de homine sano aut leviter infirmo, qui mox operationem chirurgicam periculosam subiturus sit. (D'Annibale *III 305*). Decrepita tamen senectus pro infirmitate haberetur. (*Rituale*).

688. *Quid de necessitate quod infirmus sit* ***in periculo mortis vicinae?***

Rituale dicit : « Debet autem hoc sacramentum infir-
« mis praeberi, qui... tam graviter laborant, ut mortis
« periculum imminere videatur ».

Ad iudicandum autem de hoc periculo, vide dicta (*Vol. IV n. 1044*), ubi de viatico ; periculum enim quod sufficit pro viatico, sufficit etiam pro extrema unctione.

689. *Quid de necessitate quod infirmus* ***recipiendi hoc sacramentum contentus esse debeat?***

Si infirmus sit sui compos, exigitur eius consensus actualis. Si vero sit sensibus destitutus, tunc exigitur et sufficit eius consensus interpretativus, unde dicit rituale extremam unctionem dari posse iis qui illam *verisimiliter petiissent*. Huiusmodi autem consensus interpretativus adest in omnibus illis, qui morbo praeoccupati perversam et firmam voluntatem moriendi sine sacramentis non ostenderint.

Sedulo notandum quod haec perversa voluntas non adest in illis qui extremam unctionem recipere recusaverunt, non ex intentione moriendi sine hoc sacramento, sed solum propter repugnantiam illud (quasi nuncium mortis) recipiendi in statu plenae cognitionis, aut propter credulitatem quod morbus vicinae mortis periculosus minime esset.

690. *Quid de necessitate quod moribundus recipiendi hoc sacramentum* ***non sit indignus?***

Indignus esset non solum qui usque ad extremum recusavit sacramenta ex voluntate moriendi sine illis et prorsus impoenitens (ut modo dicebam); sed etiam qui moritur in manifesto peccato mortali, quandoquidem sensibus destitutus remanserit sive *in actu peccati* (v. g. furti, aggressionis, duelli, homicidii, suicidii, fornicationis etc.), sive *in*

statu peccati (v. g. matrimonii civilis, concubinatus, meretricii in lupanari, obstinationis in excommunicatione etc.

Reapse rituale dicit, hoc sacramentum penitus esse denegandum non solum impoenitentibus, sed etiam iis *qui in manifesto peccato mortali moriuntur*, quales praesumuntur quotquot actu peccati vel in statu peccati remaneant sensibus destituti et repentina morte praeoccupentur; secus enim de quibusnam rituale loqueretur? Haec itaque est certe regula generalis, et reapse passim huiusmodi moribundis extrema unctio denegatur (Cf. Gousset *II 624* et Berengo *n. 110*); et, si concederetur, christifideles facile scandalizarentur, quasi sacerdotes sancta darent canibus et proiicerent margaritas ante porcos.

691. Haec tamen regula duas exceptiones patitur.

Prima est *si ex denegatione huius sacramenti infamia et scandalum sequeretur*. Casus esset si impoenitentia moribundi soli parocho nota esset, quatenus, v. g. secreto infirmum allocutus illum impoenitentem reperiisset, et postea a familia (quae de impoenitentia nihil sciret) advocaretur, dum infirmus sensibus destitutus evasisset; et maxime si ex una parte impoenitentiae notitia magnum scandalum allatura esset (ut puta, si impoenitentia huiusmodi reperta fuisset in sacerdote vel parocho moribundo), et ex alia sacramenti administratio nullo praetextu declinari posset.

Dices: Quomodo dari potest sacramentum subiecto absolute incapaci? Resp. De hac absoluta incapacitate nunquam constabit; qui enim dum sui compos erat non poenituit, sensibus destitutus poenitere potest, et maxime si agonia diuturna sit. Aliunde unusquisque novit quod, sicut absolutio, ita etiam extrema unctio sub conditione dari valet.

Secunda exceptio est si *consuetudo localis* plus vel minus a regula ritualis recedat. Alicubi reapse iam a longo tempore efformata est praxis communissima non solum absolutionem sed etiam extremam unctionem administrandi moribundis quamvis in actu vel statu peccati sensibus destituti remanserint; ita ut ex tali administratione nullum scandalum sequatur, sed potius scandala et perturbationes orirentur, si sacramentum non administraretur.

692. *Quid de necessitate quod moribundus possit hoc sacramentum recipere* ***decenter?*** Rituale dicit: « Si infirmus, dum phrenesi aut amentia laborat, verisimiliter « posset quidquam facere contra reverentiam sacramenti, « non inungatur, nisi periculum tollatur omnino ». Bonum

quidem animarum, sed etiam reverentia sacramenti Ecclesiae cordi est.

693. *Quid de necessitate quod moribundus* ***alia vice in eadem infirmitate a brevi tempore hoc sacramentum non receperit?*** Rituale dicit: « In eadem « infirmitate hoc sacramentum iterari non debet, nisi diu- « turna sit, ut cum infirmus convaluerit, iterum in peri- « culum mortis incidit ». Oporteret itaque ut periculum mortis vicinae evanuisset. Qua in re melius erit stare iudicio medicorum; saepe enim evasio a periculo est illusoria. In dubio tamen scrupuli parochis non sunt iniiciendi.

694. *Quid de necessitate quod* ***non agatur de iam certe mortuo?*** Hoc in puncto notandum quod (iuxta phisiologos modernos) certitudo mortis vere subsecutae non contingit solum quando iam cessavit respiratio et sanguinis circulatio; sed saltem per mediam horam vita adhuc postea perdurat; et si mors improvisa atque violenta fuisset multo amplius vita perdurare posset. Signum certum mortis est inchoata putrefactio. Vide opusculum Ioannis Ferreres, quod inscribitur: La muerte reale et la muerte aparente editum Matriti *anno 1904*, apud *Monitore* (*XVI 234*). In administratione tamen adhibenda esset conditio si *vivis*, et cavendum ne adstantes scandalizentur.

CAPUT IV.

DE EXTREMAE UNCTIONIS MINISTRO.

695. *Pro valido* exigitur et sufficit quod minister sit sacerdos. Patet ex Iacobo Ap. dicente *Inducat presbyteros Ecclesiae* etc. et ex Trid. (*XIV.* IV).

Pro licito administratio huius sacramenti pertinet ad *parochum* eiusve delegatum. Excipe casum necessitatis, atque etiam casum in quo de parochi consensu iusta praesumptio adesset.

Religiosi autem qui sine licentia parochi extremam unctionem ministrare *praesumerent*, in excommunicationem Rom. Pontif. simpliciter reservatam inciderent, non secus ac de viatico, ut dixi *Vol. IV n. 1027.*

CAPUT V.

DE OBLIGATIONE EXTREMAM UNCTIONEM RECIPIENDI ET ADMINISTRANDI.

696. *Adestne* ***obligatio gravis recipiendi*** *hoc sacramentum?* Diversae sunt sententiae. Opinio negans est valde communis et satis probabilis, quia talis obligatio non habetur neque ex vi institutionis huius sacramenti, cum non sit necessarium ad salutem, neque ex praecepto divino, quum verba Apostoli *Inducat presbyteros* etc. intelligi possint et reapse a fere omnibus intelligantur pro consilio. Excipe nisi infirmus ex contemptu, vel cum magno scandalo hoc sacramentum recipere recusaret; vel si magnis tentationibus subiiceretur, et proinde ex lege charitatis erga seipsum illo se munire sub gravi deberet. Vide S. Lig. (*n. 733*).

697. *In parocho adestne* ***obligatio gravis ministrandi*** *sacramentum?* ***Etiam tempore pestis?***

I. Quamvis forte infirmus excusari possit a mortali, si (ut dixi) extremam unctionem recipere nolit; tamen a gravi peccato excusari nequiret parochus, si infirmos sine hoc sacramento mori sineret, dum illud sive expresse peterent sive interpretative desiderarent.

II. Ad hoc autem ordinarie tenentur parochi etiam tempore pestis; qua de re vide dicta (*Vol. IV n. 831*).

698. *Potestne parochus indiscriminatim administrationem huius sacramenti* ***differre ad tempus quo infirmus in extremis versatur et nihil intelligit?***

Rituale dicit, hoc sacramentum adhibendum esse « eo « tempore, si fieri possit, cum (infirmis) adhuc integra « mens et ratio viget, ut, ad uberiorem sacramenti gra- « tiam percipiendam ipsi etiam suam fidem ac piam animi « voluntatem conferre possint ». Et Catechismus romanus subiungit: « Gravissime peccant, qui illud tempus aegroti « inungendi observare solent, cum iam, omni salutis spe « amissa, vita et sensibus carere incipiat ». Adde pericu-

lum ne aegrotus sine hoc sacramento moriatur; multae enim infirmitates valde fallaces esse solent. Praxis itaque administrandi hoc sacramentum indiscriminatim solum in extremis (et maxime si id servaretur etiam in iis morbis qui speciali periculo mortis inopinatae subiiciuntur) corruptela esset, et proinde parochus (si in eius parcecia talis abusus vigeret) populum ita instruere deberet, ut christifideles ad extremam unctionem pio et libenti animo suscipiendam paullo post viaticum se disponant. Doctrinam autem populo expositam in praxi adhibebit; sed blande et prudenter.

Blande, adducendo exemplum Apostolorum, qui « ungebant oleo mul« tos aegros et sanabantur », simulque ostendendo utilitates spirituales et corporales quae ex hoc sacramento dimanant.

Prudenter; cum quibusdam enim cautissime procedendum erit, aut etiam de sacramento isto prorsus silendum (ne quod lucratum fuit, deperdatur). Neque profecto per vim aut quasi per vim quisquam inungi debebit; rituale enim dicit: *si fieri possit;* et catechismus ait, hanc coelestem medicinam dandam esse quando magis censenda sit profutura; atque evidenter supponit casum personae, quae non iam aegro animo, sed libenter cum pio et devoto affectu hoc sacramentum susceptura sit. Curandum erit quoque ut non solum infirmus sit contentus, sed etiam illius familia; secus enim ordinarie turbationes suscitarentur et nihil boni obtineretur; imo (apud nos) contingere posset quod, propter extremam unctionem, invita familia, administratam, ulterior sacerdotis accessus penitus impediatur.

TRACTATUS III.

De Ordine Sacro et de Irregularitatibus

Sectio I.

DE ORDINE SACRO.

Agendum est de ordinis natura, materia, forma, ministro, subiecto.

CAPUT I.

DE ORDINIS NATURA.

699. ***Quid est*** *ordo?* Est ritus sacer quo quis fit minister Ecclesiae, eique confertur potestas ad sacra conficienda, exercenda, et administranda.

700. ***Quot*** *sunt ordines?* In Ecclesia latina sunt *Ostiariatus*, *Lectoratus*, *Exorcistatus*, *Acolytatus*, *Subdiaconatus*, *Diaconatus*, *Presbyteratus* (seu sacerdotium), et *Episcopatus*. Sic itaque ordines sunt octo. Primi quatuor *minores*, alii *maiores* dicuntur.

Plures tamen contendunt episcopatum esse non iam ordinem distinctum sed simplicem extensionem presbyteratus; unde, iuxta illos, ordines sunt septem. Cf. Bucceroni. (*De Ord. n. 6*).

701. ***Quaenam specialis potestas*** *in ordinibus istis confertur?* Confertur potestas 1° In *Ostiariatu* aperiendi et claudendi ianuam Ecclesiae atque admittendi dignos excludendique indignos. 2° In *Lectoratu* legendi ex

sacro suggestu in ecclesia, atque populum catechizandi (non vero praedicandi). 3° In *Exorcistatu* expellendi ab obsessis daemones ne illos impediant a communione aliisque rebus sacris. 4° In *Acolytatu* ferendi candelabra, accendendi lumina in altari, et inserviendi subdiacono in missa solemni, praeparando et porrigendo illi ampullas etc. 5° In *Subdiaconatu*, inserviendi diacono, canendi epistolam, abluendi corporalia, pallas et purificatoria. 6° In *Diaconatu,* assistendi sacerdoti, canendi evangelium, baptizandi, praedicandi, et eucharistiam distribuendi. 7° In *Presbyteratu*, consecrandi Corpus Christi, et (supposita iurisdictione) administrandi sacramenta poenitentiae et extremae unctionis, nec non dandi benedictiones etc. 8° In *Episcopatu,* conferendi ordines sacros, administrandi confirmationem, et consecrandi res ad divinum cultum pertinentes.

702. *Quid sit* ***prima tonsura;*** *et an sit ordo?* Prima tonsura est ritus sacer, quo quis capillorum, vel (iis deficientibus) comae adscititiae, tonsione, a statu laicali transfertur ad statum clericalem, fitque capax beneficii ecclesiastici atque particeps clericalium privilegiorum.

Non est ordo, quia nulla confertur specialis potestas, sed est tantummodo dispositio ad ordines.

703. *An singuli ordines* ***sint sacramenta et characterem imprimant?***

Presbyteratum esse sacramentum (et proinde characterem imprimere) adeo certum est, ut de re ista inter catholicos nemo unquam dubitaverit.

Et sane, quum de fide sit ordinem esse sacramentum (Trident. *XXIII.* III), iam oportet omnino, ut saltem presbyteratus sacramenti rationem habeat.

Episcopatum et *Diaconatum* esse sacramenta aliqui negarunt (Cf. S. Lig. *736. 738*); sed, quum ambo hi ordines sint divinae institutionis (ut definivit Trid. *l. c. VI*), et conferantur per signa gratiam indicantia (nempe per manuum impositionem et verba *Accipe Spiritum Sanctum*), iam tenendum est, hos etiam sacramenti rationem habere, ut communius theologi docent.

Subdiaconatus e contra, et alii quatuor *ordines minores*, probabilissime (etsi multi theologi antiquiores dissentiant) non sunt sacramenta.

Ad hoc demonstrandum dicitur quod in materia et forma horum ordinum nihil invenitur quod gratiae collationem significet; sed haec ratio non videtur efficax, secus enim matrimonium quoque a sacramentorum numero excludere deberemus. Rationes quae me convincunt sunt sequentes.

I. Quamvis hi ordines antiquissimi sint, tamen non esse divinae institutionis probatur ex plurimis documentis. Urbanus II dixit: « Sacros « ordines dicimus diaconatum et presbyteratum. Hos siquidem solos pri- « mitiva legitur Ecclesia habuisse ». Gratianus scripsit: « Subdiaconos et « acolytos, procedente tempore Ecclesia sibi constituit ». Idem dicunt Amalarius, Magister sententiarum aliique cum celeberrimo Morino apud Bened. XIV (*De Syn. XIII.* x *10*).

II. Eccur soli ordines maiores dicuntur sacri (ut patet ex supra relatis Urbani verbis), nisi quia presbyteratus et diaconatus sunt sacramenta, et subdiaconatus perpetui coelibatus legem sibi coniunctam habet; ad differentiam ordinum minorum, in quibus nihil huiusmodi invenitur? Porro subdiaconatus olim tamquam ordo sacer minime habebatur. Huiusmodi autem dignitatem ei convenire secognitum fuit praecipue intuitu castitatis a subdiaconis perpetuo servandae (Cf. *C. A. multis I.* XIV); ut patet etiam ab Ecclesia Graeca, in qua subdiaconatus pro sacro ordine minime habetur, utique quia lex coelibatus illuc non servatur.

Vide alia rationes apud Perrone (*De Ord. n. 81*).

704. *An licite et valide possit conferri ordo superior (v. g. Presbyteratus),* ***si antea non fuerit collatus inferior*** *(v. g. diaconatus)?* Licite, negative. Valide, affirmative; excepto tamen episcopatu, qui presbyteratum omnino praeexigit. Cf. *Cap. Tuae litterae (V.* XXIX *De Clerico per saltum promoto)*, Bucceroni (*n. 6 et 17*), Ballerini (*De Ord. n. 31*), Monit. (*X.* I *292*), et Génicot (*n. 428 VI*).

CAPUT II.

DE MATERIA ET FORMA ORDINUM.

705. *Quaenam est* ***materia*** *ordinum?* Est varia pro variis ordinibus.

Quoad *ordines minores,* materia proxima consistit solum in traditione et tactu (physico manuque dextera peracto) instrumentorum.

Ordinandi in *Ostiariatu* tangere debent claves, pulsare campanas atque aperire et claudere fores ecclesiae. Pro valido sufficit unica clavis, nec opertet ut sit praecise clavis ecclesiae, neque (si ordinandi sint plures) ut tactus sit successivus. Item non oportet ut pulsent plures campanas turris campanariae, sed sufficit si unicam campanam pulsent, vel (loco campanae) tintinnabula ad fores ecclesiae. Denique non oportet ut fores Ecclesiae claudantur et

aperiantur *cum clavi*. Ita plura decreta apud Bucceroni (*Enchir. n. 700. 701*).

In *Lectoratu* materia est liber sacrarum scripturarum vel lectionum, nempe Missale, aut Breviarium, aut volumen Sacrae Scripturae (*l. c.*).

In *Exorcistatu* est liber exorcismorum, scilicet Rituale.

In *Acolytatu* sunt urceoli vacui, et candelabrum cum cereo extincto. Non sufficeret sola candela, aut candela infixa in istrumento quod dicitur it. *Bugia* (*l. c.*).

706. Quoad *Subdiaconatum*, materia proxima pariter consistit in solo tactu instrumentorum, quae sunt calix vacuus cum patena vacua, et liber epistolarum (scilicet Missale).

Etsi rubrica innuat, tactum calicis etc. debere esse successivum (si ordinandi sint plures), tamen theologi dicunt sufficere (ad differentiam presbyteratus) si sit simultaneus, et citant decretum S. R. C. (*11 Mart. 1820*), quod tamen in collectionibus authenticis non reperitur.

Si ordinandus tetigisset calicem et patenam, sed non librum epistolarum, S. C. C. (*10 Ian. 1711*) respondit: *Esse supplendum per Episcopum etiam privatim* (non itaque repetenda esset ex integro ordinatio).

707. Quoad *Diaconatum* et *Presbyteratum*, materia proxima est duplex, nempe manuum impositio et tactus instrumentorum. *Quoad Episcopatum* sola manuum impositio de essentia esse videtur; quando enim traditur liber evangeliorum, Episcopus iam est consecratus, ut dicit Pontificale. Cf. Ballerini (*l. c.*). Sed haec (speciatim quoad Diaconatum et Presbyteratum) explicatione indigent.

708. In *Diaconatu* manus impositio fit versus finem praefationis a solo Episcopo, qui prius manum dexteram extendens, illam ponit tactu physico super caput cuilibet ordinando, dicens singulis: *Accipe Spiritum Sanctum* etc. Postea prosequitur extensam tenens manum eandem usque ad finem praefationis.

Instrumentum autem quod traditur est liber evangeliorum, quem Episcopus tradit unicuique dicens: *Accipe potestatem legendi evangelium* etc., illumque quilibet ordinandus manu dextera tangit.

Si forte aliquis ordinandus ad diaconatum librum istum non tetigisset, tunc S. R. C. (*16 Iun. 1837 Decr. 2776*) dixit, tutius esse defectum supplere opportuno tempore, caute et secreto, traditionem materiae cum prolatione suae formae repetendo. Hic quoque itaque non ex integro repetenda esset ordinatio.

709. Quid si Episcopus manum quidem imposuisset super caput ordinandi, sed *sine tactu physico* seu corporali? Cap. *Presbyter* dicit: « Pre« sbyter et Diaconus, cum ordinantur, manus impositionem *tactu corporali* « ritu ab Apostolis introducto) recipiant; quod si omissum fuerit, non « est aliquatenus iterandum, sed statuto tempore ad huiusmodi ordines « conferendos, caute supplendum quod per errorem extitit praetermissum ». Huius autem legis sensum explicavit S. C. S. O. sequentibus duobus decretis.

I. Quaesitum fuit: « Iuxta ius canonicum, in ordinatione presbyteri « et diaconi, impositio manuum fieri debet tactu corporali: quod si omis« sum fuisset, caute supplendum esset; sed dubitatur 1° Utrum, si facta « fuerit impositio manuum sine tactu corporali, suppleri debeat impositio « manuum *tactu corporali?* 2° In quantum affirmative, an rumor et mala « fama, quae inde obvenerit ordinanti, praesertim in his regionibus, esset « ratio sufficiens ad abstinendum? 3° Si suppleri debeat tactus corporalis, « an iteranda sint verba, quae simul ab Episcopo proferuntur cum impo« sitione manuum, praesertim in ordinatione diaconi, in qua verba *Accipe* « *Spiritum Sanctum* videntur multis esse forma sacramenti? 4° Utrum « possit suppleri tactus ille corporalis privatim, quando huiusmodi ordines « non conferuntur? » Responsum fuit: « Ad 1.um Affirmative. Ad 2.um « Negative. Ad 3.um Affirmative. Ad 4.um Affirmative et secreto in actione « missae atque etiam extra tempora Ordinationis ». (*14 Aug. 1851*).

II. Quum autem aliqui theologi primi subsellii docuissent satis esse supplere tactum physicum omissum, neque (forsan quia in *cit. Cap.* dicitur: *Non est aliquatenus iterandum*) oportere ut tota repeteretur ordinatio, eadem S. C. S. O. (*20 Ian. 1875*) contrarium definivit. En verba decreti: « Italus quidam Episcopus Sacrae Congreg. S. O. humiliter exponit, quod « cum annis ab hinc circiter quatuor optimo cuidam suae dioecesis sub« diacono diaconatus ordinem conferre vellet, in illius ordinatione pera« genda, manum utique dexteram et ad minimam quidem distantiam super « caput eius suspendit, quin tamen praedictum illius caput corporaliter « attingeret. Cumque mox hic defectus haud essentialis praedicto Episcopo « aliisque ecclesiasticis viris ab eodem consultis visum fuerit, eundem « clericum non ita multo post ad sacerdotalem ordinem promovit, quem « ipse clericus a tribus iam annis laudabiliter exercet. Verum illius defe« ctus recordatio magnam nunc eidem Episcopo anxietatem et de praedi« ctae diaconalis ordinationis validitate dubitationem affert. Ea propter « ipse R.mis EE. VV. duo haec dubia reverenter proponit. 1° An ad repa« randum praedictae ordinationis defectum *ordinatio tota* diaconatus in « illo sacerdote *sub conditione* iterari debeat. Et quatenus affirmative 2° An « haec ordinationis iteratio sub conditione fieri possit a quocumque catho« lico Episcopo secreto, quocumque anni tempore, etiam in sacello privato, « uti responsum est in quodam rescripto C. S. O. *28 Ian. 1835* ad repa« randum quemdam defectum impositionis manuum qui in ordinatione cu« iusdam presbyteri irrepserat? » Responsum fuit: « Ad utrumque affir« mative, facto verbo cum SS.mo. Eadem die SS.mus EE. DD. resolutionem « confirmavit, ac facultates omnes necessarias et opportunas impertiri dignatus est ». Apud *Monitore* (*IX.* II *230*).

710. In *Presbyteratu* manuum impositio est triplex. Prima fit ab Episcopo, et presbyteris (saltem tribus) assistentibus, dum scilicet Episcopus imponit simul utram-

que manum super caput cuiuslibet ordinandi successive, nihil dicens: idemque faciunt post eum iidem presbyteri assistentes.

Secunda (quae tamen potius dici deberet manus *extensio*, et *continuatio* primae) fit immediate post ab Episcopo iisdemque presbyteris, dum scilicet omnes tenent manus dexteras extensas super ordinandos; et Episcopus interim dicit: *Oremus, fratres carissimi* etc.

Tertia fit a solo Episcopo circa finem missae (simul cum iam ordinatis celebratam), dum scilicet Episcopus, imponit ambas manus super caput uniuscuiusque ordinati, atque, ad conferendam (supposita futura iurisdictione) facultatem absolvendi a peccatis, dicit: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata etc.*

711. Traditio autem instrumentorum intervenit ante missam, dum scilicet Episcopus tradit cuilibet ordinando successive calicem cum vino et aqua, et patenam superpositam cum hostia; et unusquisque illam accipit inter indices et medios digitos, ita ut cuppam calicis medio, simulque patenam indice tangat, dum Episcopus unicuique dicit: *Accipe potestatem offerre Sacrificium* etc.

712. In *Episcopatu* manuum impositio fit ab Episcopo consecratore aliisque duobus Episcopis assistentibus, qui ambabus manibus caput Consecrandi tangunt, dicentes: *Accipe Spiritum Sanctum.* De libro evangeliorum, qui imponitur super cervicem et scapulas Episcopi (et deinde ei traditur) vide dicta (*n. 703*); sed in praxi perinde esse ac si id quoque foret essentiale, dicit Génicot (*n. 428*).

713. *An tum impositio manuum, tum (in diaconatu et presbyteratu) traditio et tactus instrumentorum, sint de essentia in sacris ordinationibus; an vero sola impositio manuum vel sola traditio instrumentorum sufficiat?*

Practice standum est pro necessitate tactus instrumentorum (ita ut secus ordinatio ex integro esset repetenda); etsi theoretice loquendo sola manuum impositio essentialis esse videretur.

Theoretice enim loquendo, argumenta validissima suaderent, solam manuum impositionem esse de essentia; quandoquidem illa sola adhibetur in Ecclesia Graeca, et illa sola per novem saecula adhibita fuit in Ecclesia Latina; ut patet etiam ex Sacramentario Leonino, quod est antiquissimum

Rituale Romanum saeculi sexti, et in quo instrumentorum traditio nullatenus apparet; unde iam aperte constat quod tempore investiturarum tantummodo (ad illarum imitationem atque ut expressius collatio auctoritatis significaretur) huiusmodi mos adhiberi caepit. Sed nunquid Ecclesia Graeca est sine legitimo sacerdotio? Nunquid Ecclesia Latina quoque per tot saecula sacerdotio caruit? Insuper quaedam instrumenta (saltem liber Evangeliorum) tempore Apostolorum ne aderant quidem. Praeterea in sacris litteris de sola manuum impositione fit mentio. *Orantes imposuerunt manus (Act. VI). Ieiunantes et orantes imponentesque eis manus* etc. *(Act. XIII). Noli negligere gratiam, quae data est tibi cum impositione manuum presbyterii (I Tim. IV). Admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum (2 Tim. I).* Denique nonne etiam infantis, imo et hominis qui manibus careat, ordinatio valida censetur?

At vero in contrarium adducitur decretum Eugenii IV (editum in Concil. Florentino ad Armenorum instructionem), ubi dicitur: « Sextum « sacramentum est ordinis, cuius materia est illud per cuius traditionem « confertur ordo: sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino et « patenae cum pane porrectionem: diaconatus vero per libri evangeliorum « dationem ». Attamen argumentum istud firmitate carere censent multi (apud Bened. XIV *De Syn. VIII.* x *8)* dicentes: « Qua ratione potuisset « Eugenius IV definire in istrumentorum porrectione consistere essentiam « sacrae ordinationis postquam in eodem Concilio ad communionem admi- « serat Episcopos, sacerdotes et diaconos graecos, sola manuum impositione « ordinatos? Necesse est itaque fateri, Eugenium locutum de materia et « forma integrante et accessoria etc. ».

Sed in contrarium est certe Pontificale Romanum, ubi *(De Ordin. confer.)* dicitur: « Moneat (Episcopus) ordinandos quod instrumenta, *qui-* « *bus character imprimitur,* tangant ».

Insuper saltem esse dubiam ordinationem sine tactu instrumentorum peractam, patet ex multis S. Sedis (et praecipue S. C. S. O.) decretis, quorum aliqua infra referam.

Denique tactum instrumentorum exigi pro valido sentiunt Bellarminus, Estius, Scotus, Sotus, Vasquez, Salmant., Laymann aliique multi apud S. Lig. (*n. 749*), qui (*n. 750*) cum aliis communissime docet, hanc sententiam (quidquid sit de theoria) in praxi esse omnino tenendam: ne scilicet ordinationis valor (non sine consequentiis summi momenti, si de Presbyteratu et Episcopatu res sit) in discrimen coniiciatur.

714. Dices: Si iam certissimum est ordinationem sine tactu instrumentorum esse validam (ut apud Graecos et olim etiam apud nos, iuxta mox dicta *n. 713*) quomodo potest esse invalida aut dubia? Respondeo, potuisse Christum Dominum ita instituere sacramentum ordinis, ut ex variis materiis et formis aptis Ecclesiae relinqueret facultatem eligendi illam quae magis congrua videretur, atque etiam ita ut quae uno loco et uno tempore valida decernatur, alio loco vel alio tempore valida minime sit. Cf. Ballerini (*Op. th. De Ord. n. 15 et 16*). Equidem Benedictus XIV (*l. c. 10*) et S. Lig. (*l. c. n. 749*) huic quoque explicationi se opponunt; sed quo alio modo rem istam componimus? Exposita difficultas, meo sensu, talem ac tantam vim habet, ut pro certo tenendum sit, esse saltem probabile quod Christus facultatem istam Ecclesiae reliquerit.

715. *Quid itaque si in sacra ordinatione aliquid omissum, aut male aut cum defectu substantiali, administratum fuisset? Estne semper iteranda ordinatio?*

Notandum imprimis quod in sacris ordinationibus 1° Aliqua exiguntur certe pro valido. 2° De aliquibus aliis est dubium utrum necne ad validum pertineant. 3° Aliquid est quidem pro valido, sed ita ut respiciat solum facultatem superadditam, atque ideo eiusdem omissio ordinationi prius peractae non officiat. Vide supra *n. 710* v. *Tertia*. 4° Aliqua denique sunt solum de ritu; et ista subdividuntur; quaedam enim constituunt ritum valde significativum et momentosum (ut unctio manuum in presbyteratu); et alia sunt tantummodo caerimoniae minoris momenti.

716. His praenotatis, ad distinguendum (quod solum pro praxi interest) inter varios defectus quinam repetitionem ordinationis exposcant, et quinam non, valent sequentia.

I. Ordo est sacramentum quod (quum imprimat caracterem), si valide collatum fuerit, iterari non potest.

II. Potest autem, et ordinarie debet, repeti ordinatio, si invalida vel dubia fuerit. Ratio est 1° quia non licet exercere ordinem sacrum qui receptus non sit; 2° quia, si ageretur de presbyteratu vel episcopatu, consequentiae essent summi momenti; ut per se patet.

III. Si defectus invalidam aut dubiam reddiderit ordinationem, tunc ordinatio ipsa ex integro (si unio moralis amplius adesse nequeat) iterari debebit, sive absolute sive sub conditione, secundum quod invaliditas certa vel dubia fuerit.

IV. Si defectus facultatem superadditam tantummodo respexisset, tunc non tota ordinatio esset repetenda, sed solum pars omissa suppleri deberet.

V. Si denique defectus ad meram caeremoniam pertinuisset; tunc si ritus omissus fuisset valde momentosus (cuiusmodi, praeter dictam manuum unctionem in presbyteratu, foret etiam benedictio in ordinatione subdiaconi; atque, ut contra Ballerini dicit Lemkuhl, traditio vestimentorum, et recitatio canonis simul cum Episcopo in ordinatione presbyteri) defectus erit postea supplendus (Cf. *Cap. Pastoralis De Sacr. non iteran.*). Secus, si non adeo gravis momenti defectus extitisset.

VI. Defectus, per se loquendo, emendari deberet non

iam extra tempus, sed tempore pro ordinationibus ab Ecclesia designato, ut patet ex Cap. *Presbyter* (Cf. *n. 709*). Dixi *per se loquendo:* causae iustae enim (speciatim si defectus fuisset occultus, et dedecus Episcopi secuturum esset) facile efficient ut omnia possint vel debeant emendari secreto, atque etiam (si casus ita exigeret) secreti iuramento omnibus imposito. Data autem urgentia, etiam sine recursu ad S. Sedem Episcopus ad remedium procedere poterit.

VII. Denique defectus non solum ab illo Episcopo qui prius ordinavit, sed etiam a quovis alio (dummodo catholicus sit), emendari poterit. Idque verum est quamvis non de tota ordinatione repetenda, sed de partiali ritu supplendo ageretur; nec obstaret si tunc partim ab uno et partim ab alio sacramentum administraretur, ut notat Ballerini (*l. c. n. 36*).

717. *Veniendo ad* ***particularia circa presbyteratum,*** *quid notandum imprimis circa praedictas tres manuum impositiones?*

I. Etiam in presbyteratu in prima manuum impositione exigitur *tactus physicus;* idque probabiliter pro valido; atque ita ut secus ex integro repetenda esset ordinatio.

Patet ex supra relato (*n. 709*) cap. *Presbyter,* quod exigit tactum *corporalem,* et non solum ad diaconatum sed etiam (imo principaliter) ad presbyteratum refertur; et pro utroque ordine exigit ut, si omissus fuisset, suppleatur. Vidimus quod S. C. S. O. decrevit ordinationem repetendam esse *ex integro* sub conditione, et non sufficere manuum impositionem peractam quovis modo, sed exigi *tactum physicum* praecise. Neque dicas, hoc valere pro solo diaconatu; in praedicto enim cap. *Presbyter* et in pontificali eadem verba adhibentur pro utroque ordine, et ratio urget aequaliter (imo magis) pro presbyteratu. Sacra autem, Congreg. locuta fuit solum de diaconatu quia de illo solo interrogata fuit, non vero ut presbyteratum excluderet. Caute igitur legendi sunt theologi (inter quos Perrone, imo etiam S. Lig. *n. 749*) qui dicunt, esse certum quod prima manuum impositio pro valido minime exigitur. Et hoc confirmatur etiam ex decreto S. C. S. O. (*4 Iul. 1900*) apud Acta (*XXXIII 128*).

718. Certe tamen *sufficit tactus physicus mediatus.* De ordinatione facta tangendo pileolum, quo ordinandi caput operiebatur, S. C. S. O. (*22 Ian. 1890*) respondit: *Acquiescat.* (Apud *Monitore X.* 1 *19*). Idem dic si Episcopus chirothecas haberet.

II. Secunda quoque manuum impositio (seu potius manus dexterae extensio) super ordinandos, ita necessaria

est, ut, si omissa fuisset, ordinatio tota repeti deberet. Patet ex pluribus Sacrae C. S. O. necnon S. Poenitentiariae, declarationibus.

Quoad S. C. S. O. ea responsum *11 Iul. 1899* apud Acta (*XXXII 188*). *Quum non constet de extensione manuum saltem per momentum, sacram ordinationem privatim repetendam esse sub conditione, etiam extra tempora; et consulendum SS.mo ut actas forsan invalide positas, et praesertim missarum defectum, ex Ecclesiae thesauro sanare et supplere dignetur, contrariis non obstantibus quibuscumque.*

Alia duo decreta eiusdem S. C. *8 Iul. 1898* et *17 Mart. 1879* adsunt apud *Monitore* X. I *169* et X. II *104*. S. Poenitentiaria autem eodem modo respondit *31 Mart. 1888* apud Ballerini (*De Ord. 21*).

719. Attamen extensio manus, quae inadvertenter omissa fuisset, potest in ipsa ordinatione valide suppleri etiam ad Episcopo solo iterum pronunciante verba formae. Hoc tamen (et quidem pro valido) fieri deberet ante traditionem instrumentorum; non vero post. Patet ex sequentibus duobus decretis.

720. Quaesitum fuit. Episcopus utramque manum super caput cuiuslibet ordinandi posuit, quod et praesbyteri assistentes facerunt. Dum autem legeret orationem *Oremus fratres*, ex inadvertentia neque ipse neque presbyteri assistentes manus extensas super ordinandos habuerunt. Sacram functionem postea prosecutus est ad verba *Accipe iugum Domini* aptando stolam ante pectus in modum crucis. Quibus dictis *(et proinde ante traditionem instrumentorum)*, quum praeteritam omissionem advertisset, submissa voce, quin a circumstantibus audiretur, repetiit exhortationem *Oremus fratres* cum oratione sequenti, et ipse solus manus extensas habuit super ordinandos. Postea functionem reassumpsit ab illis verbis: *Accipe vestem sacerdotalem* etc. S. C. S. O. (*8 Iulii 1898*) decrevit: *Ordinationem in casu validam fuisse.* Apud *Monitore* (X. II *104*).

721. Quaesitum fuit: In ordinatione cuiusdam presbyteri, per inadvertentiam (Episcopus) praetermisit utramque manum super caput ordinandi imponere et manum dexteram extensam tenere, dum legebat exhortationem *Oremus fratres* etc.; quae omnia postea supplevit, quod et fecerunt presbyteri adstantes, una cum repetitione exhortationis.... S. C. S. O. (*3 Maii 1899*) respondit: *Dummodo in casu proposito repetitio formae et manuum duplex impositio facta fuerit ante instrumentorum traditionem, acquiescat.* Apud *Monitore* (XI. I *148*). Ratio est quia manuum impositio (utpote principalis) traditionem instrumentorum (utpote secundariam) praecedere debet.

Pro valido sufficit extensio momentanea, nec oportet ut fuerit continuata (S. C. S. O. *16 Sept. 1877*).

Imo sufficit si, forma expleta, Episcopus (tunc solum omissionem advertens), statim illam extenderit. Eadem enim S. C. S. O. (*14 Dec. 1898*) respondit: *Acquiescat* (apud *Monitore X.* II *265*). Ratio est quia sufficit quod inter materiam et formam adsit unio moralis.

722. *Tertia manuum impositio exigiturne revera pro valido?*

Praemittendum quod ordinandi in presbyteratu duas recipiunt potestates.

Prima est super corpus reale Iesu Christi (scilicet offerendi sacrificium missae); et ad hanc tertia ista manuum impositio (quae a solo Episcopo peragitur) certe non exigitur.

Ratio est quia ipsi potestatem offerendi sacrificium (per impositionem manuum presbyterii et traditionem calicis cum patena) iam acceperunt, illudque reapse (celebrando missam simul cum Episcopo) iam obtulerunt; unde in pontificali non amplius ordinandi sed *ordinati* dicuntur.

Secunda potestas est super corpus mysticum Christi (scilicet absolvendi a peccatis); et haec per tertiam manuum impositionem confertur.

Equidem S. Lig. (*n. 749*) ait: « Probabilior sententia dicit tradi « utramque potestatem sacrificandi et absolvendi per solam secundam ma- « nuum impositionem »; atque adeo non exigi tertiam. Addunt alii hanc tertiam esse non posse de essentia, quia in primis Ecclesiae saeculis non adhibebatur, et nihilominus sacerdotes tunc etiam certe utramque potestatem habebant. Cf. Benedictus XIV (*l. c. X n. 5*).

Sed dicendum quod haec etiam tertia manuum impositio probabiliter exigitur pro valido, ut ordinati (collata postea iurisdictione) absolvendi a peccatis potestatem habeant.

Patet 1° ex forma quae impositionem ipsam comitatur, illiusque effectum significat; dicit enim: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis; et quorum retinueris retenta sunt.* 2° Si potestas remittendi peccata iam prius collata fuisset, tunc verba ista frustra dicerentur. Patet 3° ex responso S. R. C. (*27 Maii 1840 n. 2836*), etsi enim haec impositio praestita fuisset et solum in verbis formae error accidisset (dicente Episcopo: *Quorum remiseris peccata retenta sunt; et quorum retinueris remissa sunt*), S. C. iussit suppleri sub conditione hanc manuum impositionem et respectivam formam sine praecedentibus caeremoniis (quacumque anni die, ab Episcopo quovis, induto de more ut in ordinatione, et sacrum faciente in suo privato oratorio). Circa obiectionem autem quod antiquitus haec impositio non adhiberetur, redeunt dicta (*n. 713*).

723. *Exigiturne pro valido ut tactus sit physicus etiam in hac tertia manuum impositione?* Quamvis tactus physicus in prima manuum impositione ita exigatur, ut secus ordinatio sit repetenda (ut dictum est supra *n. 717*), de tertia idem esse non videtur (et saltem dubium levissimum non obstaret).

Hac de re habemus sequens S. C. S. O. decretum.

Quaesitum fuit. In ordinatione cuiusdam presbyteri, ad formam *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata* etc., orator (Episcopus) ob scabiem, qua ordinandi caput infectum erat, involuntario quodam motu manus amovit, ita ut nullus daretur physicus contactus. Videtur oratori se caput ordinandi revera tetigisse initio prolationis formae, licet de hoc non omnino certus sit; S. C. respondit: *Orator acquiescat. (8 Iun. 1898)* apud *Monitore* (*X.* II *79*).

724. Quid si ordinandi essent duo et Episcopus manum unam super unum et alteram super alterum imposuisset, et semel dixisset in singulari: *Accipe Spiritum Sanctum* etc.? De validitate pro hac ordinationis parte esse dubitandum ego dicerem.

725. *Quid notandum in particulari* ***circa tactum instrumentorum?***

I. Ordinatio esset repetenda ex integro sub conditione etc. si in calice vinum, aut in patena hostia (illâ v. g. in terram delapsâ) non adfuisset. Ita S. C. S. O. quoad primum casum (*11 Ian. 1899*) apud *Monitore* (*XI 55*), et quoad secundum (*6 Iul. 1898*) *l. c.* (*X.* II *103*).

Lehmkuhl autem (*II 690, 5°*) dicit: « Invalida est ordinatio si in « porrectione instrumentorum verum vinum aut verus panis triticeus por- « rectus non sit ». Aqua tamen in vino exigeretur pro licito, sed (sicut in missa) non pro valido.

II. Non oportet ut hostia praecise tangatur. Pontificale dicit: « Tradit cuilibet successive calicem cum vino « et aqua, et patenam cum hostia, et ipsi illam (*scilicet* « *patenam*) accipiunt inter indices et medios, et cuppam « calicis et patenam simul tangunt ». Pontificale itaque tactum hostiae non exigit. Alias, nunquid etiam vinum tangi deberet? Cf. Ballerini (*Op. th. V.* VII *n. 28*).

III. Oportet ut calix sit consecratus (et idem dic de patena). Quamvis, speculative loquendo, hoc non videretur necessarium, et maxime si propter amissionem inaurationis (qui casus adeo facile et nemine advertente accidere potest) dissacratus evasisset; tamen S. Lig. (*n. 744*) dicit, practice agendum esse quasi talis ordinatio invalida foret. Cf. Génicot (*n. 429 VIII 4*).

IV. Oportet ut Episcopus *manu propria* instrumenta tradiderit; et in dubio ordinatio esset repetenda sub conditione. S. C. S. O. (*1 Aug. 1697*) apud Acta (*XXIX 561*). Aliud esset si de mero scrupulo ageretur.

V. Quamvis (a parte tam Episcopi tradentis, quam ordinandi accipientis) necessarius sit tactus physicus, tamen

sufficit certe pro valido tactus mediatus; si nempe manus chirothecis, aut calix velo coopertus fuisset. Cf. *Monitore* (*X.* I *19*).

VI. Quid si ordinandus patenam tantummodo, non vero calicem tetigisset? Pro valido, id sufficeret; qua de duo habemus decreta.

Primum est decretum S. R. C., sequentis tenoris: « Ad scrupulum « Fratris Ephrem, nempe se non tetigisse calicem in sua ordinatione ad « presbyteratum, S. R. C. (*3 Dec. 1661 n. 1221*) respondit: *Posse con-* « *tinuare celebrationem* SS. *Sacrificii absque ullo scrupulo et tuta prorsus* « *conscientia* ».

Secundum est decretum recentius adhuc magis explicitum sacrae C. S. O. (*17 Mart. 1897*), quae ad quaesitum ordinandi qui tetigit solum patenam calici superpositam, sed non tetigit calicem, etsi illum tetigere conatus fuisset; respondit: *Orator acquiescat.* Apud *Monitore* (*X.* I *28*).

VII. Ordinatio non esset repetendâ si ordinandus tetigisset calicem, etsi de tactu patenae certus non esset. Patet ex S. C. S. O. (*8 Maii 1895*) apud *Monit.* (*X.* I *19*), et (*7 Sept. 1897*) apud Acta (*XXX 281*) ubi S. C. dicit: *Acquiescat.*

726. *Quaenam notanda sunt in particulari* ***circa formam?***

I. Forma consistit in verbis quae manuum impositionem et traditionem instrumentorum comitantur, prout in pontificali.

Speciatim tamen circa presbyteratum advertere oportet quod, praeter verba *Oremus fratres carissimi* (quae comitantur manuum impositionem et tamquam essentialia communiter habentur), ad formam pertinere possunt etiam tum sequens oratio *Exaudi* etc. tum *Praefatio.* Cf. Ballerini (*l. c. 14*).

II. Formam invalidam reddi ob defectum substantialem per se manifestum est.

Id contingebat in ordinationibus anglicanis sub Rege Eduardo VI; Cf. Litteras Apostolicas Leonis XIII apud *Monitore IX.* II *175*).

De defectu probabiliter substantiali exemplum prostat supra *n. 722* v. *Sed.*

Sufficit unio moralis. Hinc non obstat validitati aliquod verbum interiectum, v. g. si Episcopus, incaepta forma, dixisset caeremoniario: *Nunquid aliquid male processit?* Illo autem rerpondente *Non,* formam prosecutus fuisset. Enimvero S. C. S. O. (*20 Apr. 1898*) decrevit: *Ordinationem in casu validam fuisse, ideoque acquiescat.* (Apud. *Monit. X.* II *51*).

Hac etiam ratione tamquam valida certe haberi deberet ordinatio illius, qui instrumenta tetigisset, sed dubitaret an id fecisset actu quo Episcopus formam proferebat. S. C. S. O. (*17 Dec. 1898*) apud *Monit.* (*X.* II *265*).

CAPUT III.

DE MINISTRO ORDINIS.

727. ***Quinam est*** *ordinis minister?*

I. **Pro valido** exigitur ut minister sit *Episcopus.*

Excipe primam tonsuram et ordines minores, qui ab Abbatibus relate ad suos subditos, et ab aliis sacerdotibus specialem habentibus a Summo Pontifice facultatem, conferri possunt.

Episcopus debet esse consecratus; si enim esset electus et confirmatus tantummodo, posset solum praebere licentiam subditis, ut ab alio Episcopo ordinarentur.

Si autem esset consecratus, nihil obstaret (quoad validum) si suspensus, vel dioecesi privatus, vel degradatus foret.

II. **Pro licito** alia exiguntur, et imprimis (ordinarie et praescindendo a casibus exceptionalibus, de quibus infra) exigitur sub gravi *ut sit Episcopus proprius* ordinandi.

728. *Quisnam est* ***Episcopus proprius?***

Episcopus proprius (iuxta const. *Speculatores* Innocent. XII) esse potest quatuor modis; scilicet ratione *originis*, vel *domicilii*, vel *beneficii*, vel *familiaritatis*. Nunc autem quintus modus, nempe ratione *excardinationis et incardinationis* superadditur. Sed haec sunt explicanda.

729. *Ratione* ***originis;*** si nempe in eius dioecesi ordinandus sit natus.

Notandum quod unusquisque (fictione iuris) consideratur natus in domicilio paterno, etsi fortuito casu (v. g. occasione itineris, officii, mercaturae etc.) alibi natus fuisset.

Si ordinandus esset filius vagorum, vel illegitimus, vel expositus, vel derelictus, vel filius infidelium; de his casibus vide Ballerini (*Op. th. de Ord. 40*).

730. *Ratione* ***domicilii.*** Non consideratur quasi-domicilium, sed (quoad ordines) exigitur *verum domicilium*, et quidem ita ut ordinandus, qui ratione originis sit alterius dioecesis, interdum (ut statim explicabitur)

iurare debeat se animum habere non per aliquod tempus dumtaxat, sed perpetuo in loco manendi.

Oportet insuper ut vel a decennio ibi commoretur, vel summam rerum suarum ibi retineat atque a tempore notabili habitationem fixam habeat. Si autem ordinandus non esset emancipatus et habitaret cum patre, tunc sufficeret quod pater ipse transferendo summam rerum suarum etc. signa dedisset perpetuum domicilium in loco figendi; nec opus esset ut ille praedictum iuramentum emitteret, si iam a longo tempore ibi habitasset.

Hinc sedulo notandum quod (seclusa incardinatione formali) sola promissio et obligatio, etiam iurata, se constituendi subditum et remanendi perpetuo sub Episcopi potestate, non sufficeret; sed oporteret ut verum domicilium *modo praedicto* iam contractum fuisset. Cf. Ballerini (*l. c. 2° et 3° in fin.*).

731. *Ratione* ***beneficii;*** si nempe ordinandus habeat beneficium in dioecesi ubi ordinatur.

Non sufficit capellania *laicalis*, sed exigitur verum beneficium, etsi posset esse simplex, dummodo sustentationi (detractis oneribus) plane sufficeret, quin liceat eius defectum aliter supplere per adiectionem, v. g. patrimonii.

Dicunt tamen sufficere beneficium amovibile, dummodo in casu amotionis, perpetuae sustentationi aliter canonice esset provisum. Ballerini (*l. c.*).

732. *Ratione* ***familiaritatis;*** si nempe ordinandus, saltem per triennium integrum et continuum, deservierit Episcopo habenti populum et clerum, eiusque sumptibus vixerit.

Deberet autem Episcopus ordinans, saltem intra mensem a die ordinationis, beneficium sustentationi sufficiens ei conferre; nec sufficeret patrimonium aut pensio. Beneficio autem non collato, ordinatus nequiret promoveri ad ordines superiores, et, si *in sacris* ordinatus fuisset, ad S. Poenitentiariam recurrere deberet.

733. *Ratione* ***excardinationis et incardinationis;*** si nempe ordinandus legitime excardinationem a propria dioecesi, et incardinationem in alia, ubi ordines recipere vult, obtinuerit.

Hoc autem accidit quando clericus plenam et perpetuam dimissionem a suo Ordinario obtinet, simulque in alia dioecesi adscriptionem assequitur; unde cessat esse subditus prioris Episcopi, et novi subditus redditur.

Hic est titulus novus, prius quidem vi cuiusdam consuetudinis (Cf. *Monitore XV 487*), et novissime (scilicet per decretum S. C. C. *20 Iul. 1898*) in iure canonico introductus.

Regulae, in eodem decreto statutae (Cf. *Monitore X.* II *121*), sunt sequentes.

734. Decretum dicit. I. Excardinationem fieri non licere nisi iustis de causis, nec effectum undequaque sortiri, nisi incardinatione in alia dioecesi executioni demandata.

II. Incardinationem faciendam esse ab Episcopo non oretenus, sed in scriptis, absolute et in perpetuum, id est nullis sive expressis sive tacitis limitationibus obnoxiam; ita ut clericus novae dioecesi prorsus mancipetur, praestito ad hoc iuramento ad instar ad illius quod Constitutio « *Speculatores* » pro domicilio acquirendo praescripsit.

III. Ad hanc incardinationem deveniri non posse, nisi prius ex legitimo documento constiterit alienum clericum a sua dioecesi fuisse in perpetuum dimissum, et obtenta insuper fuerint ab Episcopo dimittente, sub secreto, si opus sit, de eius natalibus, vita, moribus ac studiis opportuna testimonia.

IV. Hac ratione adscriptos posse quidem ad ordines promoveri; sed, quum nemini sint cito manus imponendae, officii sui noverint esse Episcopi, in singulis casibus perpendere, an, omnibus attentis, clericus adscriptus talis sit, qui tuto possit absque ulteriori experimento ordinari, an potius oporteat eum diutius probari. Et meminerint quod, sicut « nul« lus debet ordinari qui iudicio sui Episcopi non sit utilis aut necessarius « suis ecclesiis » ut in *cap. 16 sess. 23 de reform.* Tridentinum statuit, ita pariter nullum esse adscribendum novum clericum, nisi pro necessitate aut commoditate dioecesis.

V. Quo vero ad clericos diversae linguae et nationis, oporteret ut Episcopi in iis admittendis cautius et severius procedant, ac numquam eos recipiant nisi requisiverint prius a respectivo eorum Ordinario, et obtinuerint secretam ac favorabilem de ipsorum vita et moribus informationem, onerata super hoc graviter episcoporum conscientia.

VI. Denique quoad laicos, aut etiam quoad clericos, qui excardinationis beneficio uti nequeunt vel nolunt, standum esse dispositionibus Const. « *Speculatores* »; quae, nihil obstante praesenti decreto, ratae ac firmae semper manere debent.

735. *Quid si ordinandus tempore notabili* ***alibi moratus fuerit?*** Sedulo notandum quod Episcopus aliquo ex praedictis modis proprius, si forte ordinandus per semestre (et, in casu militiae, per trimestre) alibi fuerit, indiget litteris *testimonialibus* Ordinarii vel Ordinariorum, in quorum dioecesibus fuit commoratus; quibus pateat eum bonis moribus vitam duxisse nullumque illuc contraxisse impedimentum. Patet ex decreto S. C. C. (*9 Sept. 1893*) apud *Monitore* (*Vol. VIII.* I *169*), et ex instruct. S. C. Disciplinae Regularis (*27 Nov. 1892*) apud *Monitore* (*VII.* II *243*). Idque exigitur sub poena suspensionis ad annum ab Episcopo incurrenda, ut in Bulla *Apostolicae Sedis* etc. Quatenus autem dictae litterae testimoniales plenum testimonium non redderent (eo quod Episcopus informationes adaequatas capere non potuisset), tunc providendum esset per iuramentum suppletorium;

sed obtenta prius speciali facultate a S. Sede. Ita S. C. C. (*26 Ian. 1895*) apud Acta (*Vol. XXVIII pag. 45*).

736. Praedictum semestre vel trimestre (ut adsit obligatio petendi sub poena suspensionis praefatas *testimoniales*) debet esse moraliter continuum, secus enim iuramentum suppletorium exigitur et sufficeret, ut ab Episcopo suspensio non incurratur. Decr. S. C. C. (*25 Iunii 1904*) apud *Monitore* (*XVI 246*).

Litterae autem testimoniales de natalibus et aetate semper petendae sunt ab Episcopo originis.

737. *Si ordinandus fuerit* ***militiae adscriptus,*** *estne aliquid aliud notandum?*

I. Sub vero et rigoroso praecepto exigitur ut ad ordines maiores non promoveatur nisi expleto servitio militari. S. C. S. O. (*31 Aug. 1904*) apud *Monit.* (*XVI 289*).

II. Quoad annum *voluntariatus* et alias, cautelas vide supra (*Vol. IV 749 in fin.*), et *Monitore* (*l. c. 275*).

738. *Quid* ***de casibus exceptionalibus,*** *in quibus Episcopus ordinare potest aliquem, qui* ***nullo ex praedictis quinque modis sit proprius subditus?*** Casus huiusmodi sunt tres: 1° Si licentiam habeat ab illius Ordinario, prout fit per litteras dimissorias (quibus testimoniales adiunguntur). 2° Si ordinandus sit Regularis. 3° Si proprius ordinandi Episcopus esset suspensus, eo quod ordinasset clericos alienae dioecesis sine dimissoriis.

739. *Quid notandum circa* ***dimissorias?***

I. Dimissoriae valent pro proxima ordinatione vel ad trimestre; non vero tempore indefinito.

II. Vicarius generalis nequit illas dare nisi habeat mandatum speciale, vel Episcopus longe absit.

III. Vicarius capitularis nequit in primo anno dare dimissorias ad ordines, nisi arctatis; iis scilicet qui habent beneficium vel nominati sunt ad beneficium (etsi simplex) quod ordinem intra annum exigat.

Dixi *ad ordines;* potest enim ad primam tonsuram. Dixi *in primo anno;* elapso autem anno, potest quidem dare dimissorias, sed (quoad subdiaconatum) illis tantummodo qui titulo beneficii (non vero pensionis vel patrimonii) ordinantur.

740. *Quid circa Episcopum ordinantem et dimissorias si ordinandi essent* ***Regulares?***

N. B. Quae hic dicuntur, probantur partim ex iure veteri (ut videre est apud Acta *XXXI 724*), et partim ex novissimo decreto *Auctis admodum 4 Nov. 1892* (apud Acta *XXV 312*), quod editum fuit pro novis congregationibus votorum simplicium.

I. Regulares generatim, seposito Episcopo originis, ordinandi sunt ab Episcopo loci in quo est monasterium, ubi sunt de familia.

II. Habere debent dimissorias a proprio superiore regulari.

III. Si Episcopus dioecesanus abesset, vel non esset habiturus ordinationes, vel sedes episcopalis vacaret, tunc posset superior regularis dare dimissorias ad quemcumque alium Episcopum, dummodo ex industria huiusmodi circumstantia expectata non fuisset. Exigitur autem necessario testimonium authenticum cancellarii dioecesani quod de praedictis fidem faciat.

IV. Quidam regulares (v. g. Societatis Iesu) habent privilegium recipiendi ordinationes a quocumque Episcopo catholico, quin teneantur ad dioecesanum recurrere.

V. Quum hodie novitii professioni praemittere debeant triennium votorum simplicium, eodem durante triennio, nequeunt *in sacris* ordinari (deficiente adhuc titulo religiosae paupertatis professae).

VI. Alumni tamen Societatis Iesu ordinari possunt *in sacris,* quamvis adhuc sola vota simplicia (cum quibus valde ultra triennium remanent) emiserint (attamen transacto primo triennio).

VII. Quae de regularibus dicta sunt, non sunt applicanda piis congregationibus, quae perpetuo sola vota simplicia profitentur. Pro his tamen indulta specialia adesse solent; unde etiam illorum superiores generales tunc dimissorias concedere possunt.

741. *Quaenam exiguntur* ***insuper pro licito*** *ut Episcopus ordines conferre possit?*

Praeter plura alia quae infra (ubi de subiecto) exponentur, exigitur 1° ut nemo ordinetur *per saltum* (ei scilicet conferendo ordinem superiorem praetermisso inferiore). Et de hoc vide etiam supra dicta (*n. 704*). 2° Ut

duo ordines sacri, vel quatuor minores simul cum subdiaconatu, eodem die nemini conferantur. 3° Ut serventur *interstitia*. 4° Ut tempus ab Ecclesia determinatum necnon locus debitus debitusque apparatus servetur. Haec sunt explicanda.

I. Ordinatus *per saltum* prohibetur in ordine suscepto ministrare donec ordinem omissum acceperit. Olim aderat vera suspensio (cuius violatio irregularitatem inducere poterat); sed in const. *Apostolicae Sedis* haec suspensio non amplius adest. Et idem dic de eo qui duos ordines sacros *eadem die* suscepisset.

II. *Interstitia* quoad ordines minores sunt ab uno die festivo ad alium. Annus autem (nempe annus ecclesiasticus v. g. ab uno sabbato sancto ad aliud sabbatum sanctum) inter acolytatum et subdiaconatum, item inter subdiaconatum et diaconatum, atque inter diaconatum et presbyteratum, intercedere debet.

742. Episcopi, vicarii capitulares, imo etiam (si habeant mandatum generale) vicarii generales ab interstitiis dispensare possunt.

743. Sed quid de causa, ut dispensatio ab interstitiis concedi possit? Ad dispensandum ab interstitio anni inter acolytatum et subdiaconatum, atque inter diaconatum et presbyteratum causa maior, et praecise *necessitas aut utilitas Ecclesiae* exigitur (Trid.). Causa minor (v. g. favor clerico digniori praestandus, vel commodum studiorum, aut valetudinis curandae etc.) sufficit ad dispensandum ab interstitiis inter subdiaconatum et diaconatum; et a fortiori inter unum et alterum ordinem minorem. Imo pluribus in locis, quoad ordines minores, introducta est consuetudo ut eodem die omnes simul conferantur (quin de causa quidquam cogitetur); et idem dic de collatione primae tonsurae simul cum uno vel altero ordine minori.

Iudicium de sufficientia causae spectat semper ad Ordinarium, etiam quoad Regulares; nisi exemptionis ab interstitiis ab Apostolica Sede privilegium habeant.

III. *Tempora iure canonico detesminata* pro ordinibus conferendis sunt sabbata quatuor temporum, sabbatum ante dominicam passionis, et sabbatum sanctum. Hac in re Epi-

scopi non possunt dispensare, sed indultum apostolicum exigitur, quo datur facultas ordines conferendi *extra tempora,* dummodo die dominico vel festivo de praecepto.

Ordines minores autem iure ordinario conferri possunt quolibet die dominico vel festivo de praecepto. Eiusmodi autem censentur etiam dies, quae erant de praecepto ante reductionem, dummodo adhuc fideles ad missam audiendam teneantur. Facultas tamen ordinaria conferendi ordines minores extra sabbata quatuor temporum intelligitur sub duabus conditionibus, 1° ut conferantur ante meridiem ; 2° ut ordinatio sit restricta, ut scilicet non habeat speciem ordinationis generalis pro omnibus clericis dioecesis. Alicubi tamen adest consuetudo immemorabilis conferendi ordines minores feria IV vel VI quatuor temporum (loco sabbati) atque etiam post meridiem : quae consuetudo est tolerabilis.

Notandum quod **Regulares habent privilegium suscipiendi ordines sacros *extra tempora*.** Si tamen Episcopus Diocesanus aliquo impedimento detentus annuere recusaret, non ideo ad alium Episcopum recurrere possent : sed hoc liceret solum si Episcopus dioecesanus nequidem ordinationem generalem immediate subsequentem tenere posset. Cf. *Monitore* (*XVI pag. 275*).

Prima tonsura qualibet die et hora dari valet.

Consecratio Episcopi qualibet die dominica vel festiva de praecepto locum habere potest.

744. Quoad *locum,* prima tonsura, et ordines minores conferri possunt ubique (scilicet in qualibet ecclesia vel sacello). *Pontificale.*

De ordinibus maioribus Tridentinum (*XXIII.* VIII) dicit : « Ordinationes sacrorum ordinum... in cathedrali « ecclesia, vocatis praesentibusque ad id ecclesiae canoni- « cis, publice celebrentur : si autem in alio dioecesis loco « (praesente clero loci) dignior, quantum fieri poterit, « ecclesia adeatur ».

Hoc tamen esse intelligendum de sola ordinatione generali opinatur Lucidi (*I 127*) referens decis. *29 Nov. 1592* sequentis tenoris: « S. C. cen- « suit, quod si non fuerit ordinatio generalis, sed tantum aliquarum per- « sonarum, potest ubique Episcopus eam habere, etiam in capella sua « privata ».

IV. Tandem, quod spectat *ad apparatum*, ordines sacri (et idem dic de episcopatu) intra missam conferendi sunt, atque ita ut idem sit celebrans et ordinans.

Et haec non pro valido exiguntur, sed pro licito: attamen sub gravi. Missa autem cum insignibus pontificalibus celebranda est.

Ordines minores extra missam conferri possunt, sed ita ut Episcopus stolam et mitram habeat.

De his omnibus Cf. Ballerini (*l. c.*).

CAPUT IV.

DE ORDINIS SUBIECTO.

ARTICULUS I.

Quid a parte subiecti exigatur et sufficiat pro valido.

745. Exigitur et sufficit ut 1° sit masculus; 2° sit baptizatus; 3° (si sit rationis compos) intentionem habeat.

Quod autem valida sit ordinatio infantis, quia agitur solum de collatione potestatis, quae collatio actus subiecti non exposcit (secus ac accidit in poenitentia et matrimonio), vide Ballerini (*l. c. 69*), qui subdit, id de Episcopatu quoque esse verum.

746. Dantur personae monstruosae quae participant de utroque sexu. Invalida esset ordinatio 1° si ita praevaleret sexus foemineus ut de virili adesset solum aliqua apparentia accidentalis, et persona in substantia esset foemina et non vir; 2° si persona esset verus vir simulque vera foemina; quum enim maxime dedeceat foeminam ad ordines promoveri, credendum est ita hoc sacramentum a Christo institutum esse, ut illius incapax sit qui utcumque verum sexum foemineum habeat (Sanchez *De Matr. VII. CVI 10*); et, loquendo de ordinibus qui sunt institutionis ecclesiasticae, nequit esse intentio Ecclesiae ut personis huiusmodi valide administrentur. In dubio autem an persona sexum foemineum habeat, non poterit licite ordinari (tamquam irregularis); sed validitas ordinationis a rei veritate pendebit; dubioque persistente post ordinationem, sacramentorum administratio erit, si persona sit vere foemina, invalida; et (propter periculum) excepto casu magnae necessitatis, illicita. Baller. (*l. c. n. 68*). Sed quid si quis certe nullum sexum haberet, et nec vir nec foemina esset? Tunc praedicta magna indecentia et proinde ratio invaliditatis deficere videretur.

Curiosa est quaestio, si quis, dum ordinatus fuit, fuisset vir, et postea evasisset foemina. Validene missam celebraret et sacramenta administraret? Negat Lugo (*Resp. mor. I.* XXXI); sed, secluso miraculo, casus viri qui foemina evadat est impossibilis.

747. *Quoad* ***intentionem*** *quid si ordinandus quammaxime scrupulosus* ***in corde suo recusasset suum consensum ordinationi presbyterali,*** *et absolute statuisset nolle ordinari, et solum ex respectu humano externe omnia praestare?* Quamvis huius rei causa fuisset scrupulus internus, qui omnino sperni debuisset, tamen scrupulus iste defectum intentionis omnino necessariae produxisset, aut saltem de hoc defectu graviter timendum esset. Hinc S. C. S. O. (*28 Nov. 1900* apud Acta *XXXIII 374*) decrevit: *Ordinationem esse iterandam ex integro sub conditione.*

ARTICULUS II.

Quid a parte subiecti exigatur pro licito.

Exigitur 1° immunitas a censuris; 2° status gratiae; 3° ut exercitia spiritualia peracta fuerint; 4° ut ordo praecedens exercitatus fuerit; 5° ut peractae fuerint publicationes; 6° ut habeatur animus clericandi; 7° ut habeatur titulus sustentationis; maxime vero exigitur 8° ut subiectus a quavis irregularitate sit immunis.

748. *Quid de* ***immunitate a censuris?*** Immunitas ista, sicut immunitas ab irregularitatibus (de quibus infra), certe exigitur sub gravi et *sub poena excommunicationis.*

Patet quia, antequam ordinatio incipiat, Pontificale praescribit ut archidiaconus sequens monitum faciat: « Rev.mus in Christo Pater et Do« minus.,. Episcopus *sub excommunicationis poena* praecipit et mandat « omnibus et singulis, pro suscipiendis ordinibus hic praesentibus, ne « quis forsan eorum irregularis, aut alias a iure vel ab homine excommu« nicatus, interdictus, suspensus, spurius, infamis, aut alias a iure prohi« bitus, sive ex aliena dioecesi oriundus sine licentia sui Episcopi, aut « non descriptus, examinatus, approbatus et nominatus, ullo pacto audeat « ad suscipiendos ordines accedere ».

749. *Quid itaque si irregularis, vel suspensus etc. ad ordines suscipiendos accederet? Ordinatio* ***essetne valida?***

Respondet Bened. XIV (*De Sacrif. Missae L. III Cap. X*) certe esse validam si monitum fiat iuxta praedictos terminos Pontificalis tantummodo; bene vero esse invalidam si Episcopus, ultra eosdem limites procedendo, per edictum publicum aut quovis alio modo declarasset sibi

non esse intentionem ordinandi eum, qui aliquo canonico impedimento detineretur.

Excipe nisi constaret, Episcopum ad merum terrorem sic dixisse vel actu ordinationis propositum revocasse.

In dubio autem, ordinatio sub conditione (si casus ita ferret) esset iteranda. Caute igitur legendi sunt auctores qui absolute et sine ulla exceptione pro validitate stant. Cf. S. Lig. (*n. 784*).

750. *Quid* ***de statu gratiae?*** Status gratiae certe requiritur sub gravi pro diaconatu, presbyteratu, et episcopatu (sunt enim sacramenta): requiritur etiam sub gravi pro subdiaconatu (saltem propter necessitatem eucharistiam suscipiendi).

Quoad ordines minores autem et primam tonsurum, status gratiae exigitur solum sub levi. Giribaldi (*IV 30*), Ballerini (*l. c. 70*) etc.

751. *An praeter statum gratiae et immunitatem ab irregularitate, suspensione etc.,* ***habitualis et excellens vitae sanctitas,*** *non solum externa sed etiam interna, in ordinandis sub gravi exigatur?*

Episcopi certe a Tridentino (*XXIII.* v *et seq.*) admonentur, ut illos tantummodo, qui habitualem vitae bonitatem praeseferunt, ad ordines admittant; maioremque sanctitatem in ordinandis *in sacris*, et maxime quoad sacerdotium, exigant.

En verba Tridentini: « Ad minores ordines promovendi bonum a « parocho... testimonium habeant... ita de gradu in gradu ascendant, ut « in eis cum aetate vitae meritum :... accrescat; quod et bonorum morum « exemplum, et assiduum in Ecclesia ministerium, atque maior erga pre- « sbyteros et superiores ordines reverentia, et crebrior, quam antea, Cor- « poris Christi communio maxime comprobabunt... Quando Episcopus ordi- « nationem facere disposuerit, omnes qui ad sacrum ministerium accedere « voluerint... ad civitatem evocentur. Episcopus autem, sacerdotibus... sibi « adscitis, ordinandorum genus, personam, aetatem, institutionem, *mores*, « doctrinam et fidem diligenter investiget et examinet... Sciant Episcopi non « singulos in ea (canonica) aetate constitutos debere ad hos ordines (sa- « cros) assumi; sed dignos dumtaxat et quorum probata vita senectus sit... « subdiaconi et diaconi ordinentur habentes bonum testimonium et in mi- « noribus ordinibus iam probati..., qui sperent, Deo auctore, se continere « posse... Qui pie et fideliter in ministeriis anteactis se gesserint, et ad « presbyteratus ordinem assumuntur, bonum habeant testimonium... atque « ita pietate et castis moribus conspicui (sint), ut praeclarum bonorum « operum exemplum et vitae monita ab iis pessint expectari ». Ita Triden- num quoad obligationem Episcopi.

Dicit autem Iordaninius (*Istruz. per i novelli conf. II.* III *n. 65*): « Non « credimus quod in verbis Tridentini (*circa conspicuitatem et senectutem « in virtutibus*) contineatur praeceptum, sed monitum dumtaxat et regula « prudentialis ».

An autem ordinandus veram et gravem habeat obligationem abstinendi ab ordinibus suscipiendis, nisi habitualiter a peccatis *etiam occultis* abstineat; ita ut secus confessarius ei ordines sacros suscipere volenti absolutionem denegare debeat, Benedictus XIV (*De Syn. XI.* II *n. 17*), relatis oppositis sententiis Iordaninii ex una parte, et S. Ligorii ex alia, concludit: « Nullam suppetere ge-« neralem regulam, quae in huiusmodi casibus indistincte « ab eo (confessario) adhiberi valeat. Quare non aliud con-« silium eidem praeberi posse censemus, quam ut omnia « personae, rerum et casuum adiuncta diligenter perspi-« ciat et mature perpendat.

752. *Quid de* ***exercitiis spiritualibus?***

Innoc. XI (*3 Oct. 1862*) mandavit ut omnes Italiae et insularum adiacentium Episcopi exigerent ut ordinandi per decem dies exercitia spiritualia sacris ordinationibus praemitterent.

Sacra autem Congregatio Concilii Episcopos omnes hortari non desinit, ut neminem ad sacros ordines admittant qui spiritualia exercitia, in aliqua domo religiosa prius, saltem per octo dies, non peregerit.

Consuetudo autem est ut, quoad ordines minores, tribus tantummodo aut quatuor diebus ordinandi in hoc sacro secessu detineantur. Lucidi (*I Cap. III § 13 n. 429*).

753. *Quid* 1° *de* ***exercitio ordinis praecedentis;*** 2° *de* ***publicationibus;*** 3° *de* ***animo clericandi?***

I. *Exercitium ordinis praecedentis* praescribitur a Tridentino (*XXIII.* XI. XIII): non tamen existimatur obligatio gravis: hodie passim exigitur solum pro ordinibus maioribus. Scavini (*III 557*).

II. *Publicationes* exiguntur pro ordinibus maioribus, iubente Pontificali ut nomina ac desiderium eorum qui volunt promoveri ad singulos maiores ordines publice in Ecclesia proponantur. Fideles autem admoneri debent de obligatione denuntiandi impedimenta canonica, si quae adesse scirent.

III. *Animus clericandi* est intentio ducendi vitam clerico convenientem. Trid. dicit: « Prima tonsura non « initientur... de quibus probabilis coniectura non sit, eos, « non saecularis iudicii fugiendi fraude, sed ut Deo fide-« lem cultum praestent, hoc vitae genus elegisse ».

Fit quaestio an peccet 1° qui initiatus in minoribus uxorem ducat; 2° qui suscipiens ordinem inferiorem non velit ad superiorem ascendere, sed ibi manere; 3° qui, suscipiendo primam tonsuram, intentionem habeat remanendi in statu clericali solum ad tempus, et postea ad statum laicalem redeundi? Ballerini (*Op. th. De Ord. 73. 77*) sic respondet.

Ad I.um Negative; ante subdiaconatum enim clerici sunt in experimento et probatione, atque adeo quoad hoc adhuc liberi remanent. Imo possunt clericalem statum conservare (cum privilegiis etc.) etsi coniugati forent, dummodo tonsuram vestesque clericales deferant, alicui ecclesiae servitio sint addicti, et cum unica virgine contraxerint. (Attamen, res huiusmodi apud nos non usuvenit).

Ad II.um Negative. Excipe casum beneficiati, cuius beneficium ordinis sacri receptionem exigat, (Cf. Ballerini *l. c. Tr. IX n. 88*).

Ad III.um Negative, dummodo habeat intentionem muneri suo satisfaciendi donec clericus erit; iustam et rationabilem habeat causam tum suscipiendi tonsuram tum remanendi in statu clericali solum ad tempus.

754. *Quid de* ***titulo sustentationis?***

I. Titulus sustentationis *est provisio sufficiens* ante promotionem ad subdiaconatum ab Episcopo recognita et non inferior summae a taxa dioecesana determinatae, qua ordinandus donec vixerit honestam sustentationem habere possit.

II. Certe exigitur sub gravi.

Trident. (*XXI.* II) dicit: « Cum non deceat eos, qui divino ministe« rio adscripti sunt, cum ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem « quaestum exercere; compertumque sit complures.... ad sacros ordines.... « admitti, qui variis artibus ac fallaciis confingunt se beneficium eccle« siasticum, aut etiam idoneas facultates obtinere, statuit S. Synodus ne « quis deinceps clericus *saecularis*.... ad sacros ordines promoveatur, nisi « legitime constet eum *beneficium* ecclesiasticum, quod sibi ad vitam ho« neste sufficiat, pacifice possidere. Id vero beneficium resignare non pos« sit, nisi facta mentione, quod ad illius titulum sit promotus; neque ea « resignatio admittatur, nisi constito quod aliunde vivere commode possit; « et aliter facta resignatio nulla sit. *Patrimonium* vero vel *pensionem* « obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi, quos Episcopus iudi« caverit assumendos pro necessitate vel commoditate ecclesiarum suarum, « eo quoque prius perspecto patrimonium illud vel pensionem vere ab eis « obtineri, taliaque esse, quae eis ad vitam sustentandam satis sint; at« que illa deinceps sine licentia Episcopi alienari aut extingui aut remitti « nullatenus possint, donec beneficium ecclesiasticum sufficiens sint adepti, « vel aliunde habeant unde vivere possint, antiquorum canonum poenas « super his innovando ».

III. Si Episcopus scienter ordinaret in sacris clericum qui sufficientem sustentationis titulum non haberet, illum de proprio alere teneretur. Adde suspensionem in quibusdam casibus a const. *Apostolicae Sedis* indicatis (ut supra *n. 188 II.* IV).

Quomodo autem ipse ordinatus evadere posset irregularis, mox infra (de irregularitatibus) videbimus.

IV. In quibusdam dioecesibus titulus sustentationis exigitur iam inde a prima tonsura; sed ordinarie exigitur solum ad recipiendum subdiaconatum, ut dixi.

V. Taxa sive lege synodali sive consuetudine dioecesana determinari potest.

Episcopus nequit illam mutare, nec unquam esse contentus summa minori, nisi de differentia modica (et certe minori quinta parte) ageretur. Cf. Scavini (*III 670. 4*).

VI. Titulus sustentationis potest esse multiplex; clericus enim ordinari potest titulo 1° beneficii; 2° pensionis; 3° patrimonii sacri; 4° capellaniae; 5° paupertatis religiosae.

Per speciales autem S. Sedis concessiones, quis ordinari potest titulo 1° communis mensae; 2° missionum; 3° mensae privatae; 4° servitii Ecclesiae; 5° sufficientiae; 6° massae communis dioecesanae. Haec omnia paullo infra explicabuntur.

VII. Nihil vetat quominus partim ex una re et partim ex alia (si una non sufficiat) titulus constituatur, v. g. partim ex beneficio, partim ex pensione etc.

VIII. Titulus debet esse 1° Verus, non autem illusorius, v. g. quia factum fuerit pactum occultum, nihil exigendi, aut quia bona, quibus constituitur, obligata sint aliis. 2° Integer; qui nempe habeat redditum, saltem iuxta praedictam taxam, liberum a tributis aliisque expensis. 3° Ad vitam ordinandi aut donec ille congrue aliter provideatur. 4° Tutus et pacificus: non vero periculis expositus aut litigiosus.

755. *Praeter haec generalia, quid specialiter notandum de titulo* ***beneficii?***

Si beneficium gravaretur onere missarum, et hac de causa non haberet redditum liberum taxae dioecesanae correspondentem, an tale beneficium titulum legitimum constituere possit, S. C. C. (*17 Iul. 1723*) arbitrio et conscientiae Episcopi decisionem reliquit, qui circumstantias perpendere debebit.

Aliud enim est si missae sint multae (quae totum aut fere totum redditum absorbeant, ut in capellania), et clericus sit pauper et infirmae salutis cum periculo quod non valeat celebrare per se ipsum; et aliud si sit sanus, vel dives, aut si missae sint paucae etc.

Benedictus XIV (*Inst. XXVI 6*) dicit habendam esse rationem etiam indolis et pietatis ordinandi, ne forte ad satisfaciendum oneri beneficii sine amissione emolumentorum celebraturus sit absque debitis dispositionibus, sicut contingit in illis qui (ut dicebat Bellarminus) *de celebratione missae faciunt artem de pane lucrando, unde Sacerdotium contemptibile redditur, et Ecclesia scandalis patet.*

756. *Estne aliquid specialiter notandum circa titulum* ***pensionis?*** 1° Hic titulus (sicut et titulus patrimonii) valet solum pro illis clericis a quibus vera utilitas sperari potest, ut dicit Tridentinum. 2° Pensio ab Episcopo favore clerici super aliquo beneficio reservata, pro titulo ordinationis non sufficit, quia non est perpetua et pendet a vita beneficiati qui ante pensionatum mori posset.

757. *Quid in particulari de titulo* ***patrimonii sacri?*** 1° Patrimonium sacrum constitui potest solum ex bonis certis, stabilibus et fructiferis; vel ex iure ad redditum annuum, sumpta hypotheca. 2° In patrimonio sacro debet remanere pars canonice sufficiens, quae sit prorsus libera ab aliis debitis.

Scripsit Benedictus XIV (*Inst. cit. n. 14*): « Utrum parens omnia « sua bona filio pro suscipiendis ordinibus legitime assignari possit, licet « partes haereditatis, quae caeteris liberis iure naturae debentur, hoc « pacto ipsis anteferantur? Deinde utrum id parens exequi possit, si uni- « cum habeat filium, eamque conditionem interponat, ut sibi ad vitam ne- « cessaria suppeditentur? Resp. Primum quidem, cum detrimentum reliquis « filiis inferatur, nulla ratione permittitur: secundum vero legitimum haberi « nequit, nisi in bonorum resignatione omnia singillatim explicentur, ut « eorum summa, fructusque annui deprehendantur, atque inde, quid ordi- « nato ad vitam sustentandam libere supersit, certe probetur ».

758. *Quid in particulari de titulo* ***capellaniae?*** Deservire potest capellania non solum si sit decreto Episcopi erecta (quae pro beneficio habetur), sed etiam si sit laicalis (quae reducitur ad legatum missarum); dummodo concedatur sive ad vitam Ordinandi sive donec provideatur, atque insuper, ut ait Bened. XIV (*Inst. cit. n. 11*) « non « desit aliquis, qui se alimenta praebiturum, data spon- « sione, polliceatur (seu, ut ipse dicit in Notif. italica *vi* « *sia un' idonea sicurtà*), si forte ordinatus, legitima causa « impeditus, missae sacrificium celebrare non possit ».

759. *Quid de titulo* ***paupertatis religiosae?*** Religiosi hoc solo titulo ad ordines promoveri possunt, quod solemnem professionem emiserint. Dico *solemnem;*

iuxta enim Const. *Romanus Pontifex* S. Pii V, hoc ad eos non extenditur, qui ad instar quidem religiosorum vitam in communitate degunt, sed ad illas pias congregationes (etsi ab Ecclesia approbatas) pertinent, in quibus sola vota simplicia emittuntur. Idem dic de Religiosis qui vota simplicia professioni praemittunt; quod patet etiam ex suspensione quae Episcopis infligitur (ut supra *n. 188 IV*) si eisdem ordines conferrent (intellige excepto privilegio speciali, de quo in quaestione sequenti).

760. *Quid de titulo* ***communis mensae?***

Hic est primus ex illis titulis qui ex speciali privilegio dimanant.

Contingit in sodalibus Societatis Iesu, qui, etsi longo tempore cum solis votis simplicibus remaneant, tamen possunt in sacris ordinari post primum triennium.

Idem dic de degentibus in aliis piis congregationibus votorum simplicium, qui sacros ordines recipere nequeunt, nisi, expleto primo votorum simplicium triennio, vota perpetua (etsi adhuc simplicia) emiserint et proprio Instituto stabiliter dicati fuerint. S. C. EE. et RR. in celebri decreto *Auctis admodum* (*4 Nov. 1892*) apud Acta (*Vol. XXV 312*).

761. *Quid de titulo* ***missionum?*** Contingit in iis qui missionum apostolicarum servitio sese devovent, dummodo habeant indultum S. Sedis et iuramentum emittant, quo spondeant se exteris missionibus perpetuo operam daturos. Scavini (*l. c.*).

762. *Quid de titulo* ***mensae privatae?*** Consistit in obligatione alendi Ordinatum, si forte futurum sit ut in egestate versetur. Ex speciali indulto S. Sedis in hunc finem alicubi acceptari potest obligatio alicuius societatis, vel etiam interdum alicuius divitis. Cf. Pallottini (v. *Patrimonium n. 199-201*).

763. *Quid de titulo* ***servitii Ecclesiae?*** Consistit (intellige semper propter speciales dispensationes) in munere ecclesiastico (lucroso), quod ordinandus in aliqua Ecclesia exerceat. (*l. c. 198*).

764. *Quid de titulo* ***sufficientiae?*** Accidere potest quando ordinandus est certe idoneus ad habendum, suo tempore, beneficium parochiale; atque interim se obligat

ad exercendum officium coadiutoris seu vicarii statim ac presbyteratum susceperit. (*l. c. 206*).

765. *Quid de titulo* ***massae dioecesanae?*** Contingere potest quando in dioecesi accumulata fuerit summa, ex cuius fructibus subveniri possit sacerdotibus indigentibus, ne mendicare cogantur. Quomodo autem haec summa accumulari possit, vide Scavini (*III 670. 7*).

766. *Quid de immunitate* ***a qualibet irregularitate?*** De re ista agitur in sectione sequenti.

Sectio II.

DE IRREGULARITATIBUS.

CAPUT I.

DE IRREGULARITATIBUS IN GENERE.

767. ***Quid*** *et* ***quotuplex*** *est irregularitas?*

I. Est defectus vel delictum, quod, iure sic statuente, directe receptionem atque exercitium ordinum, et indirecte receptionem beneficii ecclesiastici impedit.

II. Irregularitates aliae sunt *ex defectu,* et aliae *ex delicto*. Ex defectu sunt irregulares, v. g. illegitimi, amentes, monstruosi, uxorati etc. Ex delicto sunt irregulares v. g. qui homicidium commiserunt, aut censuram violaverunt etc.

Quaedam tamen irregularitates dicuntur ex defectu, quamvis subinde a delicto non seiungantur, ut infamia.

Deinde irregularitas, alia est *totalis,* quae scilicet reddit inhabilem ad omnem ordinem suscipiendum et exercendum (ut quae provenit ex homicidio), et alia est *partialis*, quae scilicet vel solum aliquod ordinis ministerium, vel solum ascensum ad ordines superiores impedit.

Finge, v. g. quoad sacerdos et diaconus oculum sinistrum amitterent. Sacerdos quoad missam, non vero quoad confessionem ; et diaconus quoad presbyteratum suscipiendum, non vero quoad diaconatum exercendum, irregularis evaderet.

Praeterea alia est *temporanea* (ut defectus aetatis canonicae requisitae ad ordines suscipiendos), et alia est *perpetua* (ut amissio oculi).

Denique distinguitur in *antecedentem* et *subsequentem*, secundum quod ante ordinis susceptionem adest, aut illo iam suscepto oritur.

768. *An qui est irregularis pro sacerdotio (eo quod v. g. oculo sinistro careat vel sit abstemmius), sit etiam irregularis pro ordinibus inferioribus et primam tonsuram?* Affirmant plurimi. Aliqui tamen (ut Navarrus Man. *XXVII*) aliter opinantur; iuxta quorum doctrinam possunt v. g. abstemmio conferri ordines minores, imo et subdiaconatus atque diaconatus, ut possit, v. g. obtinere beneficium ecclesiasticum et propriae paupertati subvenire. Bucceroni (*n. 25*).

769. *An et cur irregularitas* ***distinguatur a suspensione*** *aliisque censuris?* Aff. Quia 1° Suspensio supponit semper ordinem iam susceptum; irregularitas vero ordines adhuc suscipiendos primario respicit. 2° Violatio suspensionis irregularitatem, violatio autem irregularitatis solum peccatum inducit. 3° Suspensiones et aliae censurae statuuntur tamquam poenae medicinales ad retrahendum a delictis, et proinde, ut incurrantur, debent cognosci. Etsi autem aliquae irregularitates *ex delicto* sub hoc respectu plures censeant censuris aequiparari (ut infra videbimus), tamen fere omnes statutae fuerunt ne dedecus statui ecclesiastico et sacris functionibus subsequatur, et proinde etiam ab ignorantibus incurruntur. 4° Censurae possunt esse *ab homine* (scilicet intimari et infligi ab Episcopo quin sint in iure); sed irregularitates sunt solum *a iure*, sunt scilicet illae tantummodo quae *in iure* exprimuntur. 5° Denique censurae possunt esse *ferendae sententiae*, et sic infligi a iudice; sed irregularitates nunquam a iudici infliguntur, et solum aliquando iudex vel declarare poterit irregularitatem esse incursam; vel, dando sententiam condemnatoriam criminis infamis, esse occasio ut infamia (et sic irregularitas ex infamia) incurratur.

770. *An irregularitates etiam ob defectum vel crimen* ***occultum*** *incurri possint?*

Affirmative. Excipe nisi agatur de irregularitatibus quae solum ex infamia incurruntur.

Patet ex sensu communi theologorum et canonistarum, qui dicunt, v. g. irregularitatem incurri ob natales illegitimos etiam occultos, ob homicidium etiam occultum, et ob violationem censurae quae fere semper occulta esse solet. Ratio autem est tum quia quod hodie est occultum cras potest evadere publicum, tum quia irregularitates nedum ad consulendum decori ministrorum et sacrarum functionum, sed etiam interdum (ut supra innuebam) in poenam delicti ab Ecclesia statuuntur.

771. *Irregularitas estne* ***impedimentum*** *ad ordines eorumque exercitium quoad validum, an vero* ***solum quoad licitum?*** *Et quid de* ***gradu culpae?***

Solum quoad licitum; unde ordines recepti ab irregulari (vide tamen supra *n. 749*), missae ab eo celebratae, sacramenta ab eo administrata etc. valida sunt.

Culpa autem aderit, nisi necessitas excuset; illaque, quamvis de prima tonsura tantummodo ageretur, gravis esset. S. Lig. (*VII. 342*).

772. *Irregularitas redditne illicitum* ***exercitium iurisdictionis?*** Negative, nisi exercitium iurisdictionis cum exercitio ordinis coniungatur, ut in absolutione sacramentali.

Non itaque peccaret irregularis si beneficia conferret, a solis censuris absolveret, matrimonio simpliciter assisteret etc.

773. *Quid de irregularitate* ***relate ad beneficium*** *quod exercitium ordinis sacri* (*v. g. missae celebrationem*) *exposcat?*

Qui beneficium huiusmodi *iam possidens* irregularis evadit, si irregularitas sit ex mero infortunio (v. g. caecus evadit, brachia amittit etc.); tunc certe (ne afflictio afflicto addatur) beneficium retinere poterit, dummodo per alium oneribus satisfaciat.

Si autem irregularitas sit *ex delicto*, tunc oportet ut vel obtineat dispensationem; vel (sive absolute sive cum designatione personae) beneficium renuntiet.

Dicit tamen S. Ligorius (*VII 342*) quod posset differre renunciationem si magna laboraret necessitate, atque interim onera per alium adimpleret. Sic itaque nec beneficio nec fructibus beneficii privaretur ante iudicis sententiam; quae tandem, dispensatione non obtenta, intervenire deberet.

Quoad illum autem qui esset irregularis *ante dicti beneficii receptionem*, valde disputatur, an (dispensatione

non obtenta) receptio beneficii sit nedum illicita (quod est certum), sed etiam invalida.

S. Lig. (*l. c. n. 343*) censet satis probabilem esse sententiam, quae stat pro validitate; unde irregularis sic provisus non teneretur fructus restituere si suppleret per alium. In contrarium magnam vim mihi faciunt verba Tridentini dicentis: (*XXII.* IV): « Nec aliis in posterum fiat pro« visio, nisi iis qui iam aetatem et caeteras habilitates integre habere a« gnoscantur; aliter *irrita* erit provisio ». Sed in hac quaestione pro merito expendenda immorari nolo.

774. *Quid* ***in dubio*** *an quis irregularitatem incurrerit?*

I. Quoad irregularitates ex defectu corporali (ita ut dubitetur an quis possit satis decenter missam celebrare) iudicium spectat ad Episcopum. Bucceroni (*n. 26*).

II. In aliis casibus, qui dubitat tenetur sub gravi (si dubium sit serium, non vero scrupulus) rem explorare, atque interim (de quo tamen dubitat Tamburini *X.* XVII *§ 2*) tamquam irregularem se gerere. Certe tamen gravis necessitas excusaret. S. Lig. (*VII 346*).

III. Inquisitione facta et remanente dubio, sive dubium sit iuris sive sit facti, non tenetur, se considerare ut irregularem, excepto casu homicidii et aliquando illegitimi natalis (ut declarabitur infra).

Ratio est quia solum in his casibus Ecclesia in dubio irregularitatem adesse significavit; et nemo in dubio spoliandus est iure suo. S. Lig. (*l. c.*)

IV. Quum tamen plures contradicant (speciatim in dubio facti), dispensatio ad cautelam peti solet. Cf. Pallottini (v. *Irregularitas*).

775. *An* ***ignorantia*** *quod delictum lege quoque ecclesiastica prohibeatur atque irregularitate multetur, ab irregularitate ipsa excuset?*

Plures (ut videre est apud S. Lig. *VII 350*) dicunt, non solum ignorantiam, sed oblivionem quoque et inadvertentiam (et quidem etiam in casu homicidii) excusare.

Fundantur in Cap. *Proposuisti* Innocentii I (*P. I. D. LXXXII*) et in subsequentibus Capitibus Siricii Papae: ubi a depositione excusantur clerici cum ignorantia legis ecclesiasticae coelibatum non servantes. At vero decreta ista non sunt ad rem; supponunt enim, iis temporibus et locis legem coelibatus passim ignorari, et multos (imo plurimos) cum uxoribus aut concubinis convivere; unde eos omnes suspendere non erat expediens; et ecclesia satis habebat ut admoniti in posterum continentiam servarent, atque congruam iuxta casuum diversitatem poenitentiam facerent. Insuper

idem argumentum probat potius contrarium; si enim dicti clerici ab ordinibus receptis non suspendebantur, tamen quoad ordines adhuc suscipiendos (non obstante dicta ignorantia) irregulares remanebant.

Sed, quidquid sit de hoc, ego certe existimo quod, quando casus iam notorius evasit et sacrarum functionum dedecus subsequetur, ignorantia minime excuset. Et talis profecto est sensus Sacrarum Congregationum, ut videre est apud Pallottini (v. *Irregularitas Art. III n. 16*).

776. *Quomodo* ***tollitur irregularitas?*** Modi ordinarii sunt sequentes.

I. *Dispensatio.* Ordinarie petenda est a S. Sede. Pro casibus occultis ad S. Poenitentiariam, et pro publicis ad S. C. Concilii, recurrere oportet.

Dispensatio ex delicto homicidii (etiam occulti) difficillime obtinetur (Cf. Scavini *III 575 in not.*). Idem dic de irregularitate ex bigamia vera (Cf. S. Lig. *n. 450*), et ex defectu natalium, speciatim pro casibus turpioribus, scilicet quoad natos ex adulterio, sacrilegio etc. (Cf. Acta *Vol. I pag. 352*). Plus vel minus facile (nisi ius naturale obstet atque agatur de re prorsus intolerabili) ab aliis irregularitatibus dispensatio obtineri solet.

Dixi *ordinarie petenda est a S. Sede;* aliquas enim facultates habent Episcopi et Praelati Regulares (quoad suos subditos), sed fere solum pro casu irregularitas ex delicto occulto, et quidem nisi ex homicidio voluntario proveniret.

In quibusdam etiam defectibus post ordinationem supervenientibus (v. g. epilepsiae, et amentiae) Episcopi dispensare possunt, dum ante ordinationem id nequirent. S. Lig. (*VII 598. 599*).

Si dispensatio committeretur confessario, formula est in Rituali.

Ad dispensationem obtinendam, causa iusta (nempe sacerdotum penuria, vel ordinandi pietas, aut scientia conspicua, aut paupertas) exigitur.

Episcopus sine causa dispensans invalide dispensaret.

II. *Cessatio causae,* si nempe irregularitas esset ex defectu aetatis, vel scientiae. Quando tamen adest periculum reincidentiae, ut in amentia, epilepsia etc., solus

Pontifex (ante ordinationem) dispensare potest. S. Lig. (*l. c.*).

III. *Professio religiosa.* Hac tollitur irregularitas ex defectu natalium.

IV. *Baptismus.* Per baptismum tollitur irregularitas ex delicto (etiam homicidii).

CAPUT II.

DE IRREGULARITATIBUS IN SPECIE.

ARTICULUS I.

Irregularitates ex defectu.

777. ***Quaenam sunt*** *irregularitates ex defectu?* Sunt ex defectu natalium, libertatis, famae, corporis, animi, aetatis, sacramenti, lenitatis, et propter exercitium chirurgiae. Sed haec sunt explicanda.

778. *Quid de irregularitate* ***ex defectu natalium?*** Intervenit quando ordinandus ex parentibus non legitimo matrimonio coniunctis natus fuerit. Notari debent sequentia.

I. Natus ex matre coniugata ita praesumitur legitimus, ut non obstaret si ex voce publica aut ex dicto matris ipsius vel praetensi adulteri tamquam spurius traderetur. Ita S. C. Concil. (*27 Iun. 1857*) apud Acta (*I 350*).

Ratio est quia bonum publicum et pax familiarum exigit ut firmum teneatur principium: *pater is est quem nuptiae demonstrant.*

Excipe casum physicae impossibilitatis, nimirum si evidenter constaret, mulierem nequivisse gravidam evadere ex viro suo ob physicum obstaculum absentiae, impotentiae, infirmitatis etc.; et maxime si de hoc sententia iudicis intervenisset.

II. Natus ex matrimonio invalido, sed bona fide (saltem ex parte unius) contracto, legitimus reputatur. Gury (*Cas. Cons. II 1167*).

III. Natus illegitime cessat esse irregularis statim ac postea legitimetur.

Haec legitimatio tribus modis contingere potest; nempe 1° ipso iure per subsequens matrimonium parentum, dummodo ipsi tempore conce-

ptionis aut saltem nativitatis nulli impedimento dirimenti obnoxii fuerint; 2° per professionem religiosam ; 3° per dispensationem pontificiam.

Rescriptum autem principis saecularis ad irregularitatem tollendam nullatenus sufficeret. Cf. S. Lig. (*VII 422, 433*).

779. *An infantes* ***expositi in brephotrophiis*** *tamquam irregulares ex defectu natalium haberi debeant?* Affirmative respondent Bonacina (*De irregul. p. III n. 10*), Laymann (*I Tr. V C. 5 n. 4*), Ferraris (v. *Irregularitas*), Giraldi (*p. 1 Sect. 820*), Tournely (*II p.* XXVI), Filliuccius (*Tr. XIX n. 141*), Pignatelli (*T. VII C. 34*), Toletus (*L. I C. 53*), Viva (*De Irreg. A. IX n.* X), Croix (*VII 509*), Covarruvias, Alciatus, Vasquez, Sayrus, Avila, Ugol. Reg. Reb. Garzia, et novissime De Angelis (*Tom. I p. L.* I *Tit.* XVII *n. 4*), Zitelli (*Apparatus De Ordine § II*) etc. Probatur 1° quia ordinarie sunt illegitimi, et proinde tales praesumuntur, nisi de contrario constet. 2° Quia expositio in brephotrophio constituit factum ita publicum et notorium ut expositus tamquam natus ex fornicatione vel adulterio ab omnibus habeatur, et talis macula cum ordinum sacrorum dignitate (nisi forte circumstantiae specialissimae dispensationi locum relinquerent) componi non posset. 3° Quia praxis Ecclesiae est ut tamquam irregulares habeantur, et sine dispensatione ad sacros ordines non promoveantur. De hoc testes habemus viros his in rebus expertissimos tam antiquos quam recentiores. Pyrrhus Corradus (circa *an. 1660*) in tractatu *de Dispens.* (*L. III C.* II) dixit, talem esse usum constantem Datariae. Card. Petra (circa *an. 1700*) subiunxit. (*T. V. in Comment. Constit. XXII* Sixti IV *Relig. n. 9*) talem et non aliam esse praxim Curiae Romanae. Laymann dixit quod non solent ordinari sine dispensatione. Novissime autem Zitelli ait : « Expositi vero, cum praesumantur « esse illegitimi, dispensantur ad cautelam » : Addi potest quod dispensarentur difficillime, speciatim si non de solis ordinibus minoribus aut beneficiis simplicibus, sed de ordinibus sacris vel de beneficiis curatis, maxime vero si de Episcopatu vel Cardinalatu, ageretur.

780. Meo sensu, haec est doctrina unice vera et omnino tenenda.

Sed silentio praetereundum non est quod multi, et quidem gravissimi theologi et canonistae tam antiqui quam recentiores contra sentiunt; et, quamvis pro certo habeant quod illegitimi sunt irregulares, nihilominus docent quod (saltem practice) haec irregularitas quoad expositos non subsistit. Sic profecto docent Suarez (*De censur. et irregul. Sect. IV*), Reiffenstuel (*L. IV Tit. VXII n. 15*), Schmalzgrueber (*V. I. p. III tit.* XVII *n. 3* et *p. II tit.* XV *n. 25*), Salmantic. (*Tr. X C.* IX *n. 44*), Palao (*Tr. XXIX d.* VI *p.* IX) Roncaglia (*Consil. XI n. 3* et *De censur. C. ult. q.* IV), S. Lig. (*VII 332*), Vecchiotti (*V.* III § *31*), Scavini (*III 581*) Ballerini (*Op. th. VII 707*), Bucceroni (*n. 1337*), D'Annibale (*I 55*), Lehmkuhl (*n. 1018*), Génicot (*n. 634*), vide *Monitore (Vol. XI pag. 277)* etc.

Quid de doctrina ista? Non obstante tot tantorumque auctorum suffragio, ego dico quod tantum valebit quantum valent rationes pro illa adductae. Hae sunt duae. Illas examinemus.

781. *Prima.* Dicunt quod Gregorius XIV *an. 1591* edidit bullam pro brephotrophio S. Spiritus in Saxia (Romae), in qua declaravit, expositos, non solum ibi sed etiam alibi, habendos esse pro legitimis. (Cf. Roncaglia *De censur. C. ult. q.* IV, et S. Ligorius *VII 432*).

Sed 1° hanc bullam (quamvis duo bullaria diligenter inspexerim) ego invenire non potui. 2° Giballinus (apud Tournely) dicit, hanc declarationem parum probare, quia fuit facta solum in gratiam praedicti particularis brephotrophii. 3° Card. Petra (apud Giraldi *l. c.*) dixit quod expositi in hospitali B. Virginis Annuntiatae Neapolis ex privilegio apostolico ad Ordines promoveri possunt ab Archiepiscopo Neapolitano absque Pontificia dispensatione. Se[1], si haec iam esset lex generalis, quomodo privilegium potuisset habere locum? 4° Si iam inde ab *an. 1591* ex lege generali non esset opus dispensatione, quomodo (ut supra vidimus *n. 779*) illam exigendi praxis S. Sedis esse potuisset?

Secunda ratio. Dicunt (speciatim antiquiores) quod non pauci sed multi exponuntur quamvis ex legitimo matrimonio progeniti fuerint. Salmanticenses scripserunt: « Multoties parentes, etiamsi coniugati sint, ob « inopiam filios exponunt ». Idem repetunt S. Ligorius, Schmalz, Roncaglia, Vecchiotti (*ll. cc.*) etc. Hinc deducunt irregularitatem non subsistere; in dubio enim irregularitates (excepto casu homicidii) non subsistunt; et satius est ut impunitus remaneat reus, quam ut puniatur innocens.

782. Sed haec etiam secunda ratio vim non habet. Ad hoc bene intelligendum notanda sunt sequentia.

I. Brephotrophia coeperunt multiplicari saeculis XIV et XV; et prius rarissima erant. Unum aderat Mediolani sacc. VIII; alterum (nempe praedictum hospitale S. Spiritus in Saxia) Romae sub Innocentio III circa *an. 1200;* quo tempore duo fundata fuerunt in Gallia, Massiliae unum, et in Montepessulo (*Monpellier*) alterum. Cf. Moroni (*Dizion. di erudizione Vol. XLIX O S P*).

II. Antequam adessent brephotrophia, vel quando rarissima erant, plures infantes (quasi sicut hodie apud Sinenses) partim submergebantur in fluminibus et partim exponebantur in aliquo loco magis frequentato, v. g. in ianua Ecclesiae vel in publica via. Interdum autem prope domum alicuius divitis, vel sub arbore, vel in cista ad ramum arboris appensa ponebantur.

III. Concedendum est quod illis temporibus exponebantur etiam infantes ex nuptiis legitimis progeniti; idque patet manifeste ex cap. unic. *De infantibus et languidis expositis* (Gregorii IX circa *an. 1240*), ubi dicitur: « Si a patre (relegato pietatis officio) infans expositus existit,

« hoc ipso a potestate patria fuit liberatus ». Enimvero liberatio a patria potestate proprie non cadit nisi in filium legitimum, ut notat Suarez (*De Censur. et Irregul. Sect. XIV*). Et profecto tunc (ut ex eodem cap. constat) exponebantur etiam languidi, scilicet chronici et infirmi. Cuius rei ratio est quia illa aetate deerant, vel rarissima erant, etiam hospitalia infirmorum. Equidem pro infirmis iam inde ab Ecclesiae primordiis aderant hospitalia; sed, everso imperio Caroli Magni (circa *an. 800*) subsecuta fuerunt tempora infelicissima, et tunc quasi totaliter pia instituta perierunt, quae solum circa saeculum XIV paulatim instaurari et adaugeri coeperunt. Cf. Bergier (*Dizion. enciclop.* v. *Ospitali*).

IV. Admittendum est etiam quod, institutis brephotrophiis, olim in illis quoque exponerentur infantes ex legitimo matrimonio progeniti; idque speciatim propter extremam quorundam parentum paupertatem. Patet ex auctoribus supra adductis, qui, quamvis ad exaggerationem processerint (ut infra videbimus) quoad numerum, tamen de totali falsitate incusari non possunt; maxime quia multi alii quoque de facto ipso (etsi in minore proportione) testes sunt. Sic, v. g. Suarez (*l. c.*) dixit: « Interdum experientia compertum est, parentes propter paupertatem exponere legitimam « prolem ». Hoc patet etiam ex diversis historicis documentis. Sic v. g. in nostro brephotrophio Faventino antiquissima aderat inscriptio, quae dicebat: *Quos parentum impietas, paupertas, pudorve repulit, pietas loci huius nothos recipit.* Nec mirum; ex una parte enim, onanismo coniugali tunc fere nullatenus existente, proles valde numerosior in matrimoniis esse solebat; et ex alia, nedum (longe minus florentibus artibus et commercio) miseria erat maior, sed etiam subsidia, quae hodie adsunt, ut (matribus pauperibus lactare non valentibus) infantes dari possint nutricibus, tunc non aderant.

V. Quod tamen tunc quoque infantes legitimi, qui ad brephotrophia mitterentur, essent multi, aut nullatenus, aut solum in aliquibus locis, verum erat. Circa *an. 1600* Bonacina (Mediolanensis) scripsit (*l. c.*): « Adsunt coniecturae ita vehementes, ut fere certe constet, expositum « esse illegitimum, cum filii legitimi non soleant exponi, ut docet ipsa « experientia, et parentes exponentes filios notam infamiae subeant ». Circa *an. 1700,* Viva (*Cursus Th. Part. VIII q.* IX *A.* IV. X) dixit: « In tali « casu non haberetur solum dubium sed moralis certitudo de illegitimitate; « cum plerumque soleant illegitimi exponi: raro autem exponuntur legi« timi ratione paupertatis ». Pariter circa *an. 1700* (in Belgio) scripsit Croix (*VII 509*): « Qui exponuntur, communiter sunt illegitimi ». Et idem circa eundem *an. 1600* in Hispania (ut mox supra *n. IV* vidimus) dixit Suarez.

VI Nostris autem locis et temporibus, quod parentes legitime coniugati aliquem filium ad brephotrophium mittant, est res prorsus inaudita, et pro certo habendum est quod nunquam aut fere nunquam contingit. Reliquum est itaque quod in nostris brephotrophiis legitimi sint solum illi, qui per subsequens matrimonium legitimati evaserunt, et nihilominus parentes ex paupertate vel avaritia aliove motivo illos non recognoverunt.

VII. Quamvis circa singulos non adsit certitudo plena quod sint illegitimi, adest tamen de hoc certitudo moralis lata, quae utique sufficit; huiusmodi enim irregularitas non iam ad puniendum magna poena delinquentem, sed solum ad consulendum reverentiae et dignitati sacrorum ordinum instituta fuit: haec autem reverentia et dignitas utique exigit ut expositi ab illis excludantur; secus enim (ut rectissime notabat De Angelis) unusquisque improperare posset sacerdoti (qui in brephotrophio

fuisset expositus) turpem originem cum maximo dedecore ordinis sacerdotalis. Leges autem, iuxta earundem rationem, interpretari debent.

VIII. Restat denique argumentum prorsus decretorium, et est quod, si possibilitas legitimitatis in singulis expositis sufficeret ad excludendam irregularitatem, unde iam certe, et nulla distinctione facta, non esset opus dispensatione; iam nec privilegia quibusdam brephotrophiis concessa, nec stylus et praxis Datariae (iuxta supra dicta *n. 779. 781*) locum habere potuissent.

783. *Quid de irregularitate* ***ex defectu libertatis?*** Ex hoc capite irregulares sunt sequentes.

I. Coniugati (nisi uxor consentiret simulque castitatem voveret).

II. Retinentes officia thesaurarii, administratoris, curatoris etc. (quatenus clericis interdicantur) donec illa non dimittant: et multo magis officiales publici ad praestandam operam suam per iuramentum obligati.

III. Iuvenes servitio militari obligati, qui, si sint primae categoriae, ad sacros ordines promoveri nequeunt, nisi prius (ut supra dixi *n. 737*) aut 1° praestiterint servitium ipsum; aut 2° annum voluntariatus perfecerint (atque in utroque casu in vocatione vitaeque sanctitate perseveraverint); aut 3° propter corporalem defectum (irregularitatem canonicam non inducentem) de exemptione ab eodem militari servitio iam *certi* sint.

Vide dicta *Vol. IV* (*n. 749*), et instructionem S. C. S. O. (*16 Sept. 1875*) per extensum expositam in opusculo *De Episcopo* (*n. 92*), ubi etiam circa tempus quod, dicto servitio expleto, decurrere debet, et circa alia servanda, antequam ad sacros ordines admittantur, regulae statuuntur.

Nihil dico de servis (mancipiis), qui hodie non amplius adsunt.

784. *Quid de irregularitate* ***ex defectu famae, sive ex infamia?***

Praemittendum quod infamia (scilicet publicae existimationis iactura) potest esse *iuris* et *facti*.

Infamia **iuris** oritur 1° Quando quis per sententiam iudicis condemnatus est ut infamis. 2° Quando quis commisit delictum quod iure ipso (scilicet per leges sive canonicas sive civiles) poena infamiae mulctatur; unde sunt infames, v. g. apostatae, haeretici, duellantes, adulteri,

incestuosi, concubinarii, raptores mulierum, falsum iurantes in iudicio, percussores S. R. Ecclesiae Cardinalium, et generatim qui delicta enormia commiserunt. Plures exigunt ut delictum in iudicio fuerit legitime probatum et delinquens pro illo sententiam condemnatoriam subierit; sed hoc admitti nequit quando factum est evidens nec ulla tergiversatione celari potest; ut patet ex novissimo Decr. S. C. C. apud Acta (*XXIV 367*), circa quemdam qui fuit haereticus (ex secta) atque resipiscens ordines recipere volebat. 3° Quando quis exercuit officium quod per leges infamia notatur; unde infames censentur lenones et histriones. 4° Infamia interdum contrahi potest etiam propter delictum parentum; unde sunt infames filii haereticorum (intellige, semper, si quid opinor, *ex secta*) usque ad secundum gradum per lineam paternam, et usque ad primum per maternam. Si tamen pater haeresim abiurasset, filii ab irregularitate solverentur. (Bened. XIV *De Syn. XIII.* XXIV *21*).

Infamia **facti** tantummodo, oritur ex delicto aliquo quod nec per sententiam iudicis nec ipso iure mulctatur infamia; sed nihilominus ex sensu populi valde adimit aestimationem, quod facilius contingit si delinquens conditione, vel munere, vel dignitate excelleret. Idem dic de quibusdam officiis vilioribus, v. g. lanionis, carnificis etc.

His praemissis, an infamia facti tantummodo inducat irregularitatem, non conveniunt doctores. Certum est tamen quod ordinandus debet prius cessare a delicto vel officio qui infamiam inducit; et, quatenus agatur de peccato, congruam poenitentiam notorie agere. His autem praestitis, infamia cessaret per se, nec dispensatione (iuxta plures) opus esset.

Infamia iuris autem certe inducit irregularitatem. Ad illam auferendam, si orta fuisset a delicto proprio, praeter exemplarem poenitentiam, exigeretur et sufficeret ut reus vel poenam luisset, vel dispensationem obtinuisset.

Notandum quod Episcopus (iuxta D'Annibale *I 384*) dispensare posset si infamia ex adulterio vel ex aliis criminibus minoribus orta fuisset.

785. *Quid de irregularitate* ***ex defectu corporis?***

I. In genere loquendo, huiusmodi irregularitas contingit quando quis tali corporis defectu laboret, ut ordinem

convenienter exercere non possit; aut ita sit defectuosus ut risum vel stomachum moveat vel horrorem incutiat. Et idem dic si aliquam rubricam observandi perpetuo impediretur.

II. Quidam defectus magis considerantur in ordinando quam in ordinato; subinde scilicet contingit quod defectus quoad ordines suscipiendos, non vero quoad illos iam susceptos exercendos, irregularitatem, aut difficultatem obtinendi dispensationem, constituat. Facilius etiam permittitur ut quis privatim (et maxime alio sacerdote assistente) missam celebrare possit.

786. Veniendo ad particularia, irregulares sunt sequentes:

A). Caecus omnino, vel carens oculo sinistro (nisi magnam vim visivam in dextro habeat, ita ut sine deformitate possit canonem legere), vel denique ita caecutiens ut, nequidem utendo perspicillis, expedite legere possit.

Si tamen quis iam sacerdos caecus evaderet, vide dicta *Vol. IV n. 507.*

Caeterum, quoad illos, qui etiam valde caecutiunt, vel uno oculo carent prorsus et alio parum vident, dispensationes ad ordines quoque suscipiendos, obtineri solent ob circumstantias valde momentosas, et maxime si quis iam subdiaconus vel diaconus esset. Vide *Monitore (IX pag. 243).*

B). Surdus omnino, qui verba ministri nullatenus audire possit. Aliud est de surdastro, vel de illo qui, sacerdotio iam suscepto, surdus evasisset. Cf. S. Lig. *VII 405*).

C). Mutus, et qui nullo modo vel solum cum magna difficultate possit verba integra proferre. Item qui missam legere nequeat quin causam risus et contemptus afferat.

D). Claudus qui sine baculo nequeat sustentari vel se conferre ad altare: aut qui pedem ligneum habeat.

Dispensationes tamen, etiam in casu habentium crus prorsus amputatum, concessae fuerunt (Vide *Monitore XI 242*). Caeterum (ait S. Lig. *VII 407*) « claudus, qui non indiget baculo, minime est irregularis, sicut « nec etiam qui habet crura distorta ». Genu dextrum nunquam flectere valens, dispensatione indigeret; quae aliquando concessa fuit. *(Monit. l. c.).*

E). Carens digitis necessariis ut hostia sumi, elevari et frangi possit, atque ut manus valde deformis non remaneat.

Hinc esset irregularis qui pollice, aut tribus inferioribus digitis (et maxime indice) careret. A fortiori qui digitis omnibus, aut manu, aut brachio mutilatus esset.

Si tamen iam esset sacerdos, ad missam celebrandam sufficere posset si pollicem et alium ex maioribus digitis haberet; ad distribuendam autem eucharistiam forte non obstaret si (alios digitos habens) pollice careret. Vide dicta *Vol. IV n. 1040.*

F). Paralyticus, si propter tremitum manuum nequeat missam celebrare sine periculo effundendi calicem. Idem dic si *tussi* ita laboraret ut versaretur in periculo eiiciendi eucharistiam.

Quid de casu (satis frequenti in praxi) sacerdotis qui, propter paralysim vel apoplexiam, amissa vi ab uno latere in brachio et crure, una tantummodo manu (v. g. sinistra) uti posset, atque adeo hostiam non super calicem sed solum super patenam dividere valeret? Quid si insuper momentaneis mentis alienationibus subiiceretur? — S. C. rescribere solet: *Pro gratia, arbitrio et conscientiae Episcopi, dummodo morbus non ingravescat, et orator celebret cum adsistentia alterius sacerdotis, facto verbo cum SS.mo.*

G). Abstemmius, si vinum (ne in exigua quidem quantitate) absque periculo vomitus sumere nequeat. Pro omittenda etiam vino in utroque ablutione dispensatio exigeretur; quae famen facile concedi solet.

H). Epilepticus, si post pubertatem huic morbo subiectus fuerit. D'Annibale (*I 384*).

Excipe cum S. Lig. (*n. 399*), nisi a pluribus annis immunis extiterit; et (ego adderem) iudicio medicorum de relapsu non sit timendum.

Certe, si agatur de ordinibus sacris adhuc conferendis, S. C. C. rigorosissima est. Nihilominus, si morbus esset levissimus, et quibusdam adhibitis cautelis periculum evanesceret vel remotissimum redderetur, interdum dispensationem concessit. Cf. *Monitore* (*XI.* II *169*).

I). Pigmaeus, statura scilicet ita brevis ut ad altare sufficienter non pertingat aut risum moveat.

H). Monstruosus, nempe carens naso, vel carens auriculis (nisi capillis tegere possit earum defectum), vel habens labia corrosa vel abscissa, vel habens gibbam enormem etc.

L). Hermafroditus. Iam dixi (*n. 746*) quod, si in substantia sexum foemineum haberet, ordinis incapax esset iure divino. Sed, si quamvis sexus foemineus substantialiter non adesset, tamen subiectus de illo aliquid notabile haberet; tunc irregularitas interveniret.

Theologi dicunt, hanc irregularitatem adesse, quamvis hic defectus occultus esset; idque argui censent ex Cap. *Si testes* (*4 q. 2*); nec non

ex Cap. *Illiteratos* (*36 Dist.*), ubi verba sunt generalia nec inter casum publicum et occultum ulla distinctio fit. Attamen Bonacina (*VII.* II. II *13*). et S. Lig. (*VII 412*) absque reprehensione referunt Tolctum, Escobar aliosque dicentes, quod haec irregularitas non subsisteret si vitium huiusmodi notorium non foret.

787. *Quid de irregularitate* ***ex defectu animi?*** Huic subiiciuntur 1° Amentes. 2° Energumeni. 3° Neophiti. 4° Illiterati.

A). *Amentes.* Hi, quamvis ab amentia convaluerint, ordinari non possunt, si adsit periculum reincidentiae ; quod fere semper aderit, si non ex impetu alicuius passionis transeuntis, sed ex naturali cerebri debilitate casus accidisset. S. Lig. (*n. 398*).

B). *Energumeni.* Episcopus tamen (liberatione secuta) ad ordines minores eos promovere posset. Cf. S. Lig. (*n. 399*).

C). *Neophiti;* scilicet recenter conversi et baptizati, propter periculum de ficte processerint aut perseverantes non sint.

Post decennium cessaret haec irregularitas ; imo et prius, iudicio Episcopi. S. Lig. (*n. 402*).

D). *Illiterati.* Nemo potest ordinari, nisi habeat scientiam sufficientem.

Gelasius Papa (*Dist. XXXVI C. I*) dixit : « Illiteratos... nullus prae- « sumat ad clericatus ordinem promovere : quia litteris carens non potest « esse aptus officiis ».

Attamen non exigitur scientia magna, dicente Glossa : « Sufficit tamen mediocris scientia »; et Tridentinum dat regulas sequentes.

I. *Pro prima tonsura* exigitur ut tonsurandi sciant legere et scribere, atque calleant rudimenta fidei. Trid. (*XXIII.* IV).

II. *Pro ordinibus minoribus,* exigitur ut ordinandi saltem linguam latinam intelligant. Tr. (*l. c. XI*).

Aliqui verba ista interpretantur quasi sufficiat quod linguam latinam legere sciant; sed hoc admitti nequit; aliud enim est legere, et aliud intelligere. Et sane Benedictus XIV (*Notif. XLII*) exigit ut latini idiomatis sensum intelligant et traducere sciant. Non tamen erit exigendum ut auctores abstrusiores intelligant, sed sufficiet si, v. g. Concilium Tridentinum, aut catechismum romanum, aut evangelia, aut Lhomond (in medio) aut Cornelium, aut aliquem librum theologiae, traducere valeant.

III. *Pro subdiaconatu et diaconatu,* oportet ut litteris, et iis quae ad ordinem exercendum pertinent, sint instructi. Trident. (*l. c. XIII*). Et hoc in puncto notanda sunt sequentia.

788. Aliud est intelligere linguam latinam (quod pro ordinibus minoribus exigitur) et aliud esse instructi in litteris. Hoc enim ad minus significat quod ordinandi, tam latino quam nationali sermone, themata evolvere seu compositiones facere sciant.

789. Quantum autem pertinet ad ordinem exercendum, ordinandi cognoscere tenentur, non solum in genere et in confuso sed etiam cum sufficienti explicatione (ut videre est apud S. Lig. *Exam. Ordin.*) sua officia, suasque facultates: quae summatim sunt sequentes.

Subdiaconi officia sunt 1° servare perpetuam et perfectam castitatem. 2° Recitare quotidie officium divinum. 3° Exercere ordinem; ita tamen ut, si censura aliqua ligatus illum exerceret, irregularis evaderet.

Diaconi facultates propriae sunt 1° Solemniter baptizare de commissione parochi, stante necessitate et cum stola transversa. 2° Ministrare eucharistiam, sed pariter solum de commissione parochi et in necessitate. 3° Deferre sacramentum de altari ad altare. 4° Praedicare, de licentia Episcopi. 5° Nedum potest sed debet exercere ordinem in missa solemni. Sed, si esset censura ligatus, redirent supra dicta quoad irregularitatem.

4°) *Pro presbyteratu* ordinandi debent esse idonei ad populum docendum ea quae scire omnibus necessarium est ad salutem, ac ministranda sacramenta. (Trid. *l. c. XIV*). Quamvis itaque imprimis debeant esse instructi circa sacrificium missae et ministrationem eucharistiae, oportet etiam ut sciant 1° administrare alia sacramenta et speciatim sacramentum poenitentiae in casu necessitatis, scilicet moribundi deficiente sacerdote pro confessionibus approbato; 2° docere populum tum circa fidem (quoad scienda necessitate medii et praecepti); tum circa praecepta Dei et Ecclesiae; tum circa sacramenta et alia media salutis. Dixi *docere populum;* et proinde praecipuas regulas eloquentiae sacrae popularis callere tenentur.

N. B. De his omnibus ordinandi instructi esse debent vi sacrorum canonum et Tridentini; secus (si in his multum deficerent) irregulares forent.

Passim adsunt leges dioecesanae, quae maiorem adhuc scientiam exigunt ab ordinandis; sed huiusmodi leges non efficiunt ut scientia illa carentes irregulares sint.

An autem Episcopi subinde contenti esse possint de scientia minori, affirmandum est, sed solum supposita vera et indeclinabili necessitate. Vide *De Episcopo n. 73.*

790. *Estne aliquid notandum in particulari* ***circa Regulares?*** « Professi tum votorum solemnium tum « simplicium ab Ordinariis locorum ad sacros ordines non « admittantur, nisi, praeter alia a iure statuta, testimonia- « les litteras exhibeant, quod saltem per annum sacrae « theologiae operam dederint, si agatur de subdiaconatu; « ad minus per biennium si de diaconatu; et quoad pre- « sbyteratum, saltem per triennium; praemisso tamen

« regulari aliorum studiorum curriculo ». Ita S. C. Epp. et RR. (*4 Nov. 1892*).

791. *An scientia canonica carentes non solum quoad ordines suscipiendos, sed etiam quoad illos exercendos sint irregulares?* Irregulares sunt quoad ordines etiam exercendos, sed solum qua parte illos congrue exercere nequeant.

792. *Quid de irregularitate* ***ex defectu aetatis?***

Pro prima tonsura et ordinibus minoribus nulla in iure aetas assignatur; unde sufficit illa aetas in qua subiectus habeat requisita supra indicata. Cf. Bened. XIV (Const. *Inter sollicitas*).

Pro subdiaconatu annus XXII; pro diaconatu XXIII; pro presbyteratu XXV exigitur. Sufficit tamen si annus sit incoeptus (Trid. *XXIII.* xxii *et* xxiv, xii). Pro episcopatu annus XXX completus exigitur (Cap. *Cum in cunctis* De elect.).

Pro cardinalatu exigitur annus vigesimus: pro beneficio simplici vel canonicatu in collegiata annus decimus quartus (incoeptus): pro beneficio curato annus vigesimus quintus (incoeptus): pro canonicatu in cathedrali annus vigesimus secundus (incoeptus). Trid. (*XXII* iv *et* xxiv. xii).

Episcopi quoad aetatem ordinandos dispensare non possunt.

Aetas a die non baptismi sed nativitatis d bet computari. Quid si differentia esset minima, ut si quis ordinaretur mane illius diei, in cuius vespere aetatem requisitam assequeretur? Resp. Non haberet aetatem, et proinde illicite ordinaretur. Ita sentio contra alios. Vide S. Lig. (*n. 800*).

793. *Quid de irregularitate* ***ex defectu sacramenti?***

Haec intervenire posset si ordinandus esset viduus eiusque matrimonium unionem Christi cum Ecclesia divino suo sponso unice devincta defectuose significasset, prout contingeret *si fuisset bigamus.*

Bigamia autem triplex esse potest, scilicet vera, interpretativa et similitudinaria.

Bigamia vera intervenit quando ordinandus cum duabus successive verum matrimonium contraxit et consumavit.

Bigamia interpretativa, quando ordinandus vel 1° contraxit et consummavit duo matrimonia, unum validum et alterum (sive bona sive mala fide) invalidum; vel 2° duxit in uxorem mulierem ab alio cognitam (cum illa pariter matrimonium consummando); vel 3° scienter copulam habuit cum uxore sua adultera. Attamen in hoc postremo casu oporteret ut factum fuisset notorium et infamiam produxisset; in iure enim (*Can. Si cuius II Dist. 34*) dicitur: « Si evidenter fuerit comprobatum (uxorem) adul« terium commisisse ».

Bigamia similitudinaria interveniret si quis matrimonium sacrilege attentasset et consummasset post professionem religiosam vel ordinem sacrum. Huiusmodi enim nubentes similes sunt contrahentibus duplex matrimonium, quatenus post connubium spirituale cum Christo, ab eo recedentes attentant matrimonium contrahere.

A bigamia vera et interpretativa (quae certe baptismo et professione religiosa non deletur) dispensare nequeunt Episcopi (nequidem ad ordines exercendos); bene vero dispensare possunt a similitudinaria (etiam quoad ordines suscipiendos), dummodo de interpretativa non participaverit, v. g. attentando matrimonium cum vidua etc.

De his omnibus aliisque minutioribus declarationibus, vide S. Ligorius (*n. 435-453*).

794. *Quid de irregularitate* ***ex defectu lenitatis?***

Haec contingit si ordinandus *sponte* atque scienter vel ad publicum iudicium concurrerit in causa sanguinis (nempe mortis aut mutilationis) effectu secuto; vel *in bello offensivo* aliquem sua manu (extra strictam defensionis necessitatem) occiderit vel mutilaverit. Supposita iustitia sive sententiae, sive belli offensivi, nulla quidem adesset culpa; attamen, quum sacerdos gerat personam Christi, qui utpote lenissimus neminem unquam laesit, Ecclesia eos, qui sponte aut ex officio libere acceptato ad alicuius mortem seu mutilationem (cum vero influxu) concurrerint merito irregulares decernit.

Secus esset si id quidem praestitissent sed coacte. Hinc irregulares non forent sequentes.

I. Accusatores si accusatio ita necessaria fuisset ut caderet sub praecepto charitatis, si nempe gravissima damna proximo impendentia aliter evitari non potuissent.

II. Iidem accusatores si reum accusassent, quasi actione civili, ut nempe damna sibi vel consanguineis vel famulis vel subditis propriis allata repararentur; sed hoc in casu expresse (saltem verbo tenus) protestandum esset quod poena sanguinis non intenditur.

III. Testes iusto praecepto aut metu gravi compulsi.

IV. Iurati (hi enim non sponte sed coacte proprium officium praestare debent. Vecchiotti *III 37*).

V. Milites, qui non voluntarie sed propter conscriptionem in exercitu versantur et dimicare coguntur.

VI. Milites voluntarii quidem sed *in bello defensivo* (*et iusto*), excèptis tamen clericis; imo ne his quidem exceptis, in magno discrimine rerum, aut si pugnavissent

iussi (ut supra dicebam). Cf. D'Annib. (*I 403*) et Bened. XIV (*Notif. 101*).

795. *Quid de irregularitate* ***propter exercitium chirurgiae?*** Haec irregularitas ad clericos in sacris et monachos restringitur, pluresque alias circumstantias exigit. Oportet nempe ut clericus in sacris vel monachus artem chirurgicam exercuerit 1° cum incisione vel adustione; 2° cum morte infirmi exinde (non aliunde) secuta; 3° cum culpa civili, nempe extra casum necessitatis atque ita ut factum reprehensionem mereretur. Cf. S. Lig. (*VII 384*).

ARTICULUS II.

Irregularitates ex delicto.

796. Irregularitates huiusmodi proveniunt 1° ex homicidio voluntario; 2° ex homicidio casuali-mixto; 3° ex iniusta mutilatione; 4° ex violatione censurae per exercitium ordinis sacri; 5° ex mala susceptione ordinum; 6° ex ordinis qui non habeatur exercitio; 7° ex iteratione vel mala susceptione baptismi; 8° ex vetita collectione missarum.

797. *Quid de irregularitate* ***ex homicidio voluntario?***

I. Incurritur propter homicidium culpabile et directe volitum, effectu secuto; nec refert si forte occisus ex diversa causa brevi moriturus esset. Ex hoc capite illam incurrunt sequentes.

1°) Homicidii ipsius executor, qui scilicet sua manu occidit.

2°) Mandans, etsi mandatarius sponte sua postea homicidium illud executurus fuisset.

3°) Auxilium ferens (Cf. Pallottini v. *Irregularitas § III n. 221*).

4°) Ille qui communi cum aliis consilio concurrit, quamvis sua manu non occiderit.

Hinc milites *voluntarii* in bello iniusto irregulares evaderent singuli, quamvis unus dumtaxat ex adversariis occisus remansisset.

5°) Quisquis *vi aut dolo* aliquem impedivit ne suam vitam cibo vel medicina conservaret, aut ne alii eidem opem ferrent.

6º) Ille qui in defensione iusta moderamen inculpatae tutelae non servaverit et sic occiderit dum non oportebat.

798. *Quid de consulente, ratum habente, et non impediente si ex iustitia (ut in casu medici conducti, advocati, militis etc.) mortem impedire debuisset?* Multi ad hos quoque irregularitatem extendunt; sed, quum in iure non sit expressa, illam alii non recognoscunt. Vide D' Annib. (*I 396 not. 6*). Revera isti ne in communi quidem loquendi modo homicidae dicuntur, speciatim si ex sola incuria mortem impedire neglexissent. Dico *speciatim si ex sola incuria* etc.; in quibusdam enim casibus veri homicidii reatus communi sensu conspiceretur, si ex industria ita se gessissent; ut puta, si maritus uxorem infirmam sine cibo et medicina reliquisset studiose et eo fine ut moreretur; et idem dic de matre quae hac intentione infantem suum lactare cessasset. Cf. S. Lig. (*n. 376*).

799. Dubium est etiam de eo qui vulnus lethale inflixisset, et vulneratus ab alio occisus fuisset. S. Lig. (*369*).

800. Procuratio abortus, effectu secuto, verum homicidium est, et proinde irregularitatem inducit.

Hodie (dicunt) pro certo habetur quod foetus in primo conceptionis instanti iam est animatus; et proinde distinctio inter foetum animatum et non animatum amplius fieri non debet. Quae enim falsa sunt non egent declaratione principis ut falsa habeantur, sed per se corruunt una cum iuribus doctorumque opinionibus et sententiis quibus innitebantur. Ita Ballerini. Sed quomodo de re ista constare possit pro certo, ego non percipio. Nunquid in illis primis diebus per microscopium distingui poterit nedum quod aliqua anima vere adsit, sed etiam quod illa sit non solum vegetativa bene vero tunc etiam rationalis et humana?

II. Non refert si forte homicida ex errore unum pro alio occiderit; nunquid enim propter hoc homicida esse cessaret? Cf. Pallottini (*l. c. 229*).

III. Caeterum mors debet esse certe (non dubie tantummodo) secuta; secus enim de corpore delicti non constaret; et proinde poena locum habere nequiret.

IV. Attamen, si, stante certitudine mortis, iure dubitare deberes an tu illam causaveris (vulnus v. g. impegisti, sed forte non erat lethale, quamvis enim vulneratus mortuus fuerit, hoc probabiliter accidit quia medicamenta nullatenus aut non bene adhibita fuerunt), lege sic disponente, irregularitas adesset quidem (vide Pallottini v. *Irregularitas § 3 250*), sed solum pro sacerdotibus, et pro sola abstinentia a celebratione missae (neque ad casum solius mutilationis extendi deberet). Cf. D' Annib. (*405*), et S. Lig. (*347*).

801. *Quid de irregularitate ex* ***homicidio casuali-mixto?***

Haec (supposita culpa theologica gravi, et homicidio praeviso atque secuto) incurritur in quatuor sequentibus casibus.

I. Quando quis, non intendendo homicidium, ponit actionem valde periculosam illius.

Exempla. Calce mulierem praegnantem quis percussit; vel, in via valde frequentata, funda lapides iecit aut sclopum explosit: nec valeret si cautelas insufficientes adhibuisset (mandavit, v. g. aliquem vulnerari aut fortiter verberari, prohibendo occidere: aut infantem paucorum mensium tenuit in lecto sine repagulo, etsi aliqualiter curaverit ne illum dormiendo suffocaret). S. Lig. (*III 398*).

II. Quando quis poneret actionem aliqualiter periculosam homicidii, negligendo culpabiliter cautelas consuetas, vel prudentum iudicio necessarias, adhibere.

Exemplum habes in eo qui, reficiendo tectum, tegulas et lapides proiiceret in viam (etsi parum frequentatam) absque consuetis signis ut viatores caveant. S. Lig. (*VII 384*).

III. Quando quis actione sua iniusta constitueret se ipsum in periculum occidendi alium ex iusta defensione.

Exemplum habes in adultero vel fure, qui praevideret maritum vel dominum paratum ad illum occidendum facile esse superventurum, et sic, cum mariti vel domini ipsius nece, in necessitate defensionis se esse versaturum. S. Lig. (*III 598*). Et proinde idem dicerem si quis, sine intentione occidendi, incaepisset percutere, et postea percussum se defendentem et mortem intentantem occidisset (idque praevidisset).

IV. Quando quis (v. g. culpabiliter se inebriando) constitueret se ipsum in statum alienationis mentalis, in quo praevideret homicidium se esse commissurum. Reiffenst. (*XII n. 207*).

802. *Quid de irregularitate* ***ex mutilatione iniusta?***

I. Non sufficit vulnus, fractio, debilitatio (etsi membrum, v. g. oculus, exinde nihil amplius valeret), aut deformatio; sed exigitur praecise mutilatio, seu separatio a reliquo corporis; et quidem oportet ut agatur de membro quod propriam et principalem functionem habeat, prout esset manus, pes, oculus, organum genitale, uterque testiculus (sed de hoc dubitatur; Cf. S. Lig. *n. 380*) etc.

Dixi *principalem*: si enim subsidiariam tantum functionem haberet, ita ut abscissio naturali functioni parum noceret, prout contingeret si unus digitus, vel unus testiculus, vel pars externa dumtaxat aurium absinderetur; vel si membrum abscissum iam inutile et paralysi affectum prius fuisset; tunc irregularitas non contraheretur. S. Lig. (*379. 380*).

Idem dic si quis effecisset ut alter sine dentibus, vel barba, vel capillis remaneret ; haec enim proprie non sunt membra.

II. Qui seipsum mutilaret, quamvis subsidiariam dumtaxat membri partem abscinderet, tunc (ad differentiam casus praecedentis) irregularis evaderet.

Si quis ex zelo indiscreto servandae castitatis virilia sibi abscinderet, aut absindere sibi faceret, irregularitatem non effugeret, ex C. *Hi qui 5 Dist. 55.* Sed extra hunc casum mutilatio debet esse formaliter et graviter culpabilis.

Hinc si haec amputatio facta fuisset a medico, aut ex iniuria alterius, atque etiam si quis bona fide ad conservandam vocem testiculos, vel ad evitandam militiam digitum (sicut olim fiebat), non tamen pollicem vel indicem, sibi amputasset, irregularitas non interveniret. Cf. S. Lig. (*416. 418. 408*).

803. *Quid de irregularitate* ***ex violatione censurae per exercitium ordinis sacri?***

I. Haec incurritur si clericus *in sacris,* quamvis excommunicatus vel suspensus vel personaliter interdictus, ordinem sacrum, eo modo quo a solis ordinatis in sacris exerceri potest, illicite et scienter exerceret.

Idem dic si quis in loco interdicto aliquod divinum officium celebraret. S. Lig. (*VII 358*), Ballerini (*Op. th. De Censur. n. 632*) etc.

Dixi *illicite ;* si enim censura esset occulta et sine gravi nota exercitium ordinis (v. g. missae celebratio) omitti nequiret, tunc nec culpa nec irregularitas adesset. Culpa autem mortalis esse deberet. D' Annib. (*I 380*).

Dixi *scienter :* oportet enim ut censurae contemptus adfuerit. S. Lig. (*l. c.*).

De eo qui ordinem quidem exerceret, sed ficte, nempe sine intentione, dicit D' Annibale (*l. c.*): « In his, quae ex intentione agentis statum ca-« piunt, irregularitatem effugit ; in his, quae vi sua constant, non item. « Itaque qui sic (ficte) a peccatis absolvit, non contrahit irregularitatem ; « qui baptizat solemniter contrahit, non propter baptismum, sed propter « caeremonias baptismi ».

Dixi *eo modo quo a solis ordinatis in sacris ordo exerceri potest:* non enim evaderet irregularis qui exerceret subdiaconatum sine manipulo, vel qui in choro (quum esset hebdomadarius) caneret sine *Dominus vobiscum ;* haec etiam a minoristis quoque praestari solent.

II. Non autem incurreret irregularitatem 1° sacerdos non censuratus qui celebraret in ecclesia polluta (pollutio enim ecclesiae non est censura); vel 2° administraret sa-

cramenta subiecto interdicto, quia id nullo iure statuitur (Cf. Baller. *l. c. n. 568*). 3° Episcopus vel parochus excommunicatus aut suspensus, qui non ordinis sed solius iurisdictionis actus exerceret (v. g. si Episcopus excommunicaret vel absolveret ab excommunicatione, aut parochus matrimonio assisteret sine missa et benedictione). 4° Sacerdos censuratus qui sine stola concionem ad populum haberet etc. Bucceroni (*De Irreg. n. 12, 13*).

804. *Quid de irregularitate ex* ***mala susceptione ordinum?*** Incurritur non propter quamlibet malam ordinum susceptionem, sed 1° Ab eo qui sine approbatione Episcopi furtive accederet ad ordines. 2° Ab eo qui esset coniugatus, et invita uxore ordinaretur in sacris. 3° Ab eo qui cum ficto beneficii titulo (subsistente scilicet pacto occulto non percipiendi fructus) subdiaconatum reciperet.

Hoc ultimum patet ex cap. *Per tuas* (*XXXVII De Sim.*) dicente: « Per tuas nobis litteras intimasti, quod, cum D. vellet in subdiaconatum « ordinari, et certum titulum non haberet: quemdam presbyterum exora- « vit, ut ipsum ad ecclesiae suae titulum praesentaret, quod cum ille fa- « cere recusaret, ipse illi firmiter repromisit, quod nunquam, si praesen- « taret eundem, in ecclesia sua aliquam peteret portionem; et sic ad prae- « sentationem eius extitit ordinatus, nec se in hoc illicitum egisse aliquid « intellexit. Nos... respondemus quod, nisi cum eo fuerit misericorditer « dispensatum, nec ad superiores ordines ascendere, nec in suscepto debet « ordine ministrare ».

Haec irregularitas adesset etiam sine delicto, quamvis scilicet ordinandus bona fide processisset.

Non vero est irregularis qui ab Episcopo nominatim excommunicato, vel haeretico aut schismatico notorio, ordines recepit. Ille esset suspensus ut patet ex bulla *Apostolicae Sedis*. Item non est irregularis qui ante legitimam aetatem, vel extra tempora, vel per saltum ordinatur; aut eodem die ordines minores et subdiaconatum recipiat. Olim in his casibus aderant suspensiones, quae hodie in bulla *Apostolicae Sedis* amplius non adsunt. Bene vero vigent adhuc suspensiones contra ordinatos sine legitimis litteris dimissorialibus ab Episcopo non proprio; hae enim suspensiones sunt Tridentini, et a dicta Const. *Apostolicae Sedis* abolitae non fuerunt. Cf. Comment. Patavin. (*n. 513, 520*).

805. *Quid de eo qui ordines reciperet quin prius sacramentum confirmationis recepisset?*

Trid. (*XXIII,* IV) dicit: « Prima tonsura non initientur qui sacra- « mentum confirmationis prius non susceperint ». Auctores ex hoc capite irregularitatem oriri non dicunt. Attamen S. C. C. (*27 Sept. 1501*) declaravit, « initiatum prima tonsura et minoribus ordinibus ante confirmatio- « nem susceptam esse male promotum..., beneficia minus legitime acquisi- « visse et egere nova provisione..., neque posse ad sacros ordines ascen- « dere, nisi praevia Sedis Apostolicae dispensatione ». Cf. Bened. XIV,

Const. *Eo quamvis*. Quidquid sit de hoc, certe (meo sensu) errant illi theologi, qui ut (videre est apud S. Lig. *VI 786*) docent, hoc exigi sub levi, vel esse solum de consilio.

806. *Quid de irregularitate ex* ***ordinis qui non habeatur exercitio?*** Incurritur irregularitas quando clericus ordinem sacrum, quem non habet, illicite exercet. Oportet itaque ut agatur 1° de clerico; 2° de exercitio ordinis (non vero iurisdictionis); 3° de ordine sacro (non vero de ordine minori); 4° de ordine quod non habeatur (non vero si haberetur, etsi exerceri nequiret sine licentia, v. g. Episcopi vel parochi); 5° de exercitio illicito, non vero si qui non est subdiaconus subdiaconatum (ut supra dicebam) sine manipulo exerceret.

S. Lig. (*VII 359*) dicit sacerdotem non evadere irregularem excipiendo confessiones sacramentales sine iurisdictione, quia exerceret ordinem quem habet (etsi invalide propter defectum iurisdictionis). Ita porro: sed vellet (*VI 116*) irregularem evadere diaconum qui solemniter baptizaret sine delegatione et sine necessitate. Hae doctrinae non cohaerent, et dicendum quod neuter irregularitatem incurrit, quia de iure non adest. Cf. D' Annibale (*I 380 not. 22*).

807. *Quid de irregularitate ex* ***iteratione vel mala susceptione baptismi?***

I. Ex *iteratione* baptismi fit irregularis qui rebaptizatur (adultus et scienter); qui ministrat rebaptizanti (sive adultum sive puerum); et qui rebaptizat. Utrumque baptismum debet esse 1° perfectum scilicet cum tota sua materia et forma; 2° notorium.

Cf. D' Annib. (*I 379*), qui dicit hanc irregularitatem prohibere non exercitium ordinis iam suscepti, sed tantummodo ordinum susceptionem; idque docet etiam Bargilliat (*Praelect iur. can. Ed. X n. 327 7*). Sed vivide contradicunt alii, inter quos Deshayes (*Memento iur. eccl. editio altera n. 1047*).

Ignorantiam crassam non excusare patet ex S. C. C. apud Pallottini (v. *Irregularitas § 2 n. 16*).

Quid si administraretur secundum baptismum sub conditione? Utique hoc bene procederet si de primi baptismi valore esset dubitandum; si autem primum baptismum iam certe fuisset (v. g. domi) valide collatum, tunc conditionis appositio sacrilegium et irregularitatem non impediret, ut patet ex dictis (*Vol. IV n. 889*).

II. Ex *mala susceptione* incurritur irregularitas 1° ab eo qui differt baptizari usque ad periculum mortis; 2° ab

eo qui ab haeretico declarato, sine necessitate, baptismum recipit. Ratio legis est quia in primo casu infirmae fidei signum praeberet, et in secundo haeresi videretur communicare.

808. *Quid de irregularitate, quae contrahitur* ***adibendo eleemosynas missarum ad usum commercii?*** De re ista vide supra *Vol. IV n. 545.*

MONITUM.

809. An ordinati veram obligationem habeant recitandi nocturnum, et celebrandi tres missas iuxta monitum Episcopi? Dicendum videtur obligationem subsistere, sed sub levi. Missas autem non esse applicandas iuxta intentionem Episcopi, et proinde stipendium pro illis accipi posse. Cf. Gury (*n. 715. 716*).

TRACTATUS IV.

De Matrimonio

Agendum est 1° De sponsalibus. 2° De impedimentis matrimonii. 3° De matrimonio considerato in se, necnon de eiusdem revalidatione. De matrimonio autem quoad eius usum et obligationes, actum est supra (*Vol. II. n. 835-960*).

N. B. In hoc tractatu plura, quae ab auctoribus quidem pertractantur, sed ad praxim parum deserviunt, omitto.

Sectio I.

DE SPONSALIBUS.

Agendum est 1° De sponsalium natura et obligatione; 2° De requisitis ut sine valida. 3° De sponsalium dissolutione.

CAPUT I.

DE SPONSALIUM NATURA ET OBLIGATIONE.

810. ***Quid sunt*** *sponsalia?* Sunt mutua futuri matrimonii promissio.

811. *Producuntne veram matrimonii contrahendi* ***obligationem?*** Etsi apud nos coram lege civili (*Art. 53*) obligationem istam non producant, illam tamen (et fortasse gravissimam) producunt coram Ecclesia et in conscientia, dummodo 1° fuerint certe valida; 2° non fuerint legitime dissoluta.

CAPUT II.

DE REQUISITIS UT SPONSALIA SIT VALIDA.

812. Exigitur 1° ut verba pro vera promissione accipi debeant; 2° ut promissio sit mutua; 3° ut cum sufficienti cognitione et libertate facta fuerint; 4° ut respiciant matrimonium licitum.

813. *Quid de prima conditione, quod scilicet* ***verba pro vera et seria promissione accipi debeant?***

Interdum iuvenes actualem dumtaxat voluntatem vel serio tractandi de matrimonio vel illud in posterum contrahendi manifestant, dicendo, v. g.: *crede mihi; non ioci causa, sed bona intentione ad te venio:* vel *voluntatem habeo te ducendi.* Interdum vagam futuri matrimonii spem tribuunt, quo sensu apud nos diceretur: *ridebis quod te despensabo.* Interdum denique alterius animum unice explorant (v. g. *libenterne me in virum acciperes?*) vel desiderium exprimunt (v. g. *Quam libenter acciperem te in uxorem!*) In his et similibus expressionibus de vera promissione nihil est.

Vera promissio apud nos sequentibus verbis exprimitur: *Promitto; me obligo; te tutam reddo; verbum do* (it. *ti dò parola*); *iuro me esse te desponsaturum; habeas me pro perfido, pro proditore, pro infami, nisi te duxero; te ducam, id pro certo habe, ne dubites, secura sis, mea fide credas.*

Si verba sint *in se* aequivoca, intelliguntur iuxta sensum quem in loco habent; et, si adhuc dubia remaneant, iuxta intentionem satis significatam contrahentium (si nempe de ea constet) intelligi debent. Sanchez (*I 18. 1*).

Verborum valor etiam ex circumstantiis antecedentibus et consequentibus determinandus est.

Hae profecto non raro sunt tales ut verba promissoria tamquam ludicra (ut puta, si magna adsit conditionis disparitas, vel si iuvenis sit scurra insignis et notorie quavis fide indignus; vel si inconstanter et nunc uno et nunc alio modo loquatur) haberi debeant; idque forte quamvis iuramentum intercesserit; quod tamen saepe efficere potest ut tamquam sincera haberi debeat promissio, de qua, iuramento secluso, dubitandum esset.

Verba: *aut te aut nullam aliam ducam*, sunt promissio conditionata; quasi dictum fuisset: Ducam te, nisi in coelibatu remanere maluero. Expressio autem *te ducam*, nudum propositum significare potest (Cf. *Vol. III n. 955*); sed ordinarie ex circumstantiis pro vera promissione accipi debet.

Sponsalia non solum verbis sed etiam signis perfici possunt; sed de hoc, infra *n. 822.*

814. *Quid si, omnibus consideratis, verba pro vera promissione accipi debeant; et nihilominus iuvenis fateatur, se neque vere promittendi, neque ullam obligationem contrahendi, intentionem habuisse?*

Secluso dolo, si nempe iuvenis ea verba protulerit quin eorum sensum et gravitatem cognoverit; tunc excusatur, quia neque in contractu neque in deceptione voluntarium adfuisset; quod, cum agatur de obligatione adeo momentosa, omnino exigitur.

Quid si dolose processisset? Notandum quod casus verae deceptionis non adeo frequens erit; si enim iuvenis sit probus, ab hoc facinore abstinebit; et, si probus non sit, facile erit quod sit de illis qui semper in gyrum se conferunt et omnibus loci puellis huiusmodi promissiones faciunt; unde iam nullam fidem merentur: nec profecto iuvenis qui centum puellis matrimonium promisit, illas centum ducere debebit. Vera itaque deceptio restringitur ad casum in quo iuvenis fide dignus ita sit existimandus ut etiam puella prudens decepta remansisset. Tunc autem promissio (ut ut ficta) ex iustitia, si pars reclamet idque praecise exigat, executioni mandari debet: nonne enim *verba ligant homines?* Nonne ab hoc ligamine tota humani commercii firmitas pendet?

Multi dicunt quod iuvenis tenetur duntaxat damna reparare; sed hoc est contra sensum communem; in quolibet enim contractu verbis seriis celebrato uterque contrahens ad illius executionem praecise ius habet; et nemo dolum suum iure opponere potest; sed consensum actu contractus non appositum, postea apponere debet, si pars decepta contractus executionem praecise exigat, ut dixi; idque speciatim in contractibus bilateralibus et onerosis (cuiusmodi sunt etiam sponsalia) verum esse debet. Hanc sententiam (mihi certam) probabilem dicit Sanchez (*De matrim. L. I D. 10 n. 25*). Vide dicta (*Vol. III n. 960*).

815. *Quid de secunda conditione; quod nempe* ***promissio debet esse mutua?***

Hoc significat exigi repromissionem; praesumendum est enim quod promittens noluerit se obligare nisi sub conditione repromissionis, ne ipse ligetur, altero libero

remanente. Excipe nisi de contrario satis constet; v. g. si iuvenis promittat et simul aliquod tempus puellae ad deliberandum concedat.

Repromissio debet esse *explicita*, nisi forte praesumendum esset quod iuvenis repromissionem explicitam tamquam plane inutilem non exigeret; qui casus valde practicus est; ut puta, si puella iam ad matrimonium paratissima ad sui tranquillitatem iuvenis promissionem exegisset, qui ideo promisisset illamque sic tutam reddidisset; item si puella, post iuvenis (nihil aliud expresse exigentis) promissionem, florentes iuventutis suae annos cum illo insumpsisset aliasque matrimonii occasiones amisisset, et multo magis si, cum honestatis honorisque iactura, sui copiam ei fecisset. (Cf. Scavini *III 738 not. 4*).

816. *Quid de tertia conditione, quod scilicet* ***promissio cum sufficienti cognitione et libertate facta fuerit?***

Circa *cognitionem*, dicunt sufficere usum rationis. S. Lig. (*n. 834*).

Attamen (iure positivo) sponsalia *impuberum* sunt rescindibilia ab unoquoque eorum, adepta pubertate, intra triduum post cognitum hoc privilegium, Cf. Lehmkuhl (*III 662*).

Quomodo autem sponsalium validitati obstare possit **error** substantialis vel **dolus,** infer ex dictis (*Vol. III n. 515. 516*).

Circa *libertatem*, quid de promissione **metu** extorta? Si sponsorum alteruter metum incutiat, nullum ius acquirere potest, dummodo metus sit iniustus; et probabilius non est distinguendum inter metum gravem et levem. Cf. Ballerini apud Gury (*n. 724 q. 2*). Si autem metus ab extraneo incutiatur, tunc promissio rescindibilis est de iure canonico (Cf. Vecchiotti *§ 47*); sed in hoc casu metus non solum iniustus sed etiam gravis esse debet. S. Lig. (*n. 844*).

Iniustitia tamen in metu non ita stricte intelligenda est, ut (propter eiusdem defectum) irrescindibilia censeantur sponsalia, v. g. pauperis puellae, cui in gravissima necessitate constitutae dives dixisset; subsidium quod petis tibi non dabo nisi matrimonium (quod mecum contrahere nolles) mihi promittas. Salmant. (*IX c. 9 n. 54*).

817. *Quid de quarta conditione, quod scilicet* ***promissio matrimonium licitum respiciat?*** Si matrimonium (v. g. propter votum castitatis, vel obligationem ducendi aliam, aut propter rationabilem parentum dissensum) illicitum esset; tunc sponsalia valere nequirent; nemo enim obligationem peccandi contrahere potest, nec sponsalia possunt esse vinculum iniquitatis.

818. *Quid de promissione* ***prodiga?***

Imprimis advertendum quod saepe promissio potest videri sed non esse prodiga.

Si puella cui vir ditissimus matrimonium promisit, sit quidem pauper, sed, v. g. valde honesta, valde pia, valde provida, valde pulchra, valde iunior etc.; tunc divitiarum excessus his praerogativis compensari potest. Idem dic si puella iuventutis suae annos cum illo viro insumpsisset aliasque nubendi occasiones amisisset; et multo magis si sui copiam ei fecisset. Item prodiga non esset promissio si dives motivo virtutis puellam pauperem ducere vellet; aut, eo quod foeminae divites superbae esse soleant, pauperem praeferat. Quamvis propter meram affectionem, et quia sic per totam vitam revera magis felix erit, promissionem fecisset quomodo haec tamquam prodiga culpari posset? Nonne etiam magnae donationes ex rationabili motivo factae, et maxime personis quae donatorem felicem redditurae sunt, licent?

Tunc itaque solum vera prodigalitas adest quando vir divitiis praeditus magnamque dotem obtinere valens, sine ulla causa (ut supra) rationabili et cum damno prolis nasciturae, foeminae omnino aut quasi omnino indotatae matrimonium promittit; prout contingeret si iuvenis ditissimus cum theatrali saltatrici in momentaneo passionis aestu et stulte prorsus sponsalia contraheret. In huiusmodi casibus sponsalia matrimonium vere prodigum et proinde saltem leviter illicitum respicerent, et sic invalida essent.

Iuvenis tamen deberet cito admonere puellam, ut libera remaneret; si enim per longum temporis tractum puellam sibi devinctam detineret, iam ipsa plus vel minus damna subiret; unde tunc sponsalia tacite confirmata matrimonium licitum respicere et valida evadere possent.

In praxi itaque rarissimus est casus, in quo solius prodigalitatis titulo sponsalia non valeant. Cf. S. Lig. (*L. 6 n. 851*).

819. *Quid si matrimonium sine magno* ***familiae dedecore,*** *aut sine* ***gravium discordiarum*** *timore celebrari nequeat?*

Hoc matrimonium per se est illicitum. Attamen licitum evaderet, si iuvenis aut puella absque magno et proportionato incommodo ab illo abstinere nequiret.

Aliqui moderni admittunt, esse posse licitum non obstante periculo discordiarum, quia tunc de sola charitate agitur, quae cum gravi incommodo non obligat; negant vero pro casu dedecoris, quia tunc (ut aiunt) de iustitiae violatione agitur. Sed apud antiquiores hanc distinctionem non invenio, et censeo in utroque casu de sola charitate vel pietate agi, et necessitatem matrimonii contrahendi posse esse talem ac tantam, ut filius, etiam non obstante familiae dedecore, illud celebrare possit, et subinde debeat, v. g. ad prolem legitimandam, vel ad puellae seductae honori consulendum (secus enim perpetuo remorsu, illam relinquendo, quateretur), vel etiam interdum ad propriam vitam salvandam etc.

820. *Quid de sponsalibus* ***conditionatis?***

Obligant ad expectandum an conditio verificetur vel deficiat. Sed de re ista agam mox infra (ubi de sponsalium dissolutione).

Hic dicendum est aliquid de sponsalibus celebratis sub conditione turpi, dum scilicet sponsus dicit: *te ducam, si voluptatibus meis satisfeceris*. Valentne sponsalia ista? Ante factum, negative. Post factum (scilicet fornicatione secuta), affirmative si promissio tamen sincera haberi debuisset; idque saltem si matrimonium sub conditione quidem fornicationis, sed non tamquam pretium illius, promissum fuisset.

Adverti debet quod, sicut ex amore, attamen sub conditione alicuius obsequii, magna haereditas promitti potest, neque id tamquam obsequii pretium haberetur; ita contingere potest quod iuvenis promittat quidem matrimonium puellae dilectae sub conditione fornicationis, sed non tamquam pretium fornicationis (sicut cum meretrice ageretur). Si enim id stare nequiret, tunc dici deberet quod eleemosyna, quae sub conditione celebrationis missae datur, pretium missae esset. Si itaque matrimonium ex amore, et non ad fornicationis (quae nihilominus exigitur) pretium solvendum, promittatur; tunc absque ulla controversia promissio, secuta fornicatione, servari debet.

Dices: huiusmodi contractus fuit invalidus, nullumque ius nullamque obligationem producere potuit. Resp. Non fuit totaliter invalidus; et puella, quamvis certe nec peccare teneretur, nec potuisset exigere ut iuvenis ante factum non resiliret; tamen ius acquisivit ad promissionis executionem pro casu in quo, neutro resiliente, fornicatio locum habitura esset. Sicut enim in contractibus de aedificatione templi protestantici inter catholicos, de impressione libri obscoeni, de exercitio militiae in bello iniusto, de operibus die festo inique peragendis etc., ante factum unusquisque resilire potest, sed post factum pretium pro labore (non pro peccato) promissum rependi debet; ita, imo a fortiori, in casu; siquidem, ut dixi, de pretio non agitur. Ita profecto sentiunt theologi communissime. Vide etiam supra dicta (*Vol. III n. 530*).

Si vero matrimonium ad modum pretii promissum fuisset (qui casus vix practicus est, et contingeret solum, si nullo praevio matrimonii tractatu, iuvenis ex mera libidine puellae dixisset: *quantum exigis ut te utar?* Et illa respondisset: *manum tuam exigo*); tunc aliqui theologi (nempe Gousset *I 1015;* Carrière *1361:* et Gury *Cas. consc. II 338*) docent quod iuvenis promissionem servare (ex hoc solo capite) non teneretur. Ratio est quia ius ad mercedem iniquitatis subsistere nequit.

Multi tamen adhuc contradicunt, quia merces daretur pro fornicatione non quatenus est peccatum, sed quatenus est puellae damnosa et periculosa atque adeo (non secus ac in exemplis supra adductis) pretio aestimabilis.

821. *Quid* ***in dubio*** *an vera sponsalia celebrata fuerint?* Oportet ut de obligatione vere contracta satis constet: secus enim unusquisque in sua libertate (quam amisisse non constaret) relinqui deberet; eo vel maxime quia expedit ut matrimonia libenter ineantur. Idque etiam ex praxi fori externi patet. Rota Rom. (*in Ventimeliens. 8 Feb. 1705*) censuit quod « in quocumque etiam minimo « dubietatis anfractu pro omnimoda exclusione sponsalium « iudex pronuntiare debeat ». Cf. *Monit.* (*V.* 1 *pag. 185*).

822. *An sponsalia non solum verbis sed etiam aliis signis perfici possint?* Affirmative. Quaenam signa autem huiusmodi significationem habeant, a loci consuetudine diiudicari debet.

Signum magis commune est, si, habito tractatu de matrimonio inter iuvenem et puellam eorumque parentes, puella ipsa coram eisdem anulum vel alia munera consensus indicativa a iuvene acceptet, aut requisita manum ei praebeat. Dico *requisita:* forsan enim non sufficeret si iuvenis puellae manum caperet, illaque nihil diceret. Apud nos (ruri) prandium seu ientaculum, cui iuvenis et puella cum propriis utriusque partis parentibus post dictum tractatum interveniunt, (vulgo *parentado, toccamano*) sufficere existimatur, nec anuli porrectio aut manus praebitio de substantia esse videtur.

823. *Sponsalia contracta sine publica scriptura valentne ubique saltem pro foro interno?* Valent, sed non ubique; in Hispania enim et America latina, pro foro nedum externo sed etiam interno, sponsalia quae sine publica scriptura contrahantur, invalida sunt. S. Congreg. negotior. extraord. *1 Ian. 1900,* et *5 Nov. 1901.* (Apud *Monitore XIV 108*).

824. *An matrimonium civile vim sponsalium habeat?* Sacra C. C. (*18 Marti 1879*), facto verbo cum SS.mo, decrevit, matrimonium civile impedimentum publicae honestatis non parere. Ex hoc tamen decreto inferri non debet quod iuvenis catholicus et probus, postquam matrimonium civile cum puella celebraverit, nullam matrimonii ecclesiastici celebrandi obligationem habeat, illamque derelinquere possit. Certe enim bona puella actui civili cum illo celebrare non consentit, nisi sub tacita conditione quod matri-

monium quoque ecclesiasticum celebrabitur; et profecto si iuvenis istud celebrare postea renueret, tamquam proditor iniquissimus ab omnibus haberetur. Hoc solo sensu (et non alio) et in his solis circumstantiis, matrimonium civile in sponsalia quodam modo resolvi posset.

Sed hoc non impedit quominus S. Sedes iustissimis rationibus publicae honestatis impedimentum a matrimonio civili non oriri decernere potuerit, prout modo dicebam et declarabitur infra.

CAPUT III.

DE SPONSALIUM DISSOLUTIONE.

825. *Quomodo sponsalia legitime dissolvi possunt?* Propter causas legitimas postea subortas, inter quas praecipuae sunt sequentes.

826. I. **Mutua sponsalibus renuntiatio.** Oportet tamen ut renuntiatio non fuerit inique extorta, v. g. per metum, aut fingendo difficultates quae non subsistant, aut nimis procrastinando, spernendo sponsam, adeundo alias, inanes querelas movendo, exigendo peccata, nolendo contrahere nisi praeviis litibus aliisque molestiis etc. (Cf. Lugo *De Iust. XXI 46* et Croix *n. 160*).

Sufficit tamen renuntiatio praesumpta, v. g. si puella, minime ad id provocata, alios amores iniisset; secus si ad id inique provocata et quasi coacta fuisset; tunc enim, si aliud matrimonium tentasset quidem sed frustra, pristina sponsalia in suo robore remanerent. (Cf. Lugo *l. c. XXII 26*).

827. II. **Notabilis circumstantiarum mutatio.** Gravi mutatione interveniente, quod sponsalia (etiam iurata) solvi possint, certissimum est; in contractu enim sponsalitio (qui matrimonium satis libenter contrahendum respicit) semper subintelligitur ut contrahentes sibi reservent ius resiliendi, si forte in posterum futurum sit ut res valde mutentur; unde, si sponsus sponsam sic iuste resilientem vexaret, alios iuvenes ab ea arceret, vel ab eiusdem parentibus pecuniam exigeret (nisi de casu dubio et liti subiecto ageretur), iniustus esset.

Non tamen quaelibet mutatio sufficit; secus enim vis sponsalium practice ad nihil redigeretur.

Ad cognoscendam quaenam mutatio sufficiat, multi dant regulam ut inspiciatur an tale quid successerit vel innotuerit, quod, si ante sponsalia evenisset vel innotuisset, illa contracta non fuissent. Haec regula aliquod lumen dare potest, sed non prorsus satisfacit.

Interdum est fallax (quid enim si cognitus fuerit defectus levissimus, qui si ab initio innotuisset sponsalia contracta non fuissent?), interdum non applicabilis (quid enim si mutatio esset gravis; attamen iuvenis fateretur quod promissionem, quam in aestu amoris fecit, aeque fecisset?), et saepe (propter hallucinationem) periculosissima erit.

Vera regula est ut inspiciatur an res, quae postea evenit vel innotuit, sit vere et adeo gravis ut pro legitima dissolutionis causa a viris prudentibus habeatur; hoc enim in puncto non solum libertatis matrimonii sed etiam iuris ab alio acquisiti ratio habenda est.

Theologi et canonistae longa serie mutationes enumerant, quarum aliquae semper, aliae ut plurimum, et aliae non raro resiliendi causam constituunt.

Sunt specialiter sequentes. Lues venerea; morbus comitialis (*mal caduco*); paralysis; foetor narium vel oris arte medica non superabilis; notabilis (quae superveniat) deformitas, maxime in foemina; sterilitas sive certa sive probabilis, si proles desideretur; foeminae graviditas ex facto alieno, eiusve infamia, v. g. ex raptu vel stupro (quamvis ipsa forte innocens fuisset); impossibilitas lactandi, si agatur de pauperibus; impotentia ad laborem, saltem in viro paupere; periculum reincidendi in amentiam; aetas ea quae credebatur valde provectior; dotis incongruitas; *magna* mutatio quoad bona fortunae ex parte alterius in peius, vel etiam ex parte propria in melius; opportunitas alterius coniugii quamplurimum et excedenter melioris (Cf. S. Lig. *Hom. Ap. XVIII 1. 19*); magna miseria ex aliquo infortunio utrique superveniens; inimicitiae sive inter sponsos ipsos sive inter eorum familias subortae; indoles perversa postea cognita; notitia quod sponsus aliam defloraverit, speciatim si insuper ex ea prolem suscepisset; patriae mutatio, si nempe, v. g. sponsus ad aliam civitatem se contulisset atque illuc domicilium fixisset. (*Cap. De illis de sponsal.*); magna vitia, pessimi mores etc.

Circa vitia tamen, personae conditio valde attendi debet; multa enim, quae viro nobili gravissimum dedecus inurerent, in plebeio vix considerantur. Et si aliquod vitium in ea classe, ad quam vir pertinet, sit valde commune, tunc non pro occulto sed pro manifesto habetur; unde in tali casu sponsae (maxime si alium virum a talibus vel similibus vitiis immunem inventura non esset) resiliendi ius non daretur, nisi forte ab illo matrimonio contrahendo nimis abhorreret, et potius in caelibatu vivere vellet.

828. Mutationes interdum dant ius resiliendi utrique parti, interdum vero uni parti dumtaxat, secundum quod utrique vel uni tantummodo graviter intersit ab illo matrimonio abstinere; et si pars mutationem inique procurasset (v. g. discordiam culpabiliter provocando), huiusmodi impedimentum pro viribus auferre teneretur.

829. Causa quae ordinarie sufficit ut sponsalia solvi queant, posset non sufficere si sponsa derelicta enorme damnum subitura esset; maxime vero si sui copiam sponso fecisset; vel si eius opera gravida iam evasisset; vel si sponsalia fuissent publica et iam omnia essent parata etc. Hinc supra innui quod causae recensitae non omnes sufficiunt, ut *semper* sponsalia solvi possint.

830. Denique si sponsus, cognito defectu suoque resiliendi iure, non resiliret; sed potius signa manifesta perseverandi in pristina voluntate praeberet (v. g. habendo copulam cum sponsa); tunc sponsalia non iam corruerent sed firmarentur. Si tamen a sponsalibus expresse recessisset, tunc huiusmodi signa valorem non haberent. Sanchez (*De Matr. L. 1 D. 66*).

831. *Quid de eo qui, sponsalibus inique neglectis,* ***nova cum alia puella sponsalia contraxit, eamque defloravit?*** *Deberetne ducere primam, an vero secundam?*

Theologi communiter dicunt, ducendam esse primam, quia secunda sponsalia sunt invalida, et prior sponsa, eo quod iuvenis iniuriam alteri intulerit, iuri suo cedere non tenetur. Sed haec sententia multis auctoribus probatissimis (v. g. Salmanticensibus, Palao, Vivae etc.) non placet.

Ego dicerem quod in tribus casibus circumstantiae essent sufficienter ita mutatae, ut prima irrationabiliter reclamaret, atque adeo vis priorum sponsalium cessaret. Hi casus sunt 1° Si adesset proles legitimanda. 2° Si se-

cunda sponsa ignorasset priora sponsalia, et ex defloratione (sive quia fuisset virgo sive quia infamiam subiisset) gravissima damna (nisi matrimonium subsequatur) subitura esset, dum prima nullum vel fere nullum damnum subiret, Cf. S. Lig. (*n. 848*). 3° Si cum secunda coram testibus et cum prima occulte sponsalia celebrasset, adeo ut, si primam ducere vellet, non posset, quia secunda efficaciter reclamaret. Ab his autem tribus casibus praescindendo, priora sponsalia (nisi puella renuntiaret aut praedicta animorum alienatio subsecuta fuisset) in suo robore remanerent.

832. *Quid de eo qui matrimonium promisit non obstante tali vel tali sacrificio; sed, quum aliud sit dicere aliud vero facere, actu executionis rei enormitate deterritus promissionem adimplendi animum non haberet?*

Ad impossibile nemo tenetur; sed ut plurimum non de impossibilitate, bene vero de magna difficultate seu animi repugnantia ageretur.

In praxi haec excusatio facilius valere posset si promissio in aestu passionis facta tractu temporis repetita non fuisset, et si illam non adimplendo nullum damnum obventurum esset puellae (quae iam difficultatem executionis praevidere debebat); et maxime si ex matrimonio quod adeo violenter contraheretur, malus exitus pertimesci deberet. Hoc sensu adoptari posse existimo sententiam plurium auctorum negantium obligationem, quos citat Sanchez (*De Matr. I.* VIII *n. 6*).

833. III. **Grave periculum ne pars fidem coniugalem fractura sit.** Plures censent, ius resiliendi (alio obligato remanente) dari quidem propter fornicationem sponsae, non vero sponsi (si nempe post sponsalia cum alia foemina fornicetur); sed probabilissimum est, ut plurimum illam posse sponsum respuere non solum si usque ad fornicationem processisset, sed etiam si tactus vel oscula dumtaxat nimisve familiarem consuetudinem cum alia habuisset, et multo magis si matrimonium ei promisisset. Sanchez (*l. c. 49. 2*). Ratio est quia tunc ut plurimum idem periculum (nempe scilicet sponsus fracturus sit fidem

coniugalem) non deesset, quod, etiam iuxta S. Lig. (*VI 360*), ad resiliendum sufficeret.

Quid si uterque fornicatus vel nimis familiariter (ut modo dicebam) cum alia persona processisset? Tunc uterque de fidei violatione timere, et sic uterque a sponsalibus resilire posset (Cf. D'Annibale *III 391*). Exciperem; nisi sponsa inique derelicta, et sic ad tentandum matrimonium cum alio, quasi coacta fuisset.

Notandum insuper quod timor de quo loquimur oriri potest etiam a notitia postea habita nimiae levitatis quae sponsalia praecesserit, ut puta, si sponsa resciret iuvenem ad alias foeminas nimis pronum fuisse, aut alicui cor suum ita apposuisse, ut de inconstantia eius futura in servanda thalami fide merito pertimescat.

834. IV. **Nimia matrimonii procrastinatio.** Sed hoc in puncto videndum an terminus appositus fuisset, vel non.

Quid si neque in contractu sponsalitio neque postea celebrationi matrimonii terminus praefixus fuisset?

Tunc uterque ad matrimonium teneretur *statim,* nempe quamprimum, si omnia ex utraque parte iam essent sufficienter disposita; et si non essent disposita, ambo illa disponere curare tenerentur. Negligentia gravis in rebus disponendis, et mora immodica si omnia essent parata demonstraret quod pars aut ficte promisit aut sponsalibus renuntiavit; et proinde pars innocens libera remaneret.

Quid si mora esset quidem immodica, sed inculpabilis? Tunc etiam ille per quem non staret, liber remaneret; censeretur enim se quidem obligare voluisse ad expectandum tempore aequo, sed non immodico. Iudex autem aut vir prudens, aetate aliisque circumstantiis consideratis, iudicabit an pars sufficienter expectaverit, et proinde libera decerni debeat; an vero secus.

835. *Quid si celebrationi matrimonii sponsi terminum praefixissent?* Videndum an ad finiendam, an vero ad sollicitandam obligationem id factum fuerit.

Si, v. g. iuvenis puellae dixisset: — Urgentem habeo necessitatem uxorem ducendi, et si tu statim (v. g. post Pascha omnia non paraveris, ego liber ero; usque ad talem terminum et non ultra in obligatione maneo —: tunc terminus ad finiendam obligationem statutum fuisset, eiusque

adventus daret ius *resiliendi,* si pars non adhuc esset parata; nec respiceretur an mora longa vel brevis, culpabilis vel inculpabilis esset.

Si autem iuvenes simpliciter inter se convenissent dicendo, v. g.: — Nostrum matrimonium statim post Pascha locum habebit —; tunc terminus ad sollicitandam obligationem statutus fuisset, eiusque adventus daret ius *urgendi,* non vero ita festinantur et absolute resiliendi sicut in casu praecedenti. Attamen terminus hoc etiam modo constitutus efficit, ut ille per quem non stat, valde citius recedere possit, quam si nullus terminus praefixus fuisset; et certe mora (iudicio viri prudentis) iam notabiliter protractior, speciatim si esset culpabilis, resiliendi ius daret.

836. V. **Si conditio verificata non fuerit.**

Imprimis conditio potest esse expressa et tacita.

Quid si conditio fuerit expressa?

Casus esset v. g. si sponsus dixisset: *Te ducam si talem dotem habebis;* et notandum quod interdum etiam ex absolutis conditionata, mutuo consensu, sponsalia evadere possunt. Si conditio non verificetur, sponsalia a seipsis corruunt, ut per se patet. Aliquando tamen sponsi conditioni renuntiant; quod et tacite facere possunt, ut puta, si sponsus, promisso matrimonio sub conditione virginitatis et habita notitia quod sponsa sit corrupta, nihilominus in voluntate eam ducendi per signa manifesta perseveraret.

837. *Quid de conditione tacita? Et quid speciatim de sponsalibus a filiis-familias, non adhuc consultis parentibus, contractis?*

Huiusmodi sponsalia ordinarie sunt revera tacite conditionata, subintelligitur nempe conditio: *si parentes consentiant;* unde, si ipsi etiam iniuste sed constanter obstent, filius ab obligatione (nisi aliquid in contrarium clamet) solutus remanet. (Cf. Gury *II 732 not. a.*).

Interdum tamen sunt absoluta, et sponsi, parentibus non admonitis vel etiam aperte invitis, sic et simpliciter illa contrahunt.

Si iusta de causa sic procederent (quia scilicet pa-

rentes irrationabiliter se forent oppositurі), sponsalia non solum valida sed etiam licita essent.

Si vero absque iusta causa sic procederent, tunc sponsalia, si essent de celebrando matrimonio cum certitudine vel periculo quod parentes futuri sint rationabiliter inviti, rem illicitam respicerent et proinde tamquam invalida haberi deberent. Sed casus huiusmodi rarus erit; ut plurimum enim parentes vel non sunt inviti rationabiliter, vel flectuntur et tandem consensum praestant; ab iis enim ordinarie non filii obligationes, sed sola damna temporalia et pericula exagerata considerantur; unde scripsit Sanchez (*De matr. I D. 14*): « Saepe vanae minae iactantur, ter-« roresque opponuntur, et discordiarum pericula inten-« tantur; quae tamen, experientia teste, ubi deferbuit ille « impetus et matrimonium celebratur, in nihilum reci-« dunt, facileque animi conciliantur, sedaturque omnis « tempestas ». Hinc ecclesiasticorum tribunalium praxis, canonistae et theologi, sponsalium (quae absolute contracta fuerint) invaliditatem, hoc solo titulo quod contra parentum voluntatem inita fuerint, ad casus valde raros restringunt. Cf. Sanchez (*l. c. n. 2*), S. Lig. (*VI n. 877*) et Vecchiotti (*§ 58*).

Si autem sponsalia (sine iusta causa) fierent parentibus non admonitis, certe (propter omissionem obsequii in re adeo momentosa illis debiti) forent illicita (Cf. Ballerini *Op. th. n. 191*); essent tamen valida, nisi forte sponsi de celebrando quoque matrimonio iisdem non admonitis convenirent. D'Annibale (*III 386*).

838. *An in sponsalibus subintelligatur etiam conditio: Nisi perfectiorem statum elegero?* Si res (v. g. propter defloralionem subsecutam, vel prolem legitimandam, aut aliud grave sponsae damnum) eo usque processerint, ut status *in se* perfectior, propter huiusmodi circumstantias, in individuo talis esse desinat; tunc dicta conditio subintelligi nequit, et sponsalia servari debent. Sanchez (*I 44*), S. Lig. (*III 649*), D'Annib. (*III 394*) etc.

Si autem haec inconvenientia non adsint; tunc distinguendum est inter statum religiosum, ordinem sacrum, votum simplex castitatis, et simplicem caelibatum.

Si agatur de professione religiosa, certum est quod sponsus potest religionem ingredi ibique professionem emittere, quin sponsa reclamare ullatenus possit.

Si agatur de suscipiendo ordine sacro; tunc res ambigua evaderet, et probabile est tum quod hoc liceat, tum quod pars reclamare possit.

Quoad votum castitatis, pariter res est ambigua in conscientia; certe tamen in foro externo simplex et privatum castitatis votum admitti non solet; secus enim praetextu huiusmodi voti omnes a sponsalibus se liberare possent. Cf. S. Lig. (*VI 873*), Sanchez (*I D. 46 et 47*), Vecchiotti (*§ 66*), Gury (*731 q. 2 not. a*) etc.

Si demum agatur de coelibatu (sine voto) in saeculo servando, certissime id non sufficit ut ius a sponsalibus resiliendi adsit. Sanchez (*XLVI n. 4*).

Haec omnia tamen sufficiunt, ut alia pars (si velit) libera evadat; statim ac enim, v. g. sponsus, sive habitum ecclesiasticum induendo sive quocumque alio signo, clare patefecisset se aliam a matrimonio voluntatem serio concepisse, iam sponsalibus renuntiasse satis indicasset.

839. VI. **Si impedimentum canonicum matrimonio obstet.**

Si sponsi nesciebant adesse impedimentum, illo postea detecto, non tenentur, per se loquendo, dispensationem petere, et sic celebrando matrimonium sponsalia adimplere.

Ratio est quia iustam unusquisque potest habere repugnantiam ducendi personam consanguineam, vel affinem, vel diversae religionis, vel per votum Deo dicatam, vel, uno verbo, quovis alio impedimento detentam. Alias quoque theologi addunt rationes, nempe 1° quia materia contractus tunc non est in commercio propter impedimentum; 2° ordinarie melius erit stare iuri communi; 3° nemo cogi potest ut recedat a lege, petat dispositionem et privilegio utatur.

Dixi *per se loquendo;* speciales enim circumstantiae dispensationis petitionem suadere, et (si quid opinor) exigere possunt, prout, meo sensu, contingeret in casibus sequentibus.

1°) Si necessitas prolem legitimandi, sponsae honori consulendi, rixas evitandi etc. clamet ut, non obstante illo impedimento, matrimonium, sive ex iustitia sive ex pietate sive ex charitate, celebrare oporteat; ita ut proinde Eccle-

sia ipsa dispensationem concedere non solum possit sed debeat. Tunc profecto dispensatio *semper* erit petenda, eaque obtenta, matrimonium celebrandum.

2°) Si, sponsalibus iam celebratis, sponsus propria culpa (v. g. rem habendo cum sorore sponsae) impedimentum provocasset, saltem si scienter, et maxime si directe. Dixi *saltem si scienter ;* secus enim iniuria non adesset, et proinde amissio iuris in sponsa non ex iniuria sponsi sed ex lege proveniret, ut sentiunt plures apud S. Lig. (*n. 858*).

3°) Si, sponsis scientibus adesse impedimentum, cum tacita vel expressa conditione petendi dispensationem, sponsalia celebrata fuissent. Hac de re vide dicta (*Vol. III n. 969*).

840. VII. **Constans, ineluctabilis et profunda animi alienatio.**

Matrimonium enim reciprocum amorem necessario exigit. In Cap. *Requisivit* legitur : « Cum libera debeant « esse matrimonia, monenda est potius pars quam cogenda; « cum coactiones difficiles soleant exitus habere »; et Rota Romana (*In Americana 8 Febr. 1841*) animorum dissociationem inter causas satis validas recensuit.

Tria tamen hic sedulo notanda sunt. 1° Haec animorum alienatio esse debet constans, ineluctabilis, et profunda, ut modo dicebam. Idque speciatim si misera sponsa derelicta alium maritum vix aut ne vix quidem inventura esset, aut aliae circumstantiae clemarent, ut matrimonium celebraretur. 2° Si iuvenis suâ culpâ et malitiâ in hanc animi alienationem devenisset, et sic inique promissionis suae executioni impedimentum apposuisset, tunc de damnis teneretur. Ita Croix (*n. 174*), Bouvier, Gousset (*n. 761*) aliique. 3° Propter periculum hallucinationis et abusus, ad S. Sedem recurrere oporteret. Cf. *De Occasionariis* (*n. 128*)

841. VIII. **Dispensatio pontificia.** Gravissimis de causis, et speciatim si, praeter animorum aversionem, adesset etiam necessitas celebrandi matrimonium cum alia, subsistente concubinatu (maxime vero matrimonio civili) cum prole etc.; tunc S. Sedes concedere solet dispensationem a sponsalibus ; idque ad evitandum maius malum, et quia Summus Pontifex potest etiam ius alterius acquisitum ex

iusta causa auferre (ut notat Lucidi *Vol. II Cap. VII n. 76*), ita tamen ut meliori modo possibili sponsae derelictae damna compensentur. Vide dispensationem concessam, facto verbo cum Pontifice, a S. C. C. *25 Iul. 1896* (apud *Monitore IX.* II *145*).

Sectio II.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

Agendum est de impedimentis 1° in genere; 2° dirimentibus; 3° impedientibus. Agendum est etiam 4° de bannis (seu proclamationibus); 5° de dispensationibus.

CAPUT I.

DE IMPEDIMENTIS IN GENERE.

842. ***Quid sunt*** *impedimenta matrimonii?* Sunt defectus alicuius conditionis requisitae ut matrimonium sit validum aut licitum.

843. *Quomodo* ***distinguuntur?***

I. Alia sunt *dirimentia* et alia *mere impedientia.* Priora (ut consanguinitas, affinitas etc.) validitati; posteriora (ut votum simplex, tempus vetitum etc.) liceitati tantummodo obstant.

II. Alia sunt *iuris naturalis* vel *divini* (ut impotentia et ligamen), et alia *iuris mere ecclesiastici* (ut publica honestas, affinitas et consanguinitas, excepto primo gradu etc.).

III. Alia sunt *publica* et alia *occulta.* Talia dicuntur in duplici sensu, nempe vel natura sua, vel de facto.

Naturâ suâ publica sunt quae nullam infamiam pariunt et plerumque facile probantur (ut consanguinitas et affinitas ex copula licita); e contra naturâ suâ occulta sunt quae si publicarentur infamiam secum traherent, et plerumque difficile probantur (ut consanguinitas et affinitas ex copula illicita).

De facto publica sunt quae, etsi forte naturâ suâ occulta sint, per accidens, seu in casu illo particulari, notoria evaserunt aut cito evasura sunt. Sic *de facto occulta* aliquando esse possunt impedimenta quae ordinarie et naturâ suâ sunt publica.

844. *An valida sint matrimonia contracta cum impedimento statuto a Principe et non ab Ecclesia?* Distinguendum est inter fideles et infideles.

Quoad fideles, Ecclesia tantummodo statuere potest impedimenta (quae in conscientia valeant) sive dirimentia sive etiam solum impedientia (et caute hoc in puncto legendi sunt quidam auctores).

Quoad infideles autem, principes saeculares illa certe constituere possunt. Cf. Génicot (*Vol. II n. 466. 467*).

845. *An impedimenta dirimentia incurrantur etiam ab iis qui prorsus et invincibiliter* ***illa ignorant?*** Affirmative. Aliqui excipiunt impedimentum criminis, et antiquiores excipiebant etiam impedimentum affinitatis ex copula illicita. Sed practice standum est pro existentia impedimenti, quod non solum in poenam, sed etiam ad tollendam indecentiam institutum fuit: et secus in praxi leges istae fere ad nihil redigerentur; interpretatio autem, quae legem ad nihil redigit, contra sensum legislatoris esset, atque adeo subsistere non potest.

846. *Quid de impedimentis* ***dubiis?*** Distinguendum inter casum in quo ante vel solum post celebrationem matrimonii dubium conceptum fuerit.

Loquendo de dubio quod subsistat antequam matrimonium contrahatur, sic dico.

Quoad impedimenta dirimentia iuris tantummodo ecclesiastici, distinguendum est inter *dubium iuris* et *dubium facti*. In *dubio iuris* (si nempe, attenta ratione et auctoritate, probabile sit quod in tali vel tali casu impedimentum non subsistat), supplet Ecclesia et impedimentum practice non subsistit. Oportet tamen ut probabilitas vere solida sit, nec communi (et maxime S. Sedis) praxi contraria. E contra in *dubio facti* (v. g. an quis sit consanguineus in gradibus pro impedimento statutis), Ecclesia non supplet (ut patet ex praxi separandi eos qui cum dubio vel ignorantia impedimenti contraxerunt, si postea reperiretur illud reapse adfuisse); unde in tali dubio inquisitiones sunt faciendae, et, si illis peractis dubium permaneret,

tunc vel abstinere a contrahendo matrimonio vel dispensationem ad cautelam petere oporteret.

Si autem dubium respiceret impedimentum iuris naturalis vel divini, et factis inquisitionibus perseveraret; tunc, si dubium versetur circa impedimentum ligaminis (subsistente incertitudine mortis prioris coniugis), transitus ad alias nuptias nunquam conceditur; si autem versaretur circa impedimentum impotentiae, certe non liceret matrimonium contrahere, parte non admonita; illa autem admonita et consentiente, doctrina probabilis est quod contrahi possit, ne scilicet quis propter tale dubium semper caelebi remanere cogatur. S. Lig. (*n. 1102*).

847. *Loquendo autem de dubio, quod suboriatur matrimonio contracto;* tunc standum est potius pro valore matrimonii ipsius. Attamen, ut illo uti liceat, speciales conditiones exiguntur; qua de re vide supra dicta (*Vol. II n. 877 et seqq.*), et infra dicenda (ubi de impedimento impotentiae).

848. *An valeat matrimonium contractum* ***cum impedimento existimato*** *sed non subsistente?* Qui certe existimaret matrimonium esse invalidum, illud (propter defectum intentionis) valide contrahere nequiret. Secus, si solum dubitaret, vel reflecteret quod in sua existimatione errare posset. Génicot (*2. 469 VII*).

849. *Quid si ex una parte adesset impedimentum dirimens, et ex alia* ***magna et urgentissima subsisteret necessitas*** *illud contrahendi aut illo utendi?* Si impedimentum esset iuris ecclesiastici, et (saltem attentis illis circumstantiis) dispensabilis, nec adesset tempus vel modus recurrendi ad S. Sedem; quomodo possit dispensare Episcopus; vel (si ne ille quidem adiri posset) parochus; et quomodo confessarius aliquando poenitentem relinquere deberet in bona fide; haec omnia partim sunt notissima et partim declarabuntur infra (ubi de dispensationibus) vide etiam *Theologiam pastoralem* (*n. 401-405*).

CAPUT II.

DE IMPEDIMENTIS DIRIMENTIBUS.

850. ***Quaenam sunt*** *impedimenta dirimentia?* Sunt quindecim. Indicantur in notissimis versiculis:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Aetas, affinis, si clandestinus, et impos,
Raptave sit mulier nec parti reddita tutae.

Quatuor (scilicet error, conditio, vis seu metus, et raptus) dici possunt *ex defectu consensus.* Duo (scilicet aetas et impos) *ex defectu naturae.* Tria (scilicet cognatio, affinitas, honestas) *ex parentela* sive proprie sive improprie dicta. Tria (scilicet votum, ordo, ligamen) *ex defectu libertatis.* Unum (scilicet cultus disparitas) *ex defectu baptismi.* Unum *ex crimine.* Unum (scilicet clandestinitas) *ex defectu solemnitatis.*

ARTICULUS I.

De impedimentis ex defectu consensus.

PUNCTUM I.

Error.

851. ***Quinam error*** *matrimonium reddit invalidum?* Error personae aut qualitatis redundantis in perronam; non vero error simplicis qualitatis. Haec sunt explicanda.

852. *Quandonam contingit error personae vel qualitatis redundantis in personam?*

Error *personae* contingeret si, loco Titiae, quae iuxta conventionem venire debebat, scamno nuptiali (sponso non advertente) se sisteret Caia; prout accidit in Lia, quae, loco Rachelis, apposita fuit, Iacobo non advertente, qui tamen postea matrimonium ratificavit.

Error personae in matrimonio (secus ac in aliis contractibus, et sacramentis etc.) certe substantialis est, et proinde iure naturae matrimonium irritat.

Nec refert si error fuisset vincibilis, vel concomitans (qualis esset si errore quoque detecto, consensus appositus fuisset).

Error *qualitatis redundantis in personam* contingeret in sequentibus casibus (qui tamen practice vix unquam contingunt).

Primus est si illa qualitas requisita fuerit ad modum conditionis sine qua non. Sed circa casum istum plura advertenda sunt prout patebit ex dicendis, ubi de matrimonio in se, et de consensu conditionato, verba faciam.

Secundus est si persona ab illa qualitate tantummodo determinata fuerit, prout contingeret si quis, contrahendo matrimonium per litteras vel procuratorem, diceret: *Contraho cum primogenita Caii;* et loco huius primogenitae apponeretur alia.

Quid si Titius contrahere volens cum primogenita Caii commisisset amico ut illam inspiceret et de pulchritudine ipsum certiorem faceret. Sed loco primogenitae deformis ostenditur amico secundogenita formosa. Die autem nuptiarum postulatam primogenitam, cuius pulchritudinem deceptus amicus laudaverat, duxit Titius per litteras, atque adeo illam non videns. Valeretne matrimonium istud? Affirmat Sanchez (contra Sporer); Titius enim de ducenda primogenita absolute consensit; et error fuisset circa qualitatem pulchritudinis, sicut esse potuisset circa dotem, nobilitatem etc.; qui errores validitati matrimonii non obstant.

Tertius casus est (iuxta Lehmkuhl *II 734*) si, quamvis sponsa esset praesens, consensus directe et principaliter qualitatem, indirecte vero et secundario personam respiceret; ut puta, si sponsus diceret: *Duco primogenitam Caii, quam credo esse puellam praesentem.* Secus si dixisset: *Duco puellam praesentem, quam credo esse primogenitam etc.*

853. *Quid de erroribus qui solam qualitatem respicerent?* Errores solius qualitatis (etsi valde graves, et quamvis, si cogniti fuissent, matrimonium celebratum non fuisset, imo quamvis ex dolo alterius partis provenissent) matrimonii validitati (publico bono sic exigente) non obstant; secus enim heu! quot matrimonia passim dissolverentur,

quod cederet in intolerabilem reipublicae perturbationem et scandala innumera, ut bene demonstrant Lugo (*De Iust. XXII 88*), Sanchez (*X.* IX *20*), Vecchiotti (*III 90*), D'Annibale (*III 334*) etc.

PUNCTUM II.

Conditio.

854. *Impedimentum istud* ***in quo consistit?***

Consistit in errore conditionis servilis, et contingeret quando persona libera duceret personam servituti subiectam (it. *schiava*) credendo illam esse liberam,

Quum hodie servitus fere ubique abolita fuerit, non refert in hoc immorari.

PUNCTUM III.

Vis seu metus.

855. ***Quo iure*** *metus dirimit matrimonium?*

Saltem iure ecclesiastico, nempe ex *Cap. XIV De Sponsal.* Alexandri III dicentis: « Cum locum non habeat « consensus, ubi metus vel coactio intercedit, necesse est « ut ubi consensus cuiusdam requiritur, coactionis materia « repellatur. Matrimonium autem solo consensu contra- « hitur, et ubi de ipso quaeritur, plena debet securitate « ille gaudere, cuius est animus indagandus, ne per timo- « rem dicat sibi placere quod odit, et sequatur effectus « qui de invitis solet nuptiis provenire ».

Dixi *saltem iure ecclesiastico* potest enim illud dirimere etiam iure naturali; idque certe contingeret quando v. g. sponsa consensum exprimat *ficte* et solis verbis (vide Acta *XXXV 321*); et probabiliter etiam in aliis casibus, quamvis enim metus ordinarie non tollat sed solum minuat voluntarium, tamen potest esse talis ac tantus ut, si de alio contractu ageretur contractus ipso iure naturae deberet esse rescindibilis ad nutum metum passi; quum autem matrimonium nunquam rescindi possit, iam necesse est ut potius tunc sit ipso iure naturae invalidum. Sed, quidquid sit de hoc, saltem iure ecclesiastico invalidum erit.

Ut autem metus ad hunc gradum perveniat, quaedam a theologis et canonistis exiguntur conditiones.

856. *Quaenam exiguntur* ***conditiones,*** *ut metus sit talis ac tantus ut matrimonium invalidet?* Debet esse

1° Ab extrinseco et fundatus; 2° gravis; 3° incussus ad hoc; 4° perdurans usque ad celebrationem matrimonii; 5° iniustus.

857. *Quid de prima conditione: quod scilicet metus debet esse* ***ab extrinseco*** *et fundatus?*

Certe mala quae per conscientiae remorsum (stante obligatione tale matrimonium contrahendi) formidantur; aut mala imaginaria, seu quatenus a sola imaginatione irrationabiliter confinguntur vel amplificantur, ad verum seriumque metum constituendum sufficientia non praesumuntur et practice non sufficiunt.

In iure (*C. De eo quod metus*) legitur: « Si quis me-« ticulosus rem frustra metuerit, per hoc edictum nun-« quam restituitur ».

Casus esset si quis minas formidaret, quamvis sciret quod persona metum incutiens illas exequi non potest, aut non solet et facile placatur. Idem dic si personae iam constaret quod mala comminata sat facile impediri aut declinari possent. Hinc difficile metus haberi posset ut gravis, si illum incutiens esset foemina.

858. *Quid de secunda conditione, quod scilicet metus debet esse* ***gravis?***

Gravem intellige sive in se et absolute, sive saltem relative.

In se, ut puta, si quis mortem, vel graves percussiones, vel carcerem, vel stuprum, vel infamiam, vel paternam exhaeredationem, vel diuturnam parentum indignationem cum molesta et difficili cohabitatione etc. iure formidaret.

Relative; in malis enim aestimandis, habenda est quoque ratio personae metum passae; ea enim mala quae forte levem molestiam viro, iuveni, sano, audaci, plebeio etc. afferrent; valde gravia et forte intolerabilia foeminae, infirmo, pusillanimi, nobili etc. esse possunt.

859. *Quid de metu reverentiali?*

Solus *metus reverentialis*, nempe difficultas contradicendi parentibus vel Superiori, ordinarie non censeretur gravis.

Excipe nisi alia adminicula diuturni odii, vel molestae cohabitationis (ut modo dicebam), superadderentur. Sanchez (*IV.* VI *8*) dicit, *maledictionem paternam* per se solam

non sufficere. Certe si illa esset irrationabilis, parvi fieri deberet, quia non haberet effectum. Circa ipsam *verberationem* esset distinguendum; aliud enim esset si pater et aliud si mater verberasset filiam; aliud si verbera gravia et multa, aliud vero si levia et semel adhibita fuissent (v. g. colaphus in transitorio aestu irae); aliud denique si filia nobilis fuisset, et aliud si plebeia ita ut verberationem illam pro nihilo habuisset.

860. *Quid de precibus importunis?* Illae metui reverentiali aequiparantur; et proinde solum aliqua rarissima vice pressionem et vexationem adeo magnam constituere possunt, ut matrimonium invalidum censeri debeat. Cf. Sanchez (*IV.* VII *7*) et decisionem S. C. C. (*3 Febr. 1880*) apud *Monitore* (*II.* II *17*).

861. *Quid de tertia conditione, quod scilicet metus debet esse* ***incussus ad hoc?*** Non sufficeret si ad alium finem comminatus fuisset. Casus esset si quis puellam deflorasset et illius fratres ex vindicta (non vero ad obtinendum matrimonium) illum occidere vellent; defloratur autem, ut illos placaret, se offerret ad puellam in uxorem ducendam.

862. *Quid de quarta conditione, quod scilicet oportet ut metus* ***perduraverit usque ad celebrationem matrimonii?*** Si prius evanuisset, tunc (uti patet) influxum non amplius haberet, et proinde matrimonium validum esset. Vide Acta (*Vol. XXX pag. 588*).

863. *Quid de quinta conditione, quod scilicet metus debet esse* ***iniustus?***

Hoc in puncto doctrina, quae apud canonistas et theologos passim invenitur, est sequens.

Si in metu incutiendo nulla iniustitia adesset, tunc (aiunt) matrimonium validum foret. Casus huiusmodi essent v. g. sequentes.

Titius renuens contrahere matrimonium, ad quod ex stricta iustitia iam obligabatur, illud contraxit, sive quia iudex legitime poenas ei comminatus fuit, sive quia sponsa ad iudicem omnino recurrere volebat,

Caius ut supra obligatus matrimonium celebravit, quia secus amissurus fuisset haereditatem sub conditione illius matrimonii promissam aut utcumque non debitam; vel quia secus cogeretur solvere statim magna debita contracta et sic in graves vel etiam gravissimas angustias redigi; vel quia solum ducendo talem foeminam posset se liberare a carcere vel

etiam ab extremo supplicio propter delicta sibi debito; vel quia aliis mediis non posset obtinere assistentiam medici non conducti qua valde indigeret etc. Porro in his aliisque casibus similibus, iniustitia (a parte metum incutientis) nullatenus adesset et proinde (dicunt) matrimonium valeret.

E contra matrimonium invalidum foret si malum comminatum iuris stricti violationem includeret; et casus essent v. g. sequentes.

Si iudex iniquus sub poena carceris damnaret iuvenem ad ducendam puellam, erga quam huiusmodi obligationem non haberet (sponsalia, v. g. cum illa non contraxit; vel iustam habet rationem ab iis resiliendi; vel propter defloratione sola dotis solutione satisfacere posset etc.). Item si huiusmodi puellae fratres mortem minitarentur iuveni, nisi illam in uxorem duceret; dum ille ad hoc stricte non teneretur.

Plures dicunt quod ad matrimonium invalidandum sufficeret si metus esset iniustus quoad modum, etsi foret iustus quoad substantiam, ut puta, si, dum iuvenis veram haberet obligationem ducendi puellam, iudex ad hoc illum cogeret sed non iuxta allegata et probata; aut (qui casus est valde practicus) parentes eiusdem puellae privata auctoritate mortem illi minitarentur.

At vero probabiliter susteneri potest contrarium, prout docent Salmant. (*De Matr. IX 51*) et D'Annibale (*n. 336*). Et revera quomodo potest esse invalidum matrimonium, quod quis ex iustitia celebrare tenetur? Nec obstat *Cap. Veniens XV De Sponsalibus,* ubi invalidum declaratur matrimonium initum a defloratore, qui duxerit defloratam ex metu incusso ab eiusdem patre; ex sola enim defloratione obligatio matrimonii praecise nequaquam oritur, unde tunc metus iam etiam quoad substantiam iniustus fuisset.

864. Haec (repeto) est doctrina quae passim invenitur apud canonistas et theologos.

Ego tamen dico quod aliquae exceptiones fieri deberent.

Imprimis ad invalidandum matrimonium non semper sufficit ut metus iniustus et gravis incussus fuerit, sed non obstante tali metu adhuc in duobus casibus validum erit.

Primus casus est si talis metus non efficiat ut aegro animo matrimonium contrahatur; idque contingeret quando inter sponsos affectus mutuus (et fortasse magnus) iam subsistit, sponsus autem nolebat matrimonium contrahere solum quia v. g. parentes eiusdem repugnarent, vel adhuc per aliquod tempus expectare vellet, vel adesset discordia circa dotem etc.; unde accidit quod consanguinei sponsae ad minas recurrerent et sic matrimonium contractum fuerit. Nunquid erit invalidum? Negative. Quamvis enim

minae essent prorsus iniustae, matrimonium contraheretur cum vero affectu coniugali, et fortasse iuvenis gaudebit quod casus huiusmodi accidisset, nec de huiusmodi matrimonii exitu infelici timendum esset. Enimvero ius canonicum dicit impedimentum subsistere non iam in casu isto, sed *ne propter timorem quis dicat sibi placere quod odit et sequatur exitus, qui de invitis solet nuptiis provenire.* Et glossa subdit: *quia quod quis non diligit forte contemnit.* Hoc patet etiam quia multa quidem habemus exempla matrimoniorum, quae a S. Sede declarata fuerunt invalida in casu mulierum, quae per metum nuptias inierunt cum viris quos abominabantur; sed nullum (quod sciam) extat exemplum matrimonii quod declaratum fuerit invalidum eo quod vir per metum in uxorem duxisset mulierem quam diligebat. In praxi autem casus huiusmodi (speciatim ruri) sunt satis frequentes, et nunquam auditur quod quis pro invaliditate reclamet. Adde quod haec matrimonia saepe concludi debent etiam ad consulendum honori puellarum, vel ad legitimandam prolem etc.

Secundus casus esset si misera mulier cogeretur quidem nubere viro quem non diligit, sed propter circumstantias ex una parte mallet sacrificium istud subire atque matrimonium contrahere, et ex alia vellet illud esse validum, ut sine peccato posset copulam habere etc. Utique in hoc casu non una est theologorum sententia, sed probabile est quod huiusmodi matrimonium sit validum; hoc enim impedimentum inductum fuit in favorem personae metum passae, et (iuxta aphorismum iuris) *quod in alicuius gratiam conceditur, non est in eius dispendium retorquendum.* Cf. Lehmkuhl (*II. 738. 739*).

Sic igitur patet quod ad invalidandum matrimonium non semper sufficit quod metus iniustus fuerit; sed aliquando metus erit iniustus, et nihilominus matrimonium valebit.

865. E contra non semper oportet ut metus sit iniustus; sed aliquando non erit stricte iniustus, et nihilominus matrimonium invalidum erit.

Enimvero si metus deberet esse semper stricte iniustus (ut scilicet includat violationem iustitiae commutativae),

quomodo interdum sufficere possent preces, ut ut importunae et diuturnae? Quomodo sufficere posset metus reverentialis erga parentes, ut ut pro illo matrimonio valde insistendo, indignationem ostendendo, continua lamenta emittendo etc., cohabitationem cum iisdem nimis molestam atque intolerabilem redderent? Porro haec quoque sufficere possunt ut puella tandem se determinet ad nuptias contrahendas etiam aegerrime et sine ullo affectu coniugali, atque ita ut ex matrimonio infelicissimus exitus secuturus esset. Vide, praeter decisionem S. C. C. *13 Febbraio 1880* mox supra cit. *n. 860*, aliam sub die *20 Dec. 1902* apud Acta (*XXXV pag. 321*).

866. *Matrimonium, quod ex metu vere invalidum fuisset,* ***quomodo revalidari potest?***

Oportet ut consensus ex affectu coniugali subsequatur et convenienter manifestetur. Ad huius rei explicationem notanda sunt sequentia.

I. Si matrimonium, propter metus enormitatem simulque publicitatem, fuisset vel evasisset notorie invalidum et iam tamquam tale communiter haberetur; tunc omnes docent exigi renovationem consensus coram parocho et testibus, prout fieri debet in omnibus aliis casibus matrimonii contracti cum impedimento publico (nisi etiam ab impedimento clandestinitatis dispensatio obtineretur).

Sed, praescindendo ab hoc casu, sufficeret si pars quae metum subiit (habitualiter perseverante consensu in alia parte) suum ex affectu coniugali consensum, sive per copulam, sive per diuturnam atque pacificam cohabitationem, sive compartem appellando coniugem, sive per amplexus et alia signa amoris, manifestet; non enim est de essentia matrimonii ut contractus matrimonialis perficiatur simul eodem momento, sed sufficit si unus prius et alter postea consensum praestet; nec obstaret quod longum tempus intercessisset, dummodo (ut dixi) in alia parte consensus perseverasset. Vide Sanchez (*IV.* XVIII *1-1*).

II. Copula quae (cessante causa metus, atque in coniuge stante notitia nullitatis matrimonii, atque possibilitatis illud revalidandi per copulam ipsam, sponte intervenerit, semper praesumitur peracta affectu coniugali ad

matrimonium convalidandum, non vero affectu fornicario, quia peccata non praesumuntur. Salmant. (*De matr. IX 55*).

Imo in rigore non exigitur ut causa metus cessaverit materialiter, sed sufficeret si cessasset formaliter, quod semper contingeret si affectus coniugalis vere subsecutus fuisset. Titius, v. g. vehementer alienatus ab amore sponsae illam dereliquit; sed metu mortis ei comminatae illam tandem in uxorem duxit; utique aegerrimo animo et proinde invalide. At vero postea, tum propter bonas illius qualitates, tum propter filios etc., illam denno amare incaepit, et nunc iam sincerissimo affectu coniugali ei adhaeret. Nonne sic causa metus tamquam non amplius existens haberi deberet, quamvis, si illam repudiaturus esset, sicut prius ei reformidandum foret?

Insuper in rigore videtur non exigi necessario ut, subsecuto vero affectu coniugali, nullitatis matrimonii notitia habeatur. Error enim quo crederetur matrimonium fuisse validum, tunc esset mere concomitans et nihil influeret. Ita enimvero sentiunt plures apud Sanchez (*II.* XXXIV *4*), et confirmatur ex facto sanationum tot matrimoniorum *in radice,* atque adeo de nullitate matrimonii *non certiorata parte.*

867. *Quaenam sunt signa magis practica, quibus iudicari potest quod matrimonium ex hoc impedimento metus fuerit et sit quoque hic et nunc invalidum?*

Huiusmodi signa sunt 1° Existentia metus ante matrimonium incussi cum circumstantiis supra indicatis. 2° Magna animi aversio quae iam inde ab initio adfuerit semperque perduraverit. 3° Repugnantia matrimonium ipsum consummandi, unde vel numquam consummatum fuerit, vel copula solum per vim aut per excitationem libidinis, non vero cum amore, habita fuerit. (In Gallia quaedam ex huiusmodi infelicissimis mulieribus, marito attentanti matrimonii consummationem, clamavit « *A l' Assasin* »; copula autem tandem per vim obtenta, ei indignatissima dixit: « Vous m' avz eu par la chair; mais vous ne m' aurez « pas par le coeur ». (Apud Acta *XXXV 329*): 4° Fuga a domo maritali. Contubernium vel matrimonium civile cum

alio. Reclamatio pro obtinenda sententia de nullitate matrimonii etc.

868. *An non solum vis et metus atque error; sed etiam amentia, ebrietas, simulatio, et conditionum appositio, possint matrimonium irritare ex defectu consensus?* Affirmativa; sed de his sermo habebitur infra (ubi agam de matrimonii proprietatibus et requisitis essentialibus).

PUNCTUM IV.

Raptus.

869. *Impedimentum istud* ***quo iure*** *dirimit matrimonium et* ***in quo consistit?***

Raptus dirimit matrimonium *iure ecclesiastico*, dicente Trid. (*XXIV.* VI) : « Inter raptorem et raptam, quamdiu « ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse subsi- « stere matrimonium ». Raptus imminuere solet consensus libertatem, et interdum constituere metum gravem (quo casu adesset impedimentum *metus*, ut supra) ; sed, si mulier etiam libentissime nuptiis consentiret, invalide contraheret donec est in raptoris potestate ; idque quamvis diu in eius potestate mansisset filiosque procreasset (Cf. D'Annibale *III 437 not. 38*).

870. *Ut verus raptus subsistat,* ***quaenam conditiones*** *requiruntur?*

I. Ut persona quae rapitur sit mulier.

II. Ut abducatur de loco ad locum ; nec sufficeret si simpliciter ubi reperitur obsideretur, vel a cubiculo ad cubiculum eius habitationis transferretur ; sumus enim in odiosis et lex prout sonat interpretari debet. Cf. D' Annibale (*l. c. not. 37*).

III. Ut abducatur invita, nempe sive vi physica, sive metu incusso, sive dolo (dolus certe sufficit. S. C. C. *25 Iun. 1864*) ; unde dicunt, raptum vel *violentiae,* vel *fraudulentiae* esse debere.

Preces (dummodo non sint importunae simulque coniunctae cum metu reverentiali), item munera et blanditiae non sufficiunt ; unde raptus *seductionis,* qui potius *fuga voluntaria* dicendus esset (etsi vis aut dolus aut

minae adhibitae fuissent contra puellae parentes), impedimentum non constituit (Scavini *III 807*); nec obstaret si puella postea facti poenitens ab amasio discedere vellet. (Sanchez *VII.* XIII *9*).

Notandum quod si tractatus de nuptiis seu sponsalia cum raptore praecessissent, tunc non raptus sed fuga accidisse praesumeretur; et aliunde leges canonicae ab hoc impedimento excludunt casum, sponsae, nisi forte iustam a sponsalibus recedendi causam haberet. (Vide Salmant. *XII 153* et Scavini *l. c.*).

IV. Oportet ut foemina abducta fuerit non ad libidinem explendam aut aliis finibus, sed matrimonii ineundi causa; Tridentinum enim loquitur de raptu in hunc finem perpetrato; nec referret si postea de matrimonio cum illa conveniretur. (Scavini *l. c.*).

V. Oportet ut res sit de matrimonio contrahendo inter raptam et raptorem. Nomine autem raptoris intelligitur etiam mandans; non vero mandatarius, nempe qui pro alio puellam rapit. Cf. D'Annibale (*l. c. n. 35*).

VI. Non sufficeret si quis puellam abduceret pro alio, eo inscio.

ARTICULUS II.

De impedimentis ex defectu naturae.

PUNCTUM I.

Aetas seu impubertas.

871. *Quid de impedimento* ***aetatis?***

I. Ad valorem matrimonii exigitur aut quod signa manifesta pubertatis (v. g. pollutiones in masculo, et cursus menstrui in foemina) iam adsint; aut quod masculus annum 14 et foemina 12 compleverit; qua aetate subsistente matrimonium valeret, quamvis forte pubertas adhuc non subsisteret.

Aliis verbis: Ad valorem matrimonii, iure ecclesiastico, exiguntur anni 14 completi in masculo, et 12 completi in foemina, *nisi malitia suppleat aetatem.*

Dixi *iure ecclesiastico;* quamvis enim hoc impedimentum fundetur in natura (propter actualem defectum

potentiae corporalis et maturitatis iudicii), tamen in rigore, solo iure naturae inspecto, sufficeret usus rationis.

Impotentia autem corporalis, quae adest in impuberibus, longe differt ab impotentia perpetua, quae utique etiam in adultis matrimonium dirimit.

II. Ut matrimonium sit validum, exigitur ut pubertas sit in utroque. Scavini (*Vol. III n. 792*).

III. Matrimonium contractum inter impuberes, quamvis (seclusa legitima dispensatione) sit invalidum in ratione matrimonii, tamen (ex speciali iuris dispositione) *resolvitur in sponsalia de futuro;* nisi contrahentes id excluserint. Ita ex Cap. *Tuae de spons. impub.*

PUNCTUM II.

Impotentia.

872. *Impedimentum istud* ***in quo consistit?***

Dico imprimis quod certe intervenit si adsit impossibilitas coeundi. Si itaque impotentia respiciat coitum (seu copulam), matrimonium (suppositis conditionibus infra explicandis) certissime invalidum erit.

Ratio est quia connubia, cum tali impotentia contracta, nec ad generationem nec ad remedium concupiscentiae deserviunt; libidinem provocant: tactuum et pollutionum occasio continua sunt; propter excitatam et numquam plene satisfactam libidinem violentosque conatus, foeminam et virum ipsum cruciant, veroque tormento afficiunt et morbis exponunt; reciprocam malevolentiam ingenerant et voluntatem rem habendi cum aliis inducunt. Quum itaque plurima et gravissima mala absque utilitate ulla producant, mera evadunt turpitudo, honestique matrimonii naturam habere nequeunt; idque iam sacri canones (ut videre est speciatim in toto titulo *XV De frigidis et maleficiatis et impotentia coeundi*, Decretalium *L. IV*, et apud Acta v. g. *Vol. XXXII 449-480*) pluries definierunt.

873. *Haec coeundi impossibilitas quomodo provenire potest a parte foeminae et a parte viri?*

Provenit **a parte foeminae** in sequentibus casibus.

I. Si careat vagina (nempe meatu qui ducit ad uterum), aut illam in ipso aditu, vel paullo post illum, occlusam habeat.

II. Si vagina non sit quidem prorsus occlusa, sed adeo arcta simulque (v. g. propter cicatrices, aut aetatem annosiorem) adeo rigida ut nullo pacto penetrari valeat.

Dixi *in ipso aditu vel paullo post illum :* arctitudo enim vel occlusio quae solum in fine vaginae adesset, non copulae sed foecundationi tantummodo obstare posset, ut notat Capellmann (apud Eschbach in libello *De impedimento impot. n. I*).

III. Si vagina esset adeo dilatata, vel utcumque ita corrupta et male affecta, ut viro nihil deserviret, et semen nec retinere nec ad uterum mittere posset. Cf. Sanchez (*XCII 11*), Croix (*n. 700*) et Cap. *Fraternitatis* (*tit. cit.*), ubi glossa dicit : « Non dicitur esse quod inutile est ».

Provenit **a parte viri** in sequentibus casibus.

I. Si membro genitali (v. g. propter defectum existentem iam inde a nativitate, vel propter abscissionem aut ulcera) careat.

II. Si illud ita enormiter amplum (per elephantiasim) vel ita exiguum habeat ut ad coniugale officium nullatenus deservire possit.

III. Si propter naturae vitium (vulgo *male della lumaca*), seu quamdam infirmitatem (quae ut plurimum ex venereis excessibus oritur) vir constanter semen effundat (et consequenter membri erectionem amittat) antequam penetret.

IV. Si vir propter naturalem frigiditatem, vel carentiam amborum testiculorum, vel maleficium, vel abominationem seu antipathiam maximam contra uxorem, nullo modo copulam habere possit.

874. *Quid de impotentia absoluta et relativa ?*

Est **absoluta** si copula sit prorsus impossibilis cum quavis persona (ut puta, si mulier vagina careret).

Est **relativa** si copula sit impossibilis cum illa persona quacum contractum fuit matrimonium, sed sit possibilis cum alia (ut puta, si vir habeat membrum ita amplum ut nequeat matrimonium consummare cum foemina paullo arctiori, sed possit cum alia. Idem dic de abominatione, vel de viro apto quoad viduam aut corruptam, sed non quoad virginem).

In utroque casu (sive nempe impotentia sit absoluta sive sit relativa) matrimonium contractum, est invalidum.

875. *Ut vera impotentia matrimonium dirimens subsistat,* ***quaenam conditiones*** *(seu, ut aiunt, extrema) requiruntur ?*

Debet esse 1° *antecedens,* nempe subsistere ab initio matrimonii, si enim supervenisset matrimonio iam celebrato (quamvis non adhuc consummato), non sufficeret.

Debet esse 2° *perpetua,* si enim foret temporanea, et futurum esset ut aliquando in posterum evanesceret, matrimonii validitati (exceptis impuberibus, ut supra *n. 871*) non obstaret.

Id facile contingeret, v. g. si vir, non propter dictam infirmitatem, sed propter nimium calorem, semen ante penetrationem effunderet; quippe calor iuvenilis non semper durabit.

Debet esse 3° *sine remedio*, et talis censeretur etiam si evanescere quidem posset, sed solum per miraculum; vel per actum illicitum (v. g. exercendo copulam cum alio viro, vel solvendo maleficium, non per simplicem signorum destructionem, sed per aliud maleficium); vel per medicinam seu incisionem, quae non dolorem aut morbum dumtaxat (haec enim iuxta communiorem sententiam non sufficiunt ut impotentia veri nominis constituatur), sed praecise periculum mortis afferret. Cf. Cap. *Fraternitatis* et Ballerini (*Op. th. n. 1258*), De Angelis (*Tit. XV*), Scavini (*n. 805*), Vecchiotti (*§ 104*), Génicot (*n. 504*), Bucceroni (*n. 994*) etc.

Pro praxi notandum quod mortis periculum non adest in multis foeminarum coarctationibus, quae facile et saepe solo tentamine copulae (etsi non sine dolore) evanescunt.

Facile etiam vincitur *vaginismus*, nempe musculi constringentis introitum vaginae spasmatica contractio, quae in quibusdam foeminis locum habet toties quoties copulae tentamen instituitur, vel quovis modo os vaginae tangitur.

Idem dic de discrepantia organorum, quatenus vir propter membri amplitudinem uxori non statim aptetur.

Notat Sanchez (*VII.* XCIII *19*) quod impotentia censeretur esse immedicabilis et sine remedio, quamvis per medicinam ad breve tempus auferri quidem posset, sed illico in pristinum statum res ita rediturae forent ut sine mortis periculo copula haberi nequiret.

876. *Quid de* ***hermaphrodito?***

Olim dicebant, veros hermaphroditos (nempe utrumque sexum coniugali officio aptum habentes) realiter existere, et proinde illorum matrimonium valere; sed subiungebant, sexum eligere debere (etsi imbecilliorem, dummodo idoneum), cum iuramento non utendi alio sexu, si forte post mortem coniugis aliud matrimonium inituri essent.

Sed hodie ex physiologia constat, verum hermaphroditum vix unquam inveniri (aut enim est nec mas nec foemina; aut solum foemina, quamvis aliqua alterius sexus vestigia adsint); et aliunde qui hermaphroditi videri possent eo quod unum testiculum et unum ovarium habeant, fere semper ante pubertatem moriuntur. Vide Eschbach et Capellmann apud Ballerini (*Op. th. Vol. VI n. 1284 in not.*).

In dubio, medicorum iudicium exigeretur.

877. *An aliquando matrimonium possit esse validum* ***quamvis copula esset impossibilis?***

I. Certe valet matrimonium **moribundi** quamvis in illo statu physica copulam perficiendi possibilitate destitueretur, et sic certo certius remansurus esset usque ad mortem.

Constat ex consuetudine Ecclesiae approbantis matrimonia moribundorum; quae honesta atque ut plurimum (v. g. ad legitimandam prolem, vel ad destruendam occasionem proximam) necessaria sunt.

II. Valent etiam matrimonia **senum decrepitorum.** Equidem multi docent quod matrimonium invalidum esset si ita forent viribus exausti, ut ne arte quidem medicinae ad copulam apti reddi valerent. Sed non desunt auctores (v. g. Navarrus, et Vega) qui etiam in hoc casu stant pro matrimonii validitate; et revera in praxi nunquam auditur quod Ecclesia solo titulo senectutis quemquam a matrimonio excludat.

878. *Quid si quis vas muliebre nullatenus penetrare posset; attamen* ***in ore vaginae semen deponere valeret?***

Meo sensu impotentia adhuc subsisteret et matrimonium invalidum esset.

Equidem in quibusdam casibus hoc sufficere potest ut foemina gravida evadat. Novissime Capellmann (*De impotentia*) scripsit: « Hodie certum est, sufficere ad foecundationem, si semen in aliquam partem membranae pituitariae vaginalis effundatur, etsi vel illa huius membranae pars esset, quae sine vera penetratione in vaginam a semine attingi posset (nempe attingendo dumtaxat os vaginae ad venerem commotae). Foecundatio non est impossibilis, etiam quando hymen virginale nondum laceratum est ». Qua de re multa testimonia affert Ballerini (*Op. th. Tr. X n. 1269*); et alia ex ipso D. Thoma adducit Palmieri in nota ad *n. 1270.* Imo quaedam mulier (ut in quodam libro legi) gravida remansit, eo quod fuerit in baluco, ubi prius vir se polluerat.

Ex hoc Ballerini (*l. c.*) et Génicot (*n. 503, 2°*) deducunt quod in casu exposito impotentia non esset certa, et forsan vera copula perficeretur etiam ab illo, qui, sine penetratione, solum in ore vaginae semen effunderet. Imo aliqui alii rem istam absolute docent. D'Annib. (*n. 321 not. 5*) scripsit: « Caeterum satis est si vir semen ad vaginae os ingressumque « effundere possit: constat enim pluribus exemplis, hoc ad generationem « sufficere ». Et Bucceroni (*n. 994, 2°*) idem repetit inquiens: « Plures « et graves auctores asserunt satis esse si vir semen ad vaginae os in- « gressumque effundere possit et illud mulier intra se recipere: hoc enim « ad generationem sufficere constat experientia ».

Fundamentum autem quaerere conantur in doctrina Sanchezii, quatenus (*L. II D.* XXI *n. 2*) scripsit: « Conveniunt, consummari (matrimo- « nium) quacumque arte semen recipiatur intra vas naturale, absque illius « penetratione, quia ea copula sufficiens est generationi.... Et hoc verum « est quamvis daemonis ministerio semen viri in vase debito recipiatur ». Et *n. 5* subiunxit: « Etiam absque corporum coniunctione, virili semine « recepto intra vas, consummatur matrimonium iuxta omnes ».

Sed advertendum quod Sanchez supponit quod agatur de matrimonio iam valide contracto, cui scilicet impedimentum impotentiae nullatenus obstaret, et casu quidem ita accidisset, sed a parte sive viri sive mulieris coeundi impotentia non intercessisset. Enimvero alibi (*VII.* XCIX *n. 37*) se bene declaravit et scripsit: « Quod si revera foemina ita arcta sit, aut « vir debilis aut calidus, ut non possit cum foemina ita coire, ut semen « intra vas emittat, sed foras effundat: in quo casu, quando hoc iudicatur « perpetuum et immedicabile impedimentum, diximus matrimonium esse « nullum, mihi persuadeo (quamvis in nullo auctore inveneriṁ) adhuc « esse vere irritum, ac proinde non consummari, licet arte aliqua absque « viri penetratione sit receptum semen intra vas, aut per matricis attra- « ctionem; quia (N. B.) *valor matrimonii non potest pendere ex casu raro « ac fortuito*. Deinde quia verificatur, virum illum esse impotentem ad se- « minandum intra vas, et alias nunquam haec impotentia posset dirimere « matrimonium contra doctores ibi allegatos, quippe semper potest semen « illud, saltem vase aliquo vitreo receptum *(hodie diceremus per foecun- « dationem artificialem)*, intra vas foemineum immitti »,

Quod autem praedicta doctrina (quod scilicet matrimonium tunc quoque sit validum) probari (exceptis fortasse senibus) non possit, patet etiam quia iam actum esset de impotentia, quae in pluribus casibus hac in re magis ordinariis (nempe in foemina propter arctitudinem; et in viro propter nimium calorem vel nimiam debilitatem, unde seminare quidem, sed non penetrare posset) contingere solet; quae quidem impotentia semper hucusque recognita fuit non solum a theologis et canonistis, sed etiam a iudicibus ecclesiasticis et praecipue a S. C. C. ut videre est in tot causis et decisionibus apud Acta (v. g. *Vol. XII pag. 620. 629;* item *Vol. XVII pag. 352. 358;* item *Vol. XVIII pag. 251* et.). Adde quod Cap. *Ex litteris* (in quo vir ad seminandum supponitur potens, et totum impedi-

mentum a mulieris arctitudine pendet) a iure canonico prorsus deleri deberet. Aliunde, quum in rebus moralibus casus rarissimi (ut supra notabat Sanchez) pro nihilo sint habendi et parum pro nihilo reputetur, ad quid huiusmodi matrimonia in quibus nec coitus nec (moraliter loquendo) generatio possibilis est, nullusque proinde matrimonii finis obtinetur?

879. *Hucusque actum est de impotentia quatenus provenit ab impossibilitate perficiendi copulam; sed* ***potestne provenire etiam a sola impossibilitate generandi?*** Haec impossibilitas oriri potest 1° a parte viri qui sit eunuchus vel senex decrepitus; 2° a parte foeminae quae utero et ovariis careat, vel utcumque sit absolute et necessario sterilis.

880. *Quid si impossibilitas generandi sit a parte viri, qui sit* ***eunuchus?***

Eunuchi seu spadones (si ambobus testiculis careant, aut illos habeant adeo corruptos ut officium suum praestare non possint) sunt certe inhabiles ad matrimonium. Attamen si testiculorum defectus non proveniat a castratione, medici iudicium exigeretur; interdum enim reconduntur in alvo, et interdum non adeo corrupti sunt ut inertes evaserint aut remedium non admittant.

Supposito autem vero et absoluto testiculorum defectu, utique huiusmodi eunuchi sunt inepti ad generationem; sed sedulo notandum quod sunt etiam inepti ad copulam, quam solum valde imperfecte (quasi ad modum pruritus) raro et difficulter peragere possunt, ita ut ex tali copula foeminae concupiscentia (propter actus imperfectionem et brevitatem) vix unquam expleri valeat.

Propter haec omnia in complexu considerata, Xistus V (*22 Iun. 1587*) In Motu Proprio *Cum frequenter* decrevit, matrimonia eunuchorum invalida esse iure naturae. En sua verba: « Nos igitur attendentes quod secundum ca-
« nonicas sanctiones et naturae rationem, qui *frigidae*
« *naturae sunt et impotentes,* iidem minime apti ad con-
« trahenda matrimonia reputantur, quodque praedicti aut
« spadones, quas tamquam uxores habere non possunt,
« easdem habere ut sorores nolunt, quia experientia docet,
« tam ipsos *dum se potentes ad coeundum* **iactitant,**

« quam mulieres quae eis nubunt non ut caste vivant, « sed ut carnaliter invicem coniungantur, et prava et li- « bidinosa intentione *sub praetexta et in figura matri- « monii,* turpes huiusmodi commixtiones **affectare,** quae, « cum peccati et scandali occasionem praebeant et in ani- « marum damnationem tendant, sunt ab Ecclesia Dei « prorsus exterminandae. Et insuper considerantes quod « ex spadonum huiusmodi et eunuchorum coniugiis nulla « utilitas provenit, sed potius tentationum illecebrae et « incentiva libidinis oriuntur, eidem Fraternitati tuae..... « committimus et mandamus ut coniugia per dictos et « alios quoscumque eunuchos et spadones utroque teste « carentes cum quibusvis mulieribus, defectum praedictum « sive ignorantibus sive etiam scientibus, contrahi prohi- « beas, eosque ad matrimonia quomodocumque contrahenda « inhabiles auctoritate nostra declares; et tam locorum « Ordinariis ne huiusmodi coniunctiones de caetero fieri « quoquo modo permittant interdicas, quam eos etiam qui « sic de facto matrimonium contraxerint separari cures, « et matrimonia ipsa sic de facto contracta, nulla, irrita « et invalida esse decernas ».

Ex hoc decreto theologi et canonistae passim deduxerunt, matrimonia eunuchorum invalida esse propter impossibilitatem seminandi, atque adeo ad validitatem matrimonii potentiam seminandi necessario exigi. Sed haec deductio legitima non est: Pontifex enim in impossibilitate non iam seminandi sed coeundi decreti sui (ut consideranti praedicta verba facile patet) fundamentum reposuit.

881. *Quid de viris senibus quoad potentiam generandi?* In ipsis (saltem si sint decrepiti) semen caret *spermatozoidis*, qui ad illius foecunditatem prorsus exiguntur. Sic itaque ut plurimum generationi inepti sunt. Hinc tamen non censentur (sicut eunuchi) laborare impotentia ad matrimonium, et ratio est quia ex una parte identidem (etsi rarius et forte aliquando rarissime) coitum perfectum habere possunt, et ex alia longe minus sufficit ut maritus senex uxori vetulae satisfacere valeat. Cf. Génicot (*n. 503 1°*).

882. *Quid de foeminis sterilibus?* Notissimum et certissimum est quod sterilitas matrimonii valori nihil obest, nec, posita possibilitate coeundi, unquam distinctio facta fuit inter sterilitatem ex causa occulta aut manifesta, vel inter sterilitatem remedio subiectam (v. g. propter alicuius tenuis membranae interpositionem, vel uteri flexionem) et sterilitatem incurabilem (v. g. propter ovariorum deficientiam vel atrophiam). Ecclesia enimvero semper censuit matrimonium esse validum et prorsus indissolubile, quamvis uxor sterilitate incurabili laboraret; secus enim nonne circa idipsum examina adhibuisset in casibus summi momenti; quando scilicet Principes Supremi ex contracto matrimonio prolem habere non poterant, atque a Summo Pontifice (comminando mala gravissima) licentiam transeundi ad alias nuptias obtinere voluissent? Equidem examina ista ut plurimum impossibilia extitissent; sed nihilominus dantur casus, in quibus fieri potuissent, verificando v. g., quod occlusio vaginae talis ac tanta esset ut remedium non admitteret.

883. *Quid de foeminis, quibus per operationem chirurgicam (quae hodie fieri solet) uterus ablatus fuisset?* Hodie (a chirurgis peritis et cautis) sine ullo periculo fit operatio ista, quae non ita pridem semper mortalis erat. Ab auctore suo, *Porro* appellatur. In extractione ovariorum, vel etiam uteri simul cum ovariis, et proinde in quadam (veniam peto de verbo) castratione foeminae consistit; quae tamen, remanet aptissima ad copulam, quamvis reddatur inepta generationi.

Statim fieri caepit quaestio, an foeminae, quae hanc operationem subierint, valide matrimonium contrahere possint.

Quamvis non desint contradicentes, ego censeo matrimonium istud habendum esse tamquam validum et non esse impediendum. Argumenta sunt sequentia.

Imprimis habemus decisiones Supremae Congregationis S. Officii.

De hoc gravissimo argumento S. C. interrogata fuit *an. 1887.* En quaesitum et en responsum. « Num mulier, per « utriusque ovarii excisi defectum sterilis effecta, ad matri-

« monium ineundum permitti valeat ac liceat, necne? » Resp.: « Re mature diuque perpensa, matrimonium mulie- « ris, de quo in casu, non esse impediendum ». *Die 3 Febr.* Apud Génicot (*II n. 503. 3°*).

Iterum interrogata fuit *an. 1890*, et iterum eodem modo respondit. « Num mulier N. N., cui operatione chi- « rurgica ablata sunt duo ovaria et uterus, admitti possit « ad matrimonium contrahendum? » Resp.: « Re mature perpensa, E.mi DD. Cardinales Inquisitores Generales decreverunt: Matrimonium non esse impediendum » *Die 30 Iul.* Apud Acta (*XXXII pag. 451*).

884. Qui stant pro matrimonii invaliditate dicunt, in his duabus decisionibus agi de casibus particularibus, in quibus, non obstante operatione, matrimonium erat validum, quia operatio ipsa ita imperfecte peracta fuit, ut mulieres adhuc generationi aptae remanerent.

Sed pro interpretatione huiusmodi tam in prima quam in secunda decisione nedum nullum indicium habetur, sed omnia sunt in contrarium. Quomodo enim illae mulieres potuerunt remanere aptae generationi, si eisdem ambo ovaria excisa et ablata fuerunt? Si insuper secundae uterus quoque ablatus fuit? Si praeterea de prima dicitur quod operatio ita peracta fuit ut sterilis evaserit? Adde quod, supposita etiam aliqua imperfectione in operatione peracta, iam generatio non posset sperari, nisi forte pro casu valde raro et dubio. At vero (ut ait Sanchez *VII.* XCIX *37*) « va- « lor matrimonii non potest pendere ex casu raro ac fortuito »; maxime quia tunc insuper rarissima illa atque incertissima generatio respiceret foetum, qui vix conceptus moriturus esset.

Restat itaque ut decisiones S. C., quae dicunt matrimonium mulieris excisae non esse impediendum, vere referantur ad casus, in quibus operatio ita peracta fuerit ut mulier generationi inepta remanserit.

885. Aliud argumentum est quod vetula octoginta vel nonaginta annorum est certe ad generationem inepta; et nihilominus eiusdem matrimonium validum est. At vero quid differentiae? Vetula (ut mihi scripsit D'Annibale) est vitis cui radices dissicatae; mulier autem sine ovariis est vitis cui radices amputatae sunt. Ambae fructus, ambae generationis incapaces. Ergo, si valet matrimonium primae, valere debet etiam matrimonium secundae.

886. Tertium argumentum est quod matrimonium foeminarum sterilium semper tamquam validum (ut modo dicebam) habitum fuit (et vae si esset invalidum!): sterilitas autem etiam ex deficientia ovariorum provenire potest. Sed si valet matrimonium dum ovaria deficiunt naturaliter, cur non valebit si quovis alio modo deficiant?

887. Contra hanc doctrinam plurimae fiunt obiectiones: et praecipuae sunt sequentes.

888. Obiic. I. *Decisio S. C. S. O. valere quidem poterit, sed solum tamquam opinio, a qua proinde recedere unicuique facile licebit.*

Resp. Negative; S. C. enim dixit: *Re mature dinque perpensa* (nec verum est quod verba ista in omnibus eiusdem S. C. responsis semper inveniantur); et proinde (meo sensu) absque temeritate a decisione ista recedi nequit. Adde quod verba sunt non solum declarativa sed etiam imperativa; S. C. enim rotunde dicit: *Matrimonium non esse impediendum.*

889. Obiic. II. *Quidam canonista apud Acta (XXXII pag. 463) dicit, Sacram Congr. Concilii (in una Albinganensi 7 Sept. 1895) declarasse invalidam matrimonium contractum a quadam Anna utero carente; et ibidem instat, ut decernatur invaliditas matrimonii eiusdem Helenae, quae pariter utero carebat. Talem autem invaliditatem S. C. revera (l. c. pag. 480) declaravit.*

Resp. Tam in primo quam in secundo casu (ut videre est apud Acta *Vol. XXVIII pag. 449*), res erat de carentia non solum uteri, sed etiam vaginae. Illa enim adeo brevis erat, ut vix 5 vel 6 centimetris protenderetur (dum regulariter ad minus 14 centimetris protendi deberet, et usque ad 18 cent. protendi potest); ultra autem omnino et immedicabiliter occlusa erat. Sic autem tam vaginae quam coitus nonne larva tantummodo esse poterat? Haec itaque obiectio non est ad rem.

890. Obiic. III. *Idem canonista (l. c. pag. 452) dicit quod, etiam post decreta S. C. S. O., plures in re medica peritos docent, matrimonium ex uteri et ovariorum deficientia esse invalidum; imo eadem doctrina a perillustri medico et professore (Lapponi) sub oculis ipsius S. C., traditur Romae in pontificia accademia historico-iuridica, quae nunc ad S. Apollinaris sedem habet. Eidem autem nunc adde peritissimum Topai.*

Resp. Hos peritos esse medicos et physiologos. Sed iuridicare quidem de facto ad medicos et physiologos; iudicare autem de iure ad canonistas et theologos spectat.

Equidem inter theologos quoque et canonistas lis est; et nil mirum; ex una parte enim non adhuc agitur de doctrina ex cathedra definita, et ex alia potest adesse iusta ratio sinendi ut doctores rem istam discutiant suasque observationes exprimant et publicent.

Sic itaque pro matrimonii invaliditate cum Antonelli stant cl. Bucceroni, Palmieri, Noldin et De Luca.

E contra pro validitate stant praecipue Eschbach (De novo quodam sterilitatis conceptu): Marc (*II 2008*); Génicot (*II 503 3°*); D'Annibale, qui tunc erat assesor S. Officii, et (*Edit. 3ª et 4ª*) scripsit: « Nubere non pro« hibetur mulier, cui utrumque ovarium *penitus* exectum fuit », seu « quae « sterilis effecta est per utriusque ovarii excisi defectum, quia sterilitas « non est idem ac impotentia (contrahendi matrimonium); scilicet matri« monium ad mutuum quoque vitae adiutorium pertinet et ad concupiscen« tiam coercendam ». Adde Lehmkuhl qui dicit: « Ecclesia utique pote« state potitur statuendi impedimenta. Si itaque opportunum iudicaverit, « statuere poterit ut omnis operatio chirurgica, qua mulieris ovaria vel « uterus excidantur, subsequens matrimonium dirimat. Quod si fecerit, res « confecta erit. Sed quamdiu hoc non fecerit, aliis ius non erit, matrimo« nium mulieris, per excisionem ovariorum vel uteri sterilis effectae, im« pedire ».

891. Obiic. IV. *In sacris litteris (nempe Genes. II 24; Matth. XIX 5; Marci X 8; Ad Ephesios V 31) de matrimonio dicitur: « Erunt duo*

« *in carne una* ». *Tales autem erunt coniuges per copulam aptam ad generationem, nempe ex propriis duobus seminibus procurando unam carnem nempe filium, ut explicant plures cum S. Antonino* (*Summ. tit. XIV C. 9 § 1*). *Ad substantiam itaque matrimonii pertinet ut coniuges, sin minus generent prolem revera, saltem ad illam generandam sint potentes ; secus enim nunquam possent esse duo in carne una.*

Resp. Negative ; huiusmodi enim interpretatio cum vero istorum verborum sensu minime cohaeret.

Patet 1° Quia in sacris litteris *Erunt duo in carne una* dicitur non solum de matrimonio, sed etiam de meretricio. Enimvero (*1° Cor. VI 15. 16*) legitur : « Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tol- « lens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit. An nesci- « tis quoniam qui adhaeret meretrici unum corpus efficitur ? Erunt enim « (inquit) duo in carne una ». Sed nunquid etiam ad substantiam meretricii pertinet generatio prolis ?

Patet 2° Quia dicta interpretatio est nimis contorta. Locutionis *Erunt duo in carne una* sensus naturalis est, non iam quod duo (vir et mulier) erunt in carne una, nempe in subiecto unico ab iisdem distincto (in prole); bene vero quod duo erunt quasi unum ex illis ipsis efformatum per coniunctionem corporum in copula ; sicut duo volumina, dum sunt duo si sint disiuncta, iam, si simul ligentur et dum sic ligati sunt, non amplius sunt duo sed unum evadunt. Quod profecto hic sit sensus naturalis, probatur etiam ex verbis *Adhaerebit* (Genesis)... *Iam non sunt duo* (Marci)... *Faciam membra meretricis? Qui adhaeret meretrici unum corpus efficitur.*

Patet 3° Ex interpretibus. A Lapide (*1ª Cor. 16*) verba *Erunt duo in carne una*, explicat : « Idest duo erunt una caro, primo per copulam « carnalem ». Et verba *unum corpus efficitur*, explicat : Per « corporum « unionem et commixtionem ».

Dices: Ergo non aderit differentia inter matrimonium et meretricium? Resp. Quis negabit differentiam? Sed verba : *Erunt duo in carne una* referuntur ad coniunctionem carnalem, quae (quatenus praecise talis et non amplius) est communis matrimonio et meretricio ; differentia autem est quia eadem coniunctio, dum in meretricio est illicita (unde subditur : *Fugite fornicationem*), in matrimonio est legitima illudque indissolubile reddit (unde subditur : *Quod ergo Deus coniunxit homo non separet*).

Patet 4° Si ex dictis verbis inferri deberet quod aptitudo ad generationem est de substantia matrimonii, tunc matrimonium foeminarum decrepitarum aut laborantium sterilitate incurabili, essent invalida, quod contra praxim et sensum Ecclesiae est.

Dices : Si verba *Erunt duo in carne una* intelligenda essent solum de coniunctione corporum, tunc in matrimonio sufficeret etiam copula sodomitica, vel onanistica. Respondeo negative ; sic enim quoad mulieres nequidem secundarius matrimonii finis, nempe sedatio concupiscentiae, obtineretur. Hoc de copula sodomitica per se patet. De onanistica autem probatur, quia coniunctio tunc nimis brevis evaderet, atque adeo foeminae (ut plurimum maiori tempore indigenti) non satisfaceret; unde scripsit Eschbach (*Disp. physiol. theol. D. IV C. v A. 2*): « Minime huiusmodi imperfectis « seu innaturalibus actibus satiata, quid mirum si deinceps ipsa ad illi- « citas et adulterinas voluptates recurrat? » Obstaret etiam defectus seminis, cuius effusio ad illam satiandam concurrit (Idem *l. c.*). Adde quod tunc actus malitiosissimus, ad impediendam generationem directe adhibitus, interveniret : quid autem incredibilius quod actus huiusmodi ad honestum matrimonium pertinere possit ?

892. Obiic. V. *Ex nonnullis textibus iuris canonici infra adducendis (ubi de conditionibus appositis contra substantiam matrimonii) patet, matrimonium vitiari substantialiter, atque adeo invalidum esse, ex defectu contrario generationi prolis. Sed nonne adesset talis defectus in casu?*

Respondet Sanchez (*VII*, XCII *26*): « Textus (iuris canonici) aperte « loqui quando in pactum deducitur in matrimonii contractu, ut proles « vitetur. Tunc enim irritum est matrimonium, illud vitiante conditione « ipsius bonis contraria ». Substantialiter itaque vitiari potest matrimonium ex dicto pacto vitandi prolem (et quidem actu positivo, v. g. per onanismum), non vero ex solo defectu, quo (subsistente etiam copula) proles concipi nequiret; ut patet ex senibus et sterilibus (ut supra).

893. Obiic. VI. *Deficiente spe prolis, finis primarius matrimonii non amplius intendi posset. Sed finis secundarius (vitandi incontinentiam) sine primario non sufficit.*

Hic pariter respondet Sanchez (*l. c.*): « Etsi id matrimonium frustra- « retur fine primario, consequitur tamen finem secundarium, nempe satis- « factionem concupiscentiae, verâ copulâ habitâ; quod ad eius valorem suf- « ficit ». Et in Decreto (*XXXII q.* II *C.*) dicitur: « Coniuges sunt qui « causa solius incontinentiae sibi invicem copulantur ». Et de hoc habemus fundamentum in Apostolo (*1 Cor. VII 2*) dicente: *Propter fornicationem autem* (non dicit propter prolem) *unusquisque suam uxorem habebit, et unaquaeque suum virum habeat,* (et *v. 6*): *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus .., et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram,* (et *v. 9.*): *Quod si se non continent, nubant; melius est enim nubere quam uri* ».

Quinimo Chrysostomus haec verba Apostoli explicans, contendit hunc finem *nunc temporis esse principalem*: dicit enim (*De virgin. c. 19*): « Cum liberorum procreandorum causa proditum est matrimonium, tum « *multo magis* ad naturae ardorem restinguendum; atque id Paulus te- « statur dicens: Sed propter fornicationem, suam quisque uxorem habeat, « non propter liberorum procreationem.... Principio enim duplicem occa- « sionem (coniugium) habebat: sed deinde, terra ac mari atque orbe re- « pleto, unus dumtaxat praetextus est reliquus, nequitiae ac libidinis « abolitio ». Vide Ballerini (*Op. th. Tr. X Sect.* VIII *n. 553*).

894. Obiic. VII. *S. Lig. (n. 1095) cum aliis definitionem dat impotentiae, dicens, impotentiam esse illam, per quam coniuges non possunt copulam habere per se aptam ad generationem; sed copula cum foemina sine utero et ovariis quomodo potest esse per se apta ad generationem? Hinc Sanchez (VII.* XCII *9) et S. Lig. (VII 1095) dicunt quod, si semen mulieris esset necessarium ad generationem, et mulier illo careret, tunc ipsa quoque aequipararetur eunucho, atque invalidum esset matrimonium, quod (ut dicit ipse S. Lig.) consistit in mutua traditione corporum physice ad generationem idoneorum. Quum autem ex modernis physiologiae studiis nunc certissimum sit quod semen mulieris sunt ova, quae utique ad generationem prorsus exiguntur (unde iam sine ulla exceptione verum est adagium:* Omne vivum ex ovo); *et quum ova, recisis ovariis, amplius non adsint; iam mulier, quae ita, sicut eunuchus, sine semine remansit, ad matrimonium valide contrahendum inepta esse deberet.*

Resp. Si hoc verum esset, tunc (repeto) etiam senes et steriles ad matrimonium valide contrahendum inepti esse deberent. Sed hoc est certissime falsum; et ipse Sanchez (*VII.* XCII *26*) dicit: « Certissimum est, « sterilitatem nihil obesse valori matrimonii. Quod Ecclesiae usus ita « habeat, nunquam enim auditum est dissolvisse aliquod coniugium ratione

« sterilitatis ; imo passim admittit senes ad illud ineundum ; cum tamen « eorum semen constet esse sterile. Tandem quia, etsi id matrimonium « frustretur fine primario, qui est prolis generatio, consequitur tamen « finem secundarium, nempe satisfactionem concupiscentiae, vera copula « habita ». At vero, si sufficit consequi satisfactionem concupiscentiae, et non exigitur aptitudo ad generationem, quomodo potest esse invalidum matrimonium ea sola de causa quod mulier sine semine remansit, atque adeo non sit apta ad generationem ? Hi itaque auctores in manifestam contradictionem inciduut ; exigunt scilicet et non exigunt ut coniuges sint apti ad generationem.

Praedicta itaque definitio, qua impotentia reponitur etiam in sola ineptitudine ad generationem, non est accurata, ut bene notatur apud Acta (*Vol. XXVIII n. 471*). Melius se gessit Schalzgrueber, rotunde dicendo : « Sola impotentia ad copulam dirimit matrimonium, non vero impotentia « ad generationem ». Et Coninch (*De Sacr. XXXI n. 86*) scripsit : « Ste- « riles, si aliter potentes sint ad usum matrimonii, valide contrahunt ; « quia nec generatio nec potestas generandi est de essentia matrimonii ».

895. Obiec. VIII. *In senibus et sterilibus ineptitudo ad generationem est incerta ; sed in foeminis, quibus ovaria recisa fuerunt, certissima est : unde illis quidem matrimonium concedi, sed istis, quae aequiparari debent eunuchis, prorsus interdici debet.*

Resp. I. Sterilitas post multos matrimonii annos, si decrepita senectus iam advenisset, esset certissima. Equidem adest aliquod exemplum vetulae septuaginta vel etiam octoginta annorum quae gravida evasit ; sed casus huiusmodi est ita rarus, ut veluti pro miraculo habeatur. Cf. Eschbach (*Libell. de impedim. impot. pag. 19*).

II. Sed ineptitudo ad generationem, si aliquando vellet dici incerta in senibus et sterilibus, idipsum et forte plus dicendum est quoad foeminas quibus ovaria recisa fuerunt. Enimvero contingere potest quod operatio chirurgica non ita bene processerit, ut de ovariis nihil prorsus remanserit. Adde quod interdum, ultra duo ovaria consueta, adest aliquod aliud ovarium supernumerarium. Adde denique quod, reputando recidere ovaria, aliquando tumores reciduntur. Utcumque patet ex facto, quod, non obstante dicta operatione, aliquae remanent menstruatae atque adeo foecundationis capaces (Eschbach *l. c. pag. 18*). Tunc autem, si uterus excisus non fuisset, nedum foecundatio sed etiam foetus usque ad partum protractio accidere posset ; utero autem exciso, ordinarie moreretur quidem foetus ; sed hoc accidit etiam in pluribus aliis, quae filios mortuos pariunt et abortibus subiiciuntur. Dixi *ordinarie* ; interdum enim accidunt conceptus extrauterini, in quibus foetus (utero quoque deficiente) ad maturitatem perducitur (*l. c. pag. 10 in not.*).

III. Quod autem foemina excisa aequiparari debeat eunucho, negandum prorsus. Praescindendo enim a diversitate circa aptitudinem ad generationem, quae in eunucho quidem, sed non in foemina excisa (ut modo dicebam), semper et prorsus deficit ; differentia substantialis est quod eunuchus utroque testiculo carens robore destituitur, unde sicut puer incapax est genitale membrum erigere et copulam perficere. Quamvis autem aliquando contingat quod eunuchi illam exequantur, hoc solum ita raro et imperfecte et sine satiativa delectatione contingere potest, ut tamquam nihil habeatur, et lex de casibus adeo accidentalibus, in re huiusmodi curare non debet. Foeminae autem e contra ex una parte in copula coniugali quasi passive se habent et robore non indigent ; et ex alia recisio ovariorum in copula ipsa

nihil influit, genitalia enim earundem organa remanent excitabilia sicut prius, et plenissime satiantur. (Eschbach *l. c. n. 12*).

896. Obiic. IX. *Eunuchus potest coire. Hoc adeo verum est, ut in sacris litteris (Eccl.i XX 2) dicatur:* « *Concupiscentia spadonis devir-* « *ginabit iuvenculam* ». *Matrimonium itaque eunuchi est invalidum non quia coire nequeat, sed quia nequit seminare. Eâdem ergo de causa matrimonium foeminae, cui ovaria recisa sunt (quae pariter nequit seminare) invalidum esse debebit.*

Resp. Eunuchus (repeto) solum valde imperfecte et raro coire potest. Hoc adeo verum est ut in sacris litteris (*Eccl.i XXX 21*) dicatur: « Videns « oculis et ingemiscens, sicut spado complectens virginem et suspirans ». Quae verba A Lapide sic commentatur: « Eunuchus videns mulierem « speciosam ingemiscit et suspirat: quod eâ *ob frigiditatem et impoten-* « *tiam* frui nequeat..... Instar Tantali, de quo Horatius..... *Tantalus a* « *labiis sitiens fugientia captat flumina* ». Textus autem in obiectione allatus (ut contradictio evitetur) ita intelligi potest et debet, ut aut verbum *spado*, aut verbum *devirginare* in sensu lato accipiatur. Textus integer sic est: « Concupiscentia spadonis devirginabit iuvenculam: sic qui « facit per vim iudicium iniquum ».

Enimvero verbum *spado* accipi potest pro ministro Regis, dicente Sanchezio (*XII.* XCII *17*): « Eunuchum sumi in sacris litteris pro ministro « Regis, sicut *Gen. XL* pincerna et pistor Regis appellantur eunuchi », quia scilicet iidem ministri esse solebant eunuchi, sed non omnes tales erant; unde plures adducunt etiam exemplum Putipharis (*Gen. XXXVII*) eunuchi Pharaonis, et dicunt fuisse illum eundem qui genuit filiam quam duxit Ioseph. Comparatio autem quae fit inter iudicem et spadonem non exigit ut de spadone vero agatur, sed sufficit si ambo in sola ratione officii considerentur, unde Tirynus (*in h. l.*) scripsit: « Sicut pessime fa- « ceret *spado*, idest magister palatii et custos gynecaei, qui olim solebant « esse spadones, si suae obsequens concupiscentiae defloraret commissam « sibi virgunculam, vi illi illata; sic iniquus iudex, qui per vim vitiat « iustitiam, cui servandae et propugnandae praefectus fuit ».

Supponendo autem quod de spadone vero (scilicet utroque teste carente) ageretur, verbum *devirginabit* accipi potest pro *vitiabit* (florem virginitatis) per tactus, vel etiam per actus imperfectos membri virilis, quorum aliqui (quamvis essent veri spadones) sunt capaces. Enimvero A Lapide refert aliam versionem dicentem: « Qualis est spadonis puellam « *vitiandi* libido »; et subdit: « Multi enim spadones peccant per turpia « desideria, cum ad actum venereum *omnino* sint inhabiles et impotentes; « sed nonnulli ad eum *aliqua ex parte* habiles et potentes sint ».

897. Obiic. X. *Omnes dicunt, quod, ut consummetur matrimonium atque oriatur affinitas, non sufficit coniunctio per copulam; sed exigitur semen a parte viri, atque etiam exigeretur semen a parte foeminae, si semen foemineum ad generationem esset necessarium; unde communissime dicunt etiam exigi copulam ad generationem aptam. Sed hodie certissimum est quod semen foemineum (quod est ovum) ad generationem vere exigitur. Foeminae itaque utero atque ovariis destitutae matrimonium (utpote quod nunquam consummari posset) invalidum esse debet.*

Resp. Practice loquendo, pro consummatione matrimonii et pro affinitate exinde secutura exigitur ut consummatio fuerit cum seminum commixtione; et proinde nec consummatio nec affinitas adesse possent si mulier ovariis careret; idque patet ex regula Datariae Apostolicae, quae afferetur infra (ubi de impedimento affinitatis). Sed ex hoc non sequitur quod

matrimonium debeat esse invalidum; impedimentum enim affinitatis, quoad circumstantias requisitas ut oriatur, totum pendet a voluntate Ecclesiae, unde bene contingere potest quod impedimentum non subsistat, et nihilominus matrimonium fuerit validum, quamvis ratum tantummodo remansisset, atque a parte utriusque plene consummatum nunquam evasisset.

Adde quod *in theoria* dubitari potest de necessitate seminationis etiam a parte mulieris ut matrimonium consummetur et affinitas oriatur; Sanchez enim (*II.* XXI) dicit, duplicem hoc in puncto adesse sententiam et multos D. Thomae discipulos contrarium sentire. Et profecto rationes quae adducuntur non prorsus solidae et invictae esse videntur.

Prima est quod (ut aiunt) copula apta ad generationem exigitur, ut coniuges *una caro* efficiantur; sed rationem istam non esse solidam, iam vidimus supra (*in obiectione IV*).

Secunda est quod, seclusa necessitate seminationis, iam (aiunt) sufficeret etiam copula sodomitica vel onanistica; sed huiusmodi consequentiam non esse legitimam, pariter vidimus supra (*l. c. in fin.*).

Tertia est quod, seclusa aptitudine ad generationem atque adeo spe prolis, matrimonii indissolubilitas non amplius foret necessaria. Sed nonne huiusmodi indissolubilitas reclamatur etiam ab aliis motivis? Et quis dicet illud solvi posse si de prole habenda iam esset desperandum?

Quarta ratio desumitur ex Cap. *Lex divinae* (quod tribuitur Benedicto Papae et reperitur in Decreto Gratiani *P. II C.* XXVII *q.* II *Cap. 18*), ubi dicitur: « Non aliter virum et mulierem fieri unam carnem, nisi carnali « copula sibi cohaereant... Sed neque osculum parit propinquitatem, quod « nullam facit sanguinis commixtionem ». Haec enim verba (aiunt) indicant nedum copulam, sed seminum commixtionem exigi, ut affinitas oriatur. Sed quod hoc etiam argumentum in se spectatum non sit solidum, patet 1° quia hic textus prostat in Decreto Gratiani, et proinde de illius authenticitate non constat; 2° quia alii textus, qui prostant in decretalibus (et proinde sunt certe genuini), de sanguinis commixtione nihil dicunt, sed consummationem matrimonii in sola copula reponunt. Revera Cap. *Ex publico* (*De convers. coniug.*) dicit: « Mandamus quatenus, si praedictus vir ipsam « carnaliter non cognoverit (possit ingredi religionem).... Quod Dominus « dicit non licere viro uxorem dimittere, intelligendum est de his, quo« rum matrimonium carnali copula est consummatum, sine qua consum« mari non potest ». Et Cap. *Ex parte tua* dicit: « Antequam matrimo« nium sit per carnalem copulam consummatum, licere alteri coniugum « reliquo inconsulto, ad religionem transire etc. ». Patet 3° quia textus obiectus intelligi debet, non sufficere sponsalia et nequidem osculum ad gignendam affinitatem, sed exigi copulam. Loco autem dicendi copulam, dixit *sanguinis commixtionem*; sed hoc dixit ad modum locutionis aequivalentis (quia scilicet copula ordinarie perficitur mixtione seminis virilis cum illo humore foemineo, qui ab antiquis semen dicebatur); non vero quia necessarium sit ut vera semina misceantur, atque ut, tali mixtione non subsecuta, affinitas oriri non possit.

Quod autem rationes hucusque recensitae, atque a theologis adductae, ad probandum quod matrimonium consummari potest solum per copulam ad generationem aptam, pro qua profecto exigitur ut semina vera (nempe sperma virile et ovum foemineum) commisceantur: quod (inquam) hae rationes validae non videantur, probatur quia iam certum est quod matrimonium consummari potest, quamvis haec commixtio non interveniat, et copula ad generationem minime sit apta. Patet ex copula 1° inter senes; 2° cum uxore sterili; 3° cum uxore semen in vagina receptum statim re-

iiciente; 4° cum uxore gravida; in illa enim os uteri ita impermeabiliter clauditur, ut semen ad ovaria nullo prorsus pacto pertingere possit. Cf. Acta *(Vol. XXVIII pag. 480)*.

898. Obiic. XI. *Ut matrimonium sit validum atque etiam ut consummari possit, sufficit potentia ad copulam, quae sit apta ad generationem* ***per se,*** *nec obstat si ad generationem sit inepta per accidens. In praedictis autem casibus inepta esset solum per accidens; sed in foemina utero atque ovariis carente vere* ***per se*** *inepta foret.*

Resp. I. Ad consummandum matrimonium non sufficit potentia, sed exigitur factum; et nihil refert etsi solum per accidens impeditum fuisset.

II. In senibus decrepitis, aut in foeminis sterilibus (maxime si sterilitas esset incurabilis), ineptitudo ad generationem nunquid foret solum per accidens? Nonne potius per accidens esset aptitudo?

III. Si ad constituendam aptitudinem ad generationem sufficeret ut in rarissimo aliquo casu generatio sequi posset (quod caeteroquin est negandum, ut supra vidimum cum Sanchez); tunc practice nonne etiam in foeminis quae operationem (de qua agimus) subierunt, idipsum accidere valeret?

899. Obiic. XII. *Ex eo quod semper permissum fuerit matrimonium sterilium, non potest deduci quod etiam matrimonium foeminarum excisarum permitti debeat; de sterilitate enim quomodo cognosci posset quod futura esset perpetua et sine remedio?*

Resp. Sterilitas quoad foeminam provenire potest non solum ex defectu ovariorum, sed etiam ex occlusionae vaginae in profundiori eiusdem parte. Equidem (absque sectione) defectum ovariorum (vel etiam uteri) pro certo cognoscere impossibile esse dicunt; sed bene examinari posset an uxor, quae semper modo consueto rem habuit cum viro suo et nihilominus nunquam gravida evasit, ex immedicabili occlusione vaginae sterilis sit. Caeterum, etiam quoad foeminas, quae ovariorum excisionem subierunt, pro certo cognoscere quod absolute et perpetuo steriles erunt (ut patet ex modo dictis *n. 895. 2*) impossibile erit.

900. Obiic. XIII. *Ex iure canonico (Cap. I De frigid. et malef.) patet, dissolvi posse matrimonium ratione impotentiae generandi, eo quod mulier proclamaverit dicens: Volo esse mater.*

R. In omnibus et singulis textibus iuris canonici (nempe in C. *Accepisti*, in C. *Quod Sedem*, in C. *Ex litteris*, in C. *Laudabitem*. in C. *Fraternitatis*, et in C. *Litterae*) semper agitur de impotentia coeundi, dum scilicet sive propter viri frigiditatem, sive propter foeminae arctitudinem, copula perfici nequit. Enimvero de huiusce generis impotentia agebatur etiam in textu obiecto, qui est sequentis tenoris: « Dixisti te esse frigi- « dae naturae, ita ut non potuisses coire cum illa.... Si autem (mulier) « proclamaverit dicens, volo esse mater, volo filios procreare: et ideo ma- « ritum accepi, sed vir quem accepi frigidae naturae est, et non potest « illa facere propter quae illum accepi. Sed probari potest per rectum iu- « dicium, separari potestis, et illa si vult nubat in Domino ». Subsistebat itaque impotentia ad copulam, et illa fuit fundamentum quo Pontifex declaravit nullitatem matrimonii: nec refert quod in expositione casus apposita fuerint verba mulieris dicentis: volo esse mater etc.; ut enim explicat Sanchez *(VII.* XIII *26)*, haec verba aequivalent aliis: *Volo cognosci a viro;* in tantum autem adhibita fuerunt potius verba: *Volo esse mater*, in quantum conveniebat loqui iuxta muliebrem pudorem, utendo verbis modestioribus.

901. Obiic. XIV. *Matrimonia cum mulieribus, quibus uterus et ovaria recisa fuerunt, sunt contra bonos mores; quandoquidem 1° Coniuges*

fruerentur voluptatibus carnis absque ullo timore subeundi onus prolis. 2° Liceret etiam copula sodomitica cum foeminis istis. 3° Viri ex industria foeminas huiusmodi quaererent. 4° Imo foeminae ipsae ut facilius maritum invenirent, sibi procurarent hanc operationem, quae hodie media hora perficitur atque ita ut completa intra duas hebdomadas valetudinis recuperatio subsequatur.

Resp. ad I. Ut matrimonium sit licitum, non est necessarium quod adsit periculum ex illo habendi filios; imo licet quaerere matrimonium quod futurum sit infoecundum, ut patet ex illis qui nuptias ad talem differunt aetatem in qua non amplius filios habere poterunt. Hoc patet etiam ex dictis *Vol. II n. 881;* et iam supra vidimus, non exigi ut primarius sed sufficere ut secundarius matrimonii finis obtineatur.

Resp. ad II. Ex eo quod copula naturalis cum huiusmodi foeminis futura sit infoecunda, non sequitur quod copula sodomitica licita evadat; secus enim idem dicendum esset de senibus, sterilibus etc.; et profecto ordo naturalis exigitur non solum propter generationem prolis, sed etiam ob alios fines, et praecipue ad satisfactionem concupiscentiae, quae per copulam sodomiticam non obtineretur.

Resp. ad III. Quod aliqui viri ex industria foeminam huiusmodi (quae propter aliquem morbum operationem istam subiisset) quaesituri sint, hoc quid mali? Id enim simile esset casui illorum, qui foeminam (v. g. propter aetatem) ad generationem ineptam quaerunt. Aliunde nonne bonum est ut hae quoque foeminae a periculo incontinentiae per matrimonium sibi consulere valeant? Nonne ipsa suprema S. O. Congregatio decrevit, haec matrimonia non esse impedienda?

Resp. ad IV. Suppositio autem quod foeminae sanae et morbi necessitate minime compulsae, quae operationem huiusmodi sibi procurandi voluntatem habeant, multae futurae sint, ridiculosissima est. Nec facile inventurae essent medicum qui illam exequeretur. Nihil dico de gravi operationis ipsius inhonestate, qua de re vide dicta *Vol. II n. 638.*

902. Concludendo, dico 1° quod rationes validissimae probant quod foemina, cui uterus et ovaria excisa fuerunt, remanet apta ad matrimonium; 2° quod obiectiones omnes reperiuntur inanes; 3° quod ex parte iuris naturalis, iuris divini, et iuris canonici, nihil in contrarium adest; 4° quod christifideles ius habent ad matrimonium; 5° quod ideo sapientissime S. C. S. O. decrevit matrimonia huiusmodi nullatenus esse impedienda.

Id unum observandum quod, si sponsus huiusmodi defectum ignoraret, ei patefieri deberet.

Appendix.

Regulae practicae, speciatim pro confessario, circa impedimentum impotentiae.

903. I. Distinctiones principalissimae sunt sequentes; scilicet *aliud est si ante* celebrationem matrimonii, et *aliud si postea,* illo scilicet iam contracto, de impotentia sive certa sive dubia agatur.

Item in secunda hypothesi aliud est si agatur *de sol-*

vendo matrimonio, et aliud si putativi coniuges *adhuc simul convivere velint.*

II. Si ante celebrationem matrimonii iam haberetur certitudo impotentiae perpetuae et remedium non admittentis; tunc (uti patet) ab illo contrahendo abstinere oporteret. E contra contrahi posset si dubium tantummodo haberetur (ita tamen ut de potentia adesset fundata probabilitas) iuxta dicta *n. 846.*

III. Si confessarius, *quoad poenitentem qui matrimonium iam contraxit,* casum impotentiae deprehenderet, tunc ordinarie dissimulare illumque *in bona fide relinquere deberet.*

Dico *ordinarie*, si enim non esset in bona fide et circa usum matrimonii conscientiae turbationem ostenderet, vel matrimonium a brevi tempore contractum fuisset et valde malae consequentiae pertimesci deberent, nisi (si forte impedimentum vere subsisteret) separatio et matrimonii solutio tempestive procuraretur; tunc inquisitiones maiori prudentia et modestia possibili (poenitentem ipsum interrogando), faciendae essent. In hunc finem oportet ut confessarius 1° cognoscat doctrinas supra expositas (circa impotentiam); 2° videat an agatur de impotentia iam certa et manifesta (prout contingeret si vir nedum se impotentem semper ostendisset, sed etiam utroque testiculo careret); aut e contra agatur de impotentia problematica vel utcumque sibi dubia (prout contingeret in aliis casibus fere omnibus).

IV. Si confessarius *iudicaret oportere vel expedire ut matrimonium dissolveretur*, suggerere deberet poenitenti ut apud Episcopum in hunc finem reclamaret.

Si impotentia esset certa, possent coniuges etiam privata auctoritate separari (secluso scandalo); sed transitus ad alias nuptias hodie non esset possibilis, nisi interveniret sententia iudicis ecclesiastici et quidem in appellatione confirmata (Cf. Mansella *VI.* v *5*).

Hodie causae huiusmodi ab Episcopis prius examinatae deferri solent ad S. Congreg. Concilii, quae si reperiat impotentiam esse certam, antecedentem, perpetuam et sine remedio, declarat matrimonium esse nullum, et concedit facultatem transeundi ad alias nuptias coniugi potenti, vel etiam impotenti quando illius impotentia esset

solum relativa (adhibitis cautelis et conditionibus necessariis ne idem inconveniens repetatur).

Ad impotentiam autem comprobandam, valde deservire solet 1° Si ambo coniuges in illa cum iuramento asserenda conveniant; et adiiciatur testimonium *septimae manus*, scilicet septem consanguineorum aut vicinorum utriusque, qui de eorundem sinceritate fidem faciant. 2° Si ipsi subiiciantur inspectioni corporum, et medici de vera impotentia iudicent.

Sed, ut plurimum, S. C. viâ magis expeditâ procedit, et, dummodo certe constet quod matrimonium non fuerit consummatum (ut puta, si mulier adhuc virgo certe esset), quamvis certe non constaret quod impotentia esset antecedens, perpetua et incurabilis, recurrit ad Summum Pontificem pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato.

Causae, quibus stantibus, haec dispensatio obtineri solet, sunt sequentes. 1° Magna probabilitas quod impotentia (cum suis extremis) vere subsistat, atque adeo matrimonium sit invalidum. 2° Dispendium corporalis salutis ob vanos et violentos conatus. 3° Discordiae familiarum. 4° Periculum fornicandi cum aliis, speciatim si cum alia persona concubinatus iam initus vel matrimonium civile contractum esset; maxime vero si exinde proles suscepta fuisset, vel utcumque omnino oporteret ut verum matrimonium cum alia persona celebraretur.

V. Si oporteret coniuges non iam separari, sed *perdurare in cohabitatione*, et quidem ita ut poenitens non versaretur in bona fide, bene vero conscientiae turbationi subiiceretur et confessarium interrogaret quomodo se gerere deberet; tunc, si impotentia (a parte sive illius sive consortis) confessario iam certa et manifesta appareret, tunc usum matrimonii ei (quamvis forte alius pseudo-coniux in bona fide degeret) prorsus interdicere deberet, concedendo solum ut ad modum fratris et sororis simul conviverent, si haec cohabitatio ratione nullius periculi spiritualis (v. g. si essent senes), vel ratione necessitatis (tamquam occasio necessaria), convenientibus adhibitis cautelis, vere permitti posset. Cf. S. Lig. (*n. 1101*).

Sed confessarius, quum ad verum rei statum cognoscendum, possit solum adhibere interrogationes et quidem modo valde limitato, ut plurimum remanebit in dubio; quomodo enim (secluso examine et iudicio peritorum) cognoscere poterit v. g. an impotentia sine mortis periculo admitteret remedium necne? Sic autem, remanente dubio applicanda erunt dicta (*Vol. II n. 888*).

904. Quid igitur **de triennio**, quod (ut semper dictum est) conceditur ad experiendum an matrimonium consummari possit? Ius canonicum in Cap. *Laudabilem*

et *Litterae* hoc revera concedit pro impotentia quae ex frigiditate oriatur. Theologi autem et Canonistae ad alios casus, speciatim maleficii, abominationis, et arctitudinis, idipsum extendunt. (Cf. Lehmkuhl *n. 746*).

Dicunt autem hoc triennium 1° Concedi in conscientia quamvis causa ad iudicem delata non fuisset. 2° Item concedi quamvis saepe aut semper semen extra vas effunderetur. 3° Computandum esse a die primae copulae intentatae (quamvis plures doceant a die concessionis iudicialis computari posse). 4° Decurrere posse solum ab initio pubertatis plenae, nempe ab anno 14 in foemina et 18 in masculo. 5° Posse etiam incipere a tempore quo per circumstantiam extraordinariam (v. g. operationis chirurgicae, vel fornicationis quae potuerit consummari cum viro simili) affulserit spes cum viro proprio tandem aliquando copulam perficiendi (Sanchez *XII.* ex *7*). 6° Esse debere continuum (quamvis non obstaret aliquis mensis absentiae intra annum), atque ita ut semper copula satis frequenter tentata fuerit sincere et absque dolo. 7° Non concedi a die qua ex aliis signis et probationibus de impotentia, suis omnibus extremis praedita, iam certitudo habita fuisset. 8° Triennio autem transacto, quin unquam copula perfici potuisset, dandam esse sententiam de nullitate matrimonii. Ita (inquam) dicunt theologi passim.

Sed sedulo observandum quod, elapso etiam triennio, dubia remanere possunt.

Hoc innuit Mansella (*P. I A. II n. 7*) et clarius affirmat Génicot (*n. 505* IV) inquiens; « Quod si, hoc tempore elapso,... matrimonium « abrumpere velint, neque certo de impotentia antecedenti et perpetua con- « stare possit, *ut crebro contingit*, ipse Ordinarius pro nullitate matrimo- « nii sententiam ferre prohibetur. Quare casus proponendus est S. C. C., « quae et ipsa, iuxta praxim suam hodiernam, *abstinere solet a matrimo- « nii nullitate ob causam impotentiae pronuntianda, sed diligenter, secun- « dum regulas canonicas, examinat num matrimonium fuerit consumma- « tum*. Ubi satis constiterit, veram consummationem abfuisse, et gravem « dari causam solvendi matrimonii, eadem S. C. respondere solet, suppli- « candum esse Rom. Pontificem, ut super matrimonio rato et non consum- « mato dispensare dignetur. Hac dispensatione (ut solet) concessa, iam « matrimonium solutum manet, etiamsi forte postea pateret defuisse im- « potentiae impedimentum ».

Et revera regulae canonicae sunt non iam de habendo matrimonio tamquam certe invalido propter solum experimentum triennii, sed de exigendis aliis probationibus; in capite enim *Laudabilem* dicitur: « Coha- « bitent per triennium, quo elapso, si mulier *per iustum iudicium de viro « probare potuerit quod ea coire non possit* etc. ». Glossa autem observat, ad iustum iudicium spectare posse inspectionem corporis. Et si hoc verum est pro iudice in foro externo, quanto magis verum non erit pro confessario, qui valde difficilius pro certo habere poterit, penetrationem nunquam intervenisse, et matrimonium nunquam consummatum fuisse?

Praeterea si aliae probationes exiguntur, quamvis impotentia proveniat ex frigiditate (de qua tantummodo ius canonicum loquitur, dum idem triennium concedit), a fortiori exigentur in aliis casibus, ad quos (caeteroquin rationabiliter) theologi et canonistae idem experimentum extendunt. Dixi *a fortiori*: quid enim si impotentia provenisset ex arctitudine exi-

gente remedium alicuius incisionis? Aut ex maleficio exigente poenitentiam, orationes et exorcismos ; nunquid enim, ad fugandum daemonem solus conatus ad copulam deservire poterit? Insuper illud impotentiae genus, quo vir nimis cito polluitur et proinde semper extra vas semen effundit, si proveniret non ex debilitate (prout ordinarie contingit) sed ex nimia caliditate, nonne in iuvenibus triennii experimentum esset fallacissimum, dum senectute adveniente calor certo certius cessabit? Fallacissimum etiam mihi videtur experimentum, si impotentia derivaret ab abominatione, quae ex causis innumeris cessare et sic non perpetua esse posset. Notari potest etiam quod, durante triennio, copula tentari deberet, sed propter abominationem ne tentaretur quidem.

Restat ergo ut experimentum restrictum ad triennium pro confessario vix quidquam deservire possit, ob duas rationes ; nempe 1° quia ille ordinarie remanebit in dubio etiam postea, et quidem ita ut facile dubitare debeat ne forte matrimonium iam consummatum fuerit ; 2° quia prudentia quoque ordinarie exiget ne limitationem istam poenitenti significet.

ARTICULUS III.

De impedimentis ex parentela sive proprie sive improprie dicta.

PUNCTUM I.

Quaedam praenotanda.

905. *Nomine parentelae quid hic intelligitur?* 1° Consanguinitas. 2° Affinitas. 3° Publica honestas. 4° Cognatio spiritualis. 5° Cognatio legalis.

906. *Quaenam sunt rationes ob quas impedimenta ista statuta fuerunt?* Ratio quasi generalis est quia inter personas parentelae subiectas solet intercedere cohabitatio sub eodem tecto, vel saltem familiaritas et frequens conversatio, quae multorum turpium peccatorum nimium periculum induceret, si inter sese matrimonia (utique non sine praeviis amoribus) contrahere possent. Sed, iuxta casuum diversitatem, diversae aliae urgent rationes, et speciatim 1° Vilitas et turpitudo actuum venereorum (qui in matrimonii usu exiguntur) nimis repugnat cum speciali respectu parentibus debito, unde Levitici XVIII dicitur: « Mater tua est, non revelabis turpitudinem eius ». 2° Expedit ut matrimonia contrahantur cum extraneis, quia sic longe magis extenduntur amicitiae. 3° Proles ex matrimoniis consanguineorum progenita solet esse debilis, et subinde amentiae aliisque gravissimis malis subiecta. 4° In coniugibus consanguineis amor esset naturalis et nimis ardens evaderet, amor autem supernaturalis inter personas sibi invicem extraneas facilius locum habet (Leo XIII Encyc. *Arcanum*). 5° Supposita etiam cognatione ex copula illicita, expedit ut in poenam criminis, matrimonium interdicatur (cognovisti v. g. matrem; nequeas ducere filiam). Cf. D. Th. *2, 2 q. CLIX A.* IX) et Sanchez (*VII.* LXVIII *5*).

PUNCTUM II.

Consanguinitas.

907. *Quandonam intervenit consanguinitas, ita ut de iure canonico pariat impedimentum?*

Quando sponsi proveniunt de propinquo ex eodem stipite, et praecise ita ut stipes non sit ultra abavum, it. *terzavolo,* quo nomine etiam abavia intelligitur.



Practice de re ista dubium concipitur, quando audiuntur dicentes quod adest vel adesse potest parentela huiusmodi, aut quod avi certe in aliquo gradu parentes erant, aut quod ascendentes pertinebant ad eandem familiam simulque convivebant etc.

908. *Quomodo* ***practice*** *dignoscitur an* ***communis stipes*** *revera adsit?*

In una parte folii (inferius) scribatur nomen sponsi et in alia nomen sponsae. Supra autem nomina genitorum.

Dein scribantur quatuor nomina avorum sponsi; et similiter quatuor nomina avorum sponsae.



Si in his avis stipes communis non adesset, inquirenda et scribenda essent supra octo nomina proavorum sponsi et sponsae.

Si nequidem in proavis stipes communis adesset, tunc inquiri et scribi deberent sexdecim nomina abavorum, pariter a parte tam sponsi quam sponsae.

Si in hac quoque inquisitione stipes non inveniretur, tunc iam certum esset, nullam inter sponsos cognationem subsistere.

In tabella *n. 1* heic posita, fingitur quod stipes communis inveniatur in avis, scilicet in Caio (*avo*) et Titia (*avia*); ex quorum matrimonio venerunt Petrus et Maria; ex Petro autem Antonius (*sponsus*) et ex Maria Clelia (*sponsa*) ortum habuit.

Tab. 3.



Invento sic stipite communi, nomina personarum quae ex illo non descendunt, delentur; et signantur dumtaxat personae quae sponsos cum stipite coniungunt. Vide *Tab. 2.*

Tab. 4.



In hoc schemate supponitur quod Petrus et Maria, ex quorum matrimoniis nati fuerunt sponsi, sint fratres *germani*, nempe ex eodem patre eademque matre progeniti, prout ordinarie accidit; sed contingere potest quod fratres iidem sint *consanguinei* dumtaxat, nempe ex eodem patre, non vero ex eadem matre; aut *uterini* dumtaxat; nempe ex eadem matre, non vero ex eodem patre. Vide *Tab. 3,* ubi utrumque exemplum habetur.

Dixi, stipitem communem esse posse usque ad abavum

(et abaviam) et non ultra; et hic pono schema (*Tab. 4*) in quo stipes est abavus.

Nota quod consanguinitas comprehendit quatuor generationes. Prima est filiorum (qui invicem sunt *fratres*); secunda nepotum (qui invicem sunt *primi consobrini*); tertia pronepotum (qui sunt *secundi consobrini*); quarta abnepotum (qui sunt *tertii consobrini*).

909. Pro praxi oportet ut probe dignoscatur qua in linea et in quo gradu sponsi coniungantur.

910. *Quid de* ***linea?*** Linea imprimis est recta vel collateralis. *Recta* est inter genitores et genitos, unde, in schemate (*Tab. 4*) exposito, Antonius, Pius, Sylvia, Petrus et Caius sunt omnes in linea recta. Idem dic de Clelia, Thecla, Thoma, Maria et Caio. *Collateralis*, seu *transversa*, est inter eos quorum unus ab alio generatus non fuit, prout accidit inter fratres, consobrinos, patruum et nepotem etc.

Linea collateralis dicitur *aequalis*, vel *inaequalis*, secundum quod aequaliter vel inaequaliter personae distant a stipite. Sic in schemate adducto (*Tab. 4*) Petrus est in collaterali linea aequali cum Maria, et inaequali cum Thecla.

911. *Quid de* ***gradibus?*** Ad dignoscendos gradus, deserviunt regulae sequentes:

I. *In linea recta* tot sunt gradus quot sunt generationes: seu (quod in idem recidit) quot sunt personae, dempto stipite. Sic filius cum patre est in 1° gradu; nepos cum avo in 2°; pronepos cum proavo in 3°; et abnepos cum abavo in 4°.

II. *In linea collaterali aequali*, duae personae tot gradibus distant inter se quot distant a stipite. Fratres, v. g. distant uno gradu a stipite, et proinde etiam inter se sunt in primo gradu. Primi consobrini, sicut sunt in secundo gradu cum stipite, sic etiam inter se etc. Vide *Tab. 5*.

III. *In linea collaterali inaequali*, videndum quot gradibus utraque persona distet a stipite. Illo autem gradu inter se erunt, quo earum remotior est cum communi stipite; ita tamen ut hic gradus habeat mixtum alium propinquiorem. Me explico. Si persona vicinior sit in primo

gradu cum stipite, et remotior in secundo, tunc erunt in gradu secundo et primo mixto. Possibile est quod sponsi sint in tertio et primo mixto; saepe sunt in tertio vel quarto et secundo mixto; aut in quarto et tertio mixto. Vide *Tab. 6*.

Tab. 5.



912. *Quid de consanguinitate* ***duplici vel multiplici?***

Casus accidit quando antecedenter locum habuerunt matrimonia inter personas consanguineas, et ex his matrimoniis provenerunt sponsi. Me explico.

Consanguinitas interdum est *duplex*, idque contingit 1° si sponsi proveniant ex eodem stipite in aliquo ex gradibus supradictis, atque insuper adsit sequens circumstantia, quod nempe antea inter consanguineos ab eodem stipite descendentes aliud matrimonium contractum fuerit, et ex illo unus vel uterque sponsus proveniat; tunc enim bis eiusdem sanguinis sunt. Vide schemata (*Tab. 7*). In primo, Paulus sponsus est bis eiusdem sanguinis (nempe a parte tam patris quam matris); et sponsi sunt in duplici quarto.

Tab 6.



In secundo schemate, ambo sponsi sunt bis eiusdem sanguinis, propter avum et aviam qui inter se consobrini erant; et sponsi sunt in secundo gradu et sunt etiam in quarto.

Casus duplicis consanguinitatis contingit 2° si duae personae inter se consanguineae duas personas pariter inter se consanguineas matrimonio sibi copulaverint, et ex his matrimoniis sponsi descendant. Id multipliciter contingere potest. Casus magis communes ostenduntur in schematibus sequentibus (*Tab. 8. Tab. 9*).

In *Tab. 8* duo fratres (Petrus et Caius) duxerunt duas sorores (Mariam et Rosam); et ex his matrimoniis venerunt sponsi (Paulus et Clara), qui a parte tam patris quam matris in eodem sanguine conveniunt; et sunt in gr. 2° duplici.

In *Tab. 9* Livius et Rosa inter se consanguinei, cum Clara et Aelio inter se consanguineis coniugia inierunt, ex quibus venerunt Paulus et Anna sponsi. Simile esset si duo fratres duas consobrinas, vel duo consobrini duas consobrinas duxissent.

Denique casus duplicis consanguinitatis contingit 3° si sponsi descendant ex viro qui successive duas inter se consanguineas duxerit; aut viceversa, ut in schemate (*Tab. 10*).

Tab. 7.



913. Consanguinitas non solum duplex, sed etiam *quadruplex* esse potest; et de hoc vide exempla apud Giovine (*De Dispensationibus matrim. Vol. I pag. 356*).

914. *Consanguinitas* ***quibus in gradibus impedimentum parit?***

Matrimonium inter consanguineos *iure ecclesiastico* est invalidum usque ad quartum gradum inclusive; et ni-

Tab. 8.



hil refert utrum ex matrimonio, an vero ex copula illicita generatio acciderit; et pariter nihil refert sive casus sit notorius sive sit occultus.

Iure naturali autem est invalidum 1° in omnibus gradibus lineae rectae; 2° in primo gradu lineae transver-

Tab. 9.



Tab. 10.



sae (nisi matrimonium inter fratres et sorores ad generationem humanam propagandam, prout contigit in filiis Adae, omnino exigeretur).

PUNCTUM III.

Affinitas.

915. ***Undenam et quo iure*** *oritur impedimentum affinitatis?*

Oritur ex copula carnali, quae efficit ut impedimentum istud exurgat inter virum et consanguineos foeminae ab eo carnaliter cognitae; et viceversa inter foeminam et consanguineos viri. Caesar, v. g. copulam habet cum Bertha, et proinde evadit affinis cum Bertae ipsius sorore, matre, filia etc.

Copula carnalis efficit ut vir et mulier reddantur veluti una caro, et proinde evadant quasi consanguinei

consanguineorum alterius. Partim ob hanc rationem, et partim (imo maxime) quia specialis familiaritas (in casu matrimonii) oritur, ipso iure naturae nuptiae inter affines essent semper indecorae et inconvenientes. Attamen ius naturae non eo usque procederet ut illas redderet invalidas; unde *iure positivo dumtaxat* impedimentum istud oritur.

Nihilominus quaestio esse posset circa primum gradum lineae rectae *ex copula licita,* quia tunc affinitas parentelae inter patrem et filiam subsistenti assimilatur: unde dispensatio in tali casu (quasi esset certe de iure naturae) nunquam concedi solet (*Monitore XI 22).* Aliud est de affinitate *ex copula illicita*, quamvis pariter ageretur de linea recta in primo gradu; unde concedi solet ut vir ducat mulierem cuius matrem cognovit, dummodo copula cum matre non antecessisset nativitatem filiae, propter periculum ne cum filia propria matrimonium contraheret.

916. *Ad contrahendam affinitatem* ***quaenam copula exigitur?***

Exigitur copula *consummata,* qualis semper praesumitur, nisi de contrario constet.

Imprimis debet certe esse consummata *a parte viri;* exigitur scilicet ut semen viri effusum fuerit intra vaginam; imo Pontius (*VII.* XXVIII *2 et* IX. X *1*) exigit insuper ut membrum virile praecise penetraverit atque ita vir et mulier una caro facti fuerint. Huic tamen Pontii doctrinae contradicunt Sanchez (*VII.* LXIV. *15*) et Génicot (*n. 480*). maxime si semen in ore vaginae effusum ab utero ita attractum fuisset ut foemina iam gravida evasisset. Sed, quidquid sit de hoc, certe affinitas non contrahitur per copulam sodomiticam (*Monitore IV.* II *15*), aut per aliam unionem extra vas, aut per copulam onanisticam, aut si vir penetraverit quidem sed seminare nequiverit, aut eiusdem semen (ob defectus *n. 873* indicatos) receptum non fuerit.

Sed copula debetne esse consummata etiam a *parte foeminae?* Affirmative; sed solum eo sensu ut exigatur et sufficiat quod ovaria generationi apta habeat.

Tab. II.


Gr. 4. Abavia
Gr. 4. et 1. mixt.
Gr. 3. Proavia
Gr. 4. et 2. mixt.
Gr. 3. et 1. mixt.
Gr. 2. Avia
Gr. 4 et 3 mixt.
Gr. 3. et 2. mixt.
Gr. 2. et 1. mixt. Amita Matertera
Gr. 1. Mater
Gr. 4. Tertia Consobrina
Gr. 3. Secunda Consobrina
Gr. 2. Prima Consobrina
Gr. 1. Soror
Mulier
—
Vir
Gr. 4. et 3. mixt.
Gr. 3. et 2. mixt.
Gr. 2. et 1. mixt. Filia fratr aut sororis
Gr. 1. Filia ex alio)
Gr. 4. et 2. mixt.
Gr. 3. et 1. mixt.
Gr. 2. Neptis
Gr. 4. et 1. mixt.
Gr. 3. Proneptis
Gr. 4. Abneptis

. 12.


Gr. 4. Abavus
Gr. 3. Proavus
Gr. 4. et 1. mixt.
Gr. 2. Avus
Gr. 3. et 1. mixt.
Gr. 4. et 2. mixt.
Gr. 1. Pater
Gr. 2. et 1. mixt. Patruus Avunculus
Gr. 3 et 2. mixt.
Gr. 4. et 3. mixt.
Mulier
Vir
Gr. 1. Frater
Gr. 2. Primus Consobrinus
Gr. 3. Secundus Consobrinus
Gr. 4. Tertius Consobrinus
Gr. 1. Filius (*ex alia*)
Gr. 2. et 1. mixt. Fil. fratris aut sororis
Gr. 3. et 2. mixt.
Gr. 4. et 3. mixt.
Gr. 2. Nepos
Gr. 3. et 2. mixt.
Gr. 4. et 1. mixt.
Gr. 3. Pronepos
Gr. 4. et 2. mixt.
Gr. 4. Abnepos

Olim disputabatur an oporteat ut foemina seminaverit. Opinio affirmativa tota fundabatur in persuasione quod humor a foemina eiaculatus esset necessarius ad generationem aut saltem naturam veri seminis haberet (S. Lig. *1075 LXV 20-22*). Sed quum hodie ex physiologia certissimum sit, humorem huiusmodi nec esse necessarium nec esse semen ullo modo, iam praedicta opinio probabilitatem amisisse videtur, ut dicit Génicot (*n. 480*). Adde quod in dubio iuris impedimenta non subsistunt.

Hodie autem iam certum est quod impedimentum affinitatis non oriretur si foemina utero et ovariis totaliter careret. Patet ex libello nomine et auctoritate Apostolicae Datariae *an. 1902* Romae edito, cui titulus *Praxis apostolicarum dispensationem super impedimenta matrimonia-*



lia secundum reformationem Apostolicae Datariae (Vide opus N. Casacca De carentia ovariorum *pag. 62*).

Idem dic si foemina ovaria quidem haberet, sed, propter impubertatem neque cursus menstruos adhuc incoeptos, ad generationem essent inepta (D'Annibale *I 58. 9*).

917. Caeterum nihil refert sive foemina consenserit, sive per vim oppressa fuerit; sicut etiam foemina contraheret affinitatem quamvis dormiens, ebria, vel mentecapta cognita fuisset; hoc enim impedimentum non iam in culpa aliqua (quandoquidem etiam, imo et fortius, ex copula licita oritur), sed solum in corporum coniunctione (quae efficit ut duo sint in carne una) fundatur.

Ad contrahendum impedimentum sufficit unica copula; attamen si haec cum eadem foemina multiplicaretur, non ideo multiplicaretur impedimentum. Aliud esset si cum pluribus copula haberetur, ut infra declarabo.

918. *Usque* ***ad quemnam gradum*** *impedimentum affinitatis extenditur?*

Affinitas (intellige semper quatenus est impedimentum matrimonium dirimens), si proveniat *ex copula licita*, scilicet ex matrimonio, extenditur usque *ad quartum gradum*, nempe ad omnes consanguineos coniugis (cum quo matrimonium consummatum fuerit) usque ad quartum gradum (inclusive); ita ut, si, v. g. vir moriatur, ipsius vidua nequeat matrimonium contrahere cum ullo ex illius consanguineis, qui fuerit cum ipso vel in primo, vel in secundo, vel in tertio, vel in quarto gradu.

Si autem affinitas *ex copula illicita*, scilicet ex fornicatione, adulterio, stupro etc. (sive notorio sive occulto)



proveniat; tunc *solum ad secundum gradum* extenditur. Cf. Sanchez (*LXVII 5. 6*).

Scavini dicit, affinitatem in linea recta dirimere in infinitum; sed ad praxim hoc nihil refert.

Quoad affinitatem ortam ex fornicatione, Tridentinum (*XXIV 4*), dicens extendi solum ad secundum gradum, nullam inter lineam et lineam distinctionem facit.

919. *Quomodo dignoscuntur* ***lineae et gradus in affinitate?***

Praecise sicut in consanguinitate; nempe qua in linea et quo in gradu quis est consanguineus cum viro cognoscente, eadem in linea eodemque in gradu evadit affinis cum muliere cognita; et vicissim.

Hinc mulier per matrimonium (consummatum) evadit affinis in linea recta et in primo gradu cum patre viri (et sic habemus *nurum* affinem cum *socero* in 1° gr. lineae rectae); idem dic si vir ex alio matrimonio filium haberet (et tunc haberemus *novercam* it. *la matrigna* affinem cum *privigno* it. *col figliastro* pariter in 1° gr. lineae rectae).

Mulier ipsa esset affinis cum fratre viri (nempe *fratria* cum *leviro*, it. *la cognata col cognato*) in 1° gr. lineae collateralis. Esset autem in secundo cum avo, cum primo consobrino, et cum nepote viri; esset vero

in 2° et 1° mixto cum eiusdem patruo et filio fratris etc. Vide schema (*Tab. 12*).

Hinc etiam vir per matrimonium evadit affinis in 1° gr. cum matre uxoris (nempe *gener* cum *socru*); item cum filia uxoris, ex alio matrimonio (nempe *vitricus cum privigna*, it. *il patrigno colla figliastra*); item cum sorore uxoris (nempe *sororius* cum *glore*). Et pariter esset in secundo cum avia, prima consobrina, et nepte uxoris, etc. Vide schema (*Tab. 11*).

In his schematibus cellulae lineis distinctioribus clausae, indicant duos primos gradus, ad quos dumtaxat extenditur affinitas, si ex copula illicita oriatur.

920. *An et quomodo affinitas* ***multiplex*** *esse possit?* Sicut consanguinitas, ita etiam affinitas multiplex esse potest. Esset, v. g. duplex si quis duas inter se sorores, cognovisset, et tertiam sororem ducere vellet. Si tres cognovisset, tunc quoad quartam affinitas esset *triplex*. Vide Scavini (*III 890*).

921. *Quid si foemina copulam fornicariam cum viro habuisset, et postea cum ipso matrimonium contraxisset? Affinitas exinde orta inter hanc foeminam et consanguineos viri essetne duplex?*

Negative, ut patet ex Instructione S. C. de Prop. Fid. (*9 Maii 1877*) apud Acta (*X pag. 295*); agitur enim semper de copula cum eadem persona.

In petenda autem dispensatione oporteret et sufficeret indicare quod affinitas orta fuit ex matrimonio.

Attamen in aliis casibus affinitas ex copula illicita ab affinitate; ex copula licita specie differret, et in petenda dispensatione distingui deberet.

922. *Circa affinitatem estne aliquid aliud notandum?*

I. Interdum cognatio est *mixta* ex consanguinitate et affinitate; idque contingit quando quis cum propria consanguinea copulam habet; tunc enim cum consanguineis suis etiam affinis (intra terminos supra indicatos) evadit.

Sic qui cognovit suam primam consobrinam, eiusque sororem ducere vellet, esset cum ista in secundo gradu consanguinitatis et in primo affinitatis.

II. *Affinitas non parit affinitatem;* nempe extenditur quidem ad consanguineos, ut dixi; sed non ad affines.

Si maritus, v. g. haberet fratrem atque etiam vitricum *(patrigno)* et sororium (*cognato*); eiusdem uxor esset quidem affinis cum fratre (quia cum marito est consanguineus); non vero cum vitrico et sororio (quia cum marito sunt solum affines). Vide *Tab. 13*.

III. *Affinitas non egreditur copulatos:* nempe consanguinei mulieris cognitae evadunt quidem affines cum

viro cognoscente, sed non cum illius consanguineis; et viceversa.

Hinc duo fratres duas sorores; et pater filiusque matrem filiamque ducere possunt. Vide schema (*Tab. 14*). Livius ducit Titiam. Ex hoc matrimonio mater et soror Titiae evadunt quidem affines cum Livio ipso, sed non cum eiusdem patre et fratre; unde nihil impedit quominus pater Livii matrem Titiae, et frater Livii sororem Titiae ducere possint.

923. *An affinitas contracta ex matrimonio invalido extendatur ad quartum, an vero dumtaxat ad secundum gradum?*

Extenditur ad quartum gradum.

Equidem aliqui (v. g. Gury *n. 815*, De Varceno etc.) absolute dicunt, extendi solum ad secundum gradum, quum agatur de copula (saltem materialiter) illicita. Sed haec doctrina sustineri nequit; et omnino credendum quod extendatur ad quartum gradum ut dixi. Rationes sunt sequentes.

I. Tridentinum, dum (*XXIV.* iv) impedimentum ad secundum gradum restringit, loquitur de fornicatione, et dicit hanc legem restrictivam fuisse necessariam gravissimis de causis; quia scilicet commercium fornicarium saepius remanet occultum (et sic nimis frequenter matrimonia invalide contraherentur); atque insuper nullam inter familias animorum coniunctionem producit (Sanchez *LXVII 6*): unde patet quod Trid. loquitur de fornicatione secuta extra matrimonium, aut in matrimonio mala fide contracto et iam notorie invalido; non vero de copula habita inter eos qui iam in faciem Ecclesiae matrimonium (quamvis ex occulto impedimento invalidum) contraxerint.

II. Ita a S. C. Concilii pluries decisum fuit, et speciatim *in Brixiens. (3 Dec. 1607)*, ubi exposito casu, in quo vir, postquam matrimonium invalidum contraxisset et consummasset, volebat contrahere cum consanguinea praetensae suae uxoris *in tertio gradu*, responsum fuit: « Non posse, « obstante illi impedimento tum publicae honestatis, tum affinitatis ». Apud Vecchiotti (§ *103*). Dubium tamen esset si matrimonium mala fide consummatum fuisset.

924. *An coniux evadere possit affinis cum coniuge etiam matrimonio iam contracto?* Affirmative; sed tunc affinitas efficeret solum ut petitio debiti illicita evaderet, iuxta dicta *Vol. II n. 886*.

PUNCTUM IV.

Publica honestas seu institia publicae honestatis.

925. *Impedimentum istud* ***undenam oritur, et quo iure?***

I. Oritur *ex sponsalibus*, et *ex matrimonio rato;* consistit scilicet in prohibitione, sub poena invaliditatis, contrahendi matrimonium cum consanguineis personae

quacum celebrata fuerint sponsalia vel contractum fuerit matrimonium (etsi non adhuc consummatum), in terminis infra explicandis.

II. Adest solum *de iure ecclesiastico.*

Fundamentum principale habetur in Cap. unic. *Ex sponsalibus (in 6° Lib. 4 Tit. I)* Bonifacii VIII, quod est sequentis tenoris: « Ex sponsalibus (1) puris et certis, etiam si consanguinitatis, affinitatis, frigiditatis, religionis, aut quavis ratione sint nulla, dummodo non sint nulla ex defectu consensus, oritur efficax ad impediendum et dirimendum sequentia sponsalia vel matrimonia, non autem praecedentia, impedimentum iustitiae publicae honestatis. Quare ille qui sponsalia pura ac determinata cum aliqua muliere contraxit, et postea cum secunda prioris consanguinea idem fecit, ex priorum sponsalium vigore (quibus per publicae honestatis iustitiam ex secundis sponsalibus subsecuta minime derogatur) ad matrimonium contrahendum cum prima *(intellige nisi matrimonium cum secunda fuisset consummatum; tunc enim affinitas quoque intervenisset)* remanet obligatus ».

III. Impedimentum istud (uti patet) imitatur affinitatem, atque introductum fuit ob eandem rationem, eo quod sponsalia sint veluti matrimonium inchoatum, et matrimonium ratum sit proxima dispositio ad consummatum; atque adeo parentela incipiat, confidentia specialis inter sponsum et consanguineos sponsae subsistat etc.

926. *Loquendo prius de hoc impedimento, quatenus oritur ex sponsalibus,* ***quid exigitur ut sponsalia illud producant?***

Debent esse I. *Vera,* quatenus nempe sponsi non iam propositum tantummodo futuri matrimonii manifestaverint, sed promissionem, atque (ad minus implicitam) repromissionem expresserint, iuxta dicta (*n. 812 C. de sponsal.*).

II. *Certa,* nempe cum persona determinata, non vero si quis dixisset, v. g. ducam unam ex vobis (*Cap. cit.*).

III. *Pura,* nempe sine conditione, aut cum conditione tempestive verificata (*Cap. cit.*).

Dixi *tempestive;* si enim conditio verificaretur quando consensus fuisset retractatus, aut impedimentum (v. g. affinitatis) supervenisset, tunc sponsalia nunquam evaderent pura, et sic publica honestas non oriretur. (D'Annibale *III 324*).

---

(1) Notandum quod tempore Bonifacii VIII nomine *sponsalium* veniebant nedum sponsalia proprie dicta (per verba de futuro) sed etiam matrimonia rata, quae dicebantur *sponsalia per verba de praesenti,* et valide (etsi illicite) poterant celebrari clandestine, scilicet sine parocho et testibus.

Notandum quod conditiones quae semper subintelliguntur, si ponantur eo modo quo reapse subintelliguntur, nihil efficiunt, ut puta, si quis diceret: Te ducam si vivam, si Deo placebit etc.; vel: Ius habebo resiliendi si fornicationem cum alio commiseris; secus si dixisset: Sponsalia erunt *utrinque* tamquam non facta si cum alio fornicaberis. (Sanchez *LXIX 8-10*).

IV. *Valida;* quamvis enim iure antiquo (ut patet ex *Cap. cit.*) impedimentum oriretur etiam ex sponsalibus invalidis (dummodo non fuissent invalida ex defectu consensus), tamen Tridentinum (*Sess. XXIV C.* III) ius istud correxit et dixit: « Iustitiae publicae honestatis impedi- « mentum, ubi sponsalia quacumque ratione valida non « erunt, S. Synodus prorsus tollit; ubi autem valida fue- « rint, primum gradum non excedant ».

Sic itaque post Tridentinum (ut impedimentum istud oriatur ex sponsalibus) omnino oportet ut illa valida fuerint; qua de re recolenda sunt supra dicta (*Cap. cit.*). Attamen iuxta Sanchez (*VII.* LXVIII *14*) sufficeret quod essent valida in foro externo; si enim fuissent nulla dumtaxat propter defectum mere internum (v. g. propter intentionem simulandi, vel propter votum soli Deo cognitum), tunc dicit: « Nulla ratione persuadere mihi possum, quin « vere hoc impedimentum ex talibus sponsalibus oriatur ».

Quidquid sit de hoc, certum est nihil obstare 1° si sponsalia fuissent rescindibilia (prout in impuberibus, aut si ex dolo *a persona extranea iniecto* contracta fuissent); 2° Si fuissent rescissa, aut si postea quovis modo eorum executio reddita fuisset impossibilis. Cf. Vecchiotti (*III 102*) et S. Lig. (*n. 1063*).

927. *An hoc impedimentum oriatur etiam ex sponsalibus* **occultis?** Speculative fieri potest quaestio an sponsalia (ut producant impedimentum) debeant esse *publica* aut *notoria*. Prima fronte videretur affirmandum propter sequentes rationes: 1° Hoc impedimentum dicitur *publicae honestatis*. 2° Inductum fuit ob publicam decentiam, eo quod iam publice constet tales fuisse sibi invicem desponsatos, et sic inter unum ex sponsis et familiam alterius quamdam cognationem (it. *parentela*) iam extaret. 3° Benedictus XIV (*Inst. LXXXVII n. 7*) refert sententiam esse Datariae, nullum ex sponsalibus occultis impedimentum oriri. 4° Guttier (*CIII 10*) dixit: « Etiam S. C. C. censuit ex sponsalibus contractis, si, « factis denuntiationibus, non apparebit aliquod impedimentum, non oriri « impedimentum publicae honestatis ». 5° Ita dicunt sensisse Navarrum, Pitonium aliosque, et novissime ita sensit vir doctissimus qui (*an. 1879*) studia fecit apud S. C. C. in praeparationem Decreti de nullo valore matrimonii civilis ad inducendum impedimentum publicae honestatis (Acta *XII 175*). 6° Haec sententia videretur probabilis, et reddere impedimentum

dubium; sed impedimenta iuris ecclesiastici in dubio cessant; unde iam certe impedimentum non subsistere videretur.

928. Sed in contrarium, nempe pro doctrina quod ex sponsalibus etiam occultis impedimentum oriatur, habemus sequentia: 1° Sententia communior stat semperque stetit pro impedimento (Bened. XIV *l. c.*). 2° Praxis Episcoporum semper fuit petendi dispensationem etiam pro casibus occultis. 3° Praxis S. Poenitentiariae semper fuit dispensationem (et quidem non ad cautelam sed absolute) concedendi, idque tam ad matrimonium contrahendum, quam ad sanandum illud iam contractum (Acta *II 381*). 4° Innocentius XII (ut videre est apud Bened. XIV *l. c.*), et Pius VI (*Mart. 1793*) hanc facultatem pro casibus occultis Maiori Poenitentiario confirmarunt. 5° S. Poenitentiaria (*10 Sept. 1834* apud Bucceroni *Enchir. n. 818*) et S. C. S. O. (*11 Aug. 1852* apud Collect. S. C. Prop. Fide *n. 1255*) expresse significarunt hoc impedimentum etiam a sponsalibus privatis et occultis oriri.

Hinc sententia opposita nequit esse probabilis. Nec valet ratio quod hoc impedimentum dicitur *publicae* honestatis; sic enim dicitur quia ordinarie pertinet ad publicam decentiam ob quamdam cognationem subortam; at vero finis legis non facit legem, nec leges variant iuxta diversos casus particulares in quibus earundem finis forte deficiat (ut patet ab aliis impedimentis v. g. consanguinitatis vel affinitatis, quae, speciatim si oriantur ex copula illicita, possunt esse occulta); multo magis quia quod hodie occultum est, cras publicum evadere potest. Cf. Génicot (*n. 483 II*).

929. *Impedimentum honestatis* ***ex sponsalibus usque ad quemnam gradum, et ad quasnam personas extenditur?*** Post Tridentinum extenditur dumtaxat ad consanguineos in primo gradu; quatenus sponsus ducere nequit sponsae sororem, aut matrem, aut filiam (ex alio viro habitam); et vicissim sponsa nec fratrem, nec patrem, nec filium sponsi ducere potest. Trid. (*ut supra*).

Nihil autem refert sive dicti consanguinei sint legitimi sive sint illegitimi. Sanchez (*LXVIII 4*) dicit, hoc esse certissimum.

930. *Quid de hoc impedimento, quatenus oritur* ***ex matrimonio rato,*** *scilicet statim ac celebratur, atque adeo quamvis non esset adhuc consummatum?*

I. Iam vidimus supra quod iure antiquo impedimentum publicae honestatis oriebatur ex sponsalibus et ex

matrimonio rato etiam invalidis, dummodo invaliditas ex defectu consensus non proveniret (dummodo scilicet ex errore personae aut metu gravi contractum non fuisset), et extendebatur usque ad quartum gradum.

Tridentinum ius illud correxit quoad sponsalia (in sensu exposito supra *n. 926 IV*); sed, quoad matrimonium ratum, reliquit impedimentum sicut antea, ut patet ex ipsis Concilii verbis.

Patet etiam ex declaratione Pii V Const. *Ad Romanum* (*1 Iul. 1568*) sequentis tenoris: « Nos itaque attendentes, quod sponsalium appellatione, « qua dictum Concilium (Trid.) utitur, non nisi improprie matrimonium « verbis de praesenti conceptis contractum continetur...; idcirco.... decla- « ramus ac definimus, decretum Concilii huiusmodi omnino intelligendum « esse et procedere in sponsalibus de futuro dumtaxat, non autem in ma- « trimonio sic, ut praefertur, contracto; sed in eo durare adhuc impedi- « mentum in omnibus illis casibus et gradibus, quibus de iure veteri ante « praedictum decretum Concilii introductum erat ».

Hinc casus, in quo impedimentum istud oritur ex sponsalibus, a casu in quo oritur ex matrimonio rato, hodie partim differt et partim non differt. Differt 1° quia ex sponsalibus solum ad primum, et ex matrimonio rato ad quartum gradum (sicut affinitas) extenditur. 2° Quia, ut oriatur ex sponsalibus, exigitur ut sint valida, dum ex matrimonio rato oritur quamvis fuerit invalidum, et quidem quamvis invaliditas esset manifesta (v. g. ex impedimentis notoriis ordinis sacri, professionis religiosae, consanguinitatis etc. Cf. Sanchez *VI.* LXX *7*). E contra hi casus non differunt, quatenus, etiam relate ad matrimonium ratum, 1° Impedimentum non oriretur si invaliditas provenisset ex defectu consensus, et (iuxta Sanchez *l. c. n. 11*) cum eadem regula et exceptione si forte talis defectus omnino internus et occultus fuisset (Cf. *n. 926 IV*). 2° Impedimentum ad consanguineos non solum legitimos sed etiam illegitimos pariter extenderetur.

II. Adveniente consummatione matrimonii, oritur quidem affinitas, sed ista non destruit publicam honestatem, quae ideo simul cum affinitate remaneret. (Cf. mox supra *n. 923*).

III. Matrimonia rata impuberum, quamvis sint invalida ex defectu aetatis (iuxta dicta *n. 871 III*), tamen ex speciali iuris dispositione (*Cap. Tuae de spons. impub.*)

resolvuntur in sponsalia valida; et proinde ex iisdem exurgeret impedimentum publicae honestatis usque ad primum gradum. Cf. Vecchiotti (*§ 102*).

IV. In impedimento publicae honestatis ex matrimonio rato, hoc speciale est quod *non oritur in praeiudicium priorum sponsalium;* nempe non extenditur ad sponsam inique derelictam; ut patet ex Cap. *Ex sponsalibus* supra allato (*n. 925 II*).

Hinc si, contractis sponsalibus, sponsus cum sorore sponsae matrimonium contraheret, ex hoc matrimonio rato invalido oriretur quidem impedimentum publicae honestatis, sed non quoad sponsam ipsam inique (ut dixi) derelictam, quae proinde (soluto matrimonio illo) adhuc sine ulla dispensatione duci posset ac deberet.

Attamen oporteret 1° Ut matrimonium non fuerit consummatum; secus enim (ut supra dixi) impedimento publicae honestatis, superadderetur (ut modo dicebam) etiam affinitas, quae utique, sicut quodvis aliud impedimentum dirimens (v. g. cognationis spiritualis, cognationis legalis etc.) quod subortum fuisset, in sponsalium etiam praeiudicium consurgeret. Sanchez (*LXVIII 23*).

Oporteret 2° Ut priora sponsalia non fuissent iure dissoluta: quod enim dissolutum est dissolvi nequit.

V. Difficile est quod practice hoc impedimentum sit duplex. Attamen tale esset si quis cum una ex tribus sororibus sponsalia, et cum altera matrimonium ratum contraxisset, et tertiam ducere vellet. (D'Annib. *III 324*).

931. *An hoc impedimentum* ***oriatur etiam ex matrimonio invalido propter impedimentum clandestinitatis,*** *quod scilicet celebratum fuerit sine parocho et testibus?* Affirmandum est, et rationes sunt sequentes.

I. Iure antiquo impedimentum oriebatur quamvis matrimonium ratum (quod etiam tunc veniebat sub nomine sponsalium per verba de praesenti) esset *quavis ratione* nullum (ut patet ex Cap. supra relato *n. 925*); neque id correctum fuit a Tridentino, ut patet ex verbis Pii V supra adductis (*n. 930*).

II. Plures adducuntur resolutiones S. C. Concilii;

unde Fagnanus scripsit: « A Sacra Congregatione resolutum « fuisse ex matrimonio per verba de praesenti contra for- « mam a Concilio traditam contracto oriri praefatum im- « pedimentum » (Vide Acta *XII 148*).

III. Inter casus conscientiae Bononiae resolutos sub Lambertinio, sequens reperitur: « Ioannes perditus in amo- « rem Franciscae, coram imagine Divi Antonii ita dixit « amanti: *Coram hac imagine te accipio in uxorem;* « ipsa autem respondit: *Et ego te accipio in maritum* ». Resolutum fuit, hoc matrimonium fuisse quidem nullum, sed, quia non fuit nullum ex defectu consensus, producere impedimentum publicae honestatis (*l. c. 162*).

IV. Equidem pro sententia negativa nonnulla dicuntur contra praedictas rationes (ut videre est *l. c. n. 150 et seqq.*), atque adducitur auctoritas Sanchezii, qui (*VII.* LXX *13*) dicit: « Non oriri (impedimentum) quando ma- « trimonium est clandestinum, cui nempe deficit praesen- « sentia parochi et duplicis testis, quia id matrimonium « claudicat a parte formae, non enim habet formam et « figuram matrimonii ».

Sed pro sententia affirmativa maximam vim facit responsum S. Poenitentiariae (*13 Martii 1820*) sequentis tenoris: « Licet disputetur inter doctores, nihilominus « verior *atque omnino tenenda* sententia affirmat, ex hu- « iusmodi etiam matrimonio (clandestino nullo) publicae « honestatis impedimentum oriri » (*l. c. 149*).

932. *An etiam* ***ex matrimonio civili*** *(apud nos) impedimentum publicae honestatis oriatur?*

De hoc non ita pridem magna quaestio aderat, et ipsa S. Poenitentiaria (in praxi ad cautelam) pro impedimenti existentia stabat, qua de re vide Acta (*Vol. XII pag. 155*). Dixi *in praxi et ad cautelam;* non enim quaestionem directe resolvere intendit, ut ipsa declaravit (*l. c. 164*).

Sed hodie iam certissime constat quod *impedimentum non oritur;* habemus enim non solum resolutionem S. C. Concilii; sed etiam decretum generale Summi Pontificis. Reapse ad dubium: *An actus qui vulgo audit matrimonium civile, pariat impedimentum iustitiae publicae honestatis?* S. C. C. (*13 Martii 1879*) respondit: *Negative; facto verbo cum SS.mo, ut id decernere et declarare*

dignetur per decretum generale. (Apud *Monitore II. pag. 97*).

Decretum autem generale statim prodiit revera, et est sequentis tenoris: « SS.mus D.nus Noster Leo Papa « XIII, audita universa rei relatione in audientia *17 eius-* « *dem mensis*, in voto S. C. concedens, per praesens decre- « tum declarat et statuit, praememoratum actum, qui vulgo « dicitur matrimonium civile, (in locis ubi promulgatum « est decretum Concilii Tridentini) sive fideles actum « ipsum explentes intendant, uti par est (matrimonio eccle- « siastico iam rite celebrato vel cum animo illud quan- « tocius celebrandi), meram caeremoniam civilem peragere, « sive intendant sponsalia de futuro inire, sive tandem ex « ignorantia, aut in spretum ecclesiasticarum legum, in- « tendant matrimonium de praesenti contrahere, impedi- « mentum iustitiae publicae honestatis non producere ». Apud *Monitore* (*Vol. II P. II pag. 113*).

933. Hoc autem decretum in rationibus validissimis fundatur. Enimvero matrimonium civile, si celebretur a bonis christifidelibus, attenta eorundem intentione, non est nisi mera caeremonia laica, quae, ad effectus civiles obtinendos, ab iisdem, et quidem ordinarie matrimonio ecclesiastico iam celebrato, peragitur; unde de matrimonio vel sponsalibus in eadem nihil est. Insuper ex tali caeremonia ad quid efficere ut impedimentum exurgat, quum publicae honestatis et affinitatis impedimenta ex vero matrimonio iam exurgerent?

Si vero matrimonium civile celebraretur ab incredulis et impiis, qui sine intentione sacramenti solum contractum naturalem et civilem perficere intendunt, tunc etiam in sensu Ecclesiae nec de sponsalibus, nec de matrimonio rato, nec de matrimonio clandestino quidquam esset. In sensu enim Ecclesiae agi deberet semper vel de sponsalibus directis ad verum matrimonium, vel de matrimonio quod, quamvis ex aliquo impedimennto vel ex ipsa clandestinitate esset invalidum, tamen esset christianum et sacrum saltem in intentione contrahentium, qui ex ignorantia vel errore reputarent sic quoque subsistere posse. Supponendo autem quod circa rem istam aliquod dubium remaneret, semper verum esset quod ex tali impietate (matrimonii mere civilis in religionis spretum contracti) personis et familiis catholicis quammaxime invisa, nec coniunctio animorum, nec specialis familiaritas (quae sunt fundamentum parentelae) oriri potest. Restaret itaque solum ut in poenam delicti Ecclesia impedimentum constitueret: sed, inspecto iure canonico, id quidem statutum fuit pro aliis casibus (nempe pro affinitate ex copula illicita), non vero pro casu isto; in quo Ecclesia ipsa censuit magis expedire ut, in odium actus adeo impie perpetrati, matrimonium civile tamquam idoneum ad publicam honestatem gignendam minime recognosceretur; et proinde S. Sedes dictum decretum emanavit. *Monitore* (*Vol. II p. 1 pag. 72-102*) et Acta (*Vol. XII 147-176*).

934. Hoc tamen non impedit, quominus matrimonium civile impie celebratum tamquam idoneum ad producendos alios effectus (v. g. impedimentum criminis, et excommunicationem latam contra clericos in sacris et religiosos matrimonium contrahere praesumentes) recognosci possit et debeat.

PUNCTUM V.

Cognatio spiritualis.

935. ***A quibus personis*** *contrahitur hoc impedimentum?*

I. Intervenit inter baptizantem et baptizatum eiusque parentes; inter confirmantem et confirmatum eiusque parentes; inter patrinos tam baptismi quam confirmationis, et baptizatum et confirmatum eiusque parentes. Trident. (*XXIV.* IV).

II. Casus cognationis matrimonium impedientis quoad baptizantem practice contingere potest si forte laicus infantem in necessitate privatim baptizaret. Sanchez (*LXII 10*).

III. Quid exigatur ut patrini valide munus suum exerceant et sic cognationem contrahant, vide supra (*Vol. IV n. 917*). An contrahant impedimentum si assistant in baptismo privato, vide *l. c. n. 924*. Si parentes sint illegitimi, *l. c. n. 915*. Si baptismus administraretur *sub conditione, l. c. n. 925*. Si puer teneretur per procuratorem, *l. c. n. 913*.

IV. Hoc etiam impedimentum potest esse *multiplex*, idque contingeret 1° si quis tam in baptismo quam in confirmatione eorundem genitorum filios tenuerit; 2° si duo sibi invicem, alter alterius filios tenendo, hoc officium praestiterint.

Caeterum si quis, v. g. in solo baptismo duos vel tres eorundem genitorum filios tenuisset, non propter hoc duplex vel triplex impedimentum evasisset, D'Annibale (*I 61*).

PUNCTUM VI.

Cognatio legalis.

936. *Undenam provenit impedimentum istud?* Ex adoptione.

937. *Oriturne* ***ex qualibet*** *(etiam non veri nominis)* ***adoptione?***

Negative. Claritatis gratia triplex adoptionis genus distingui debet.

I. *Adoptio* ***non legalis.*** Contingeret, si quis puerum pauperem vel derelictum sic et simpliciter reciperet, et tamquam proprium apud se retineret, aleret, educaret etc. (quod dicitur *alumnatus*); aut si viduus et vidua filios habentes matrimonium inirent cum pacto ut hi filii eisdem iuribus fruantur quibus frueretur proles ex matrimonio oritura (quod dicitur *unio prolis*); aut si alicubi, legibus nihil circa adoptionem statuentibus, ex loci consuetudine quis aliquem in filium absque ulla iuris solemnitate adoptaret.

In his casibus certissimum est quod nulla cognatio proprie dicta, *nullumque impedimentum exurgit*, prout decisum fuit a C. C. S. O. *16 Apr. 1761:* ut videre est apud Gury (*II 809*).

II. *Adoptio legalis* ***ad tramites iuris communis.*** Haec locum habet *ubi leges romanae hoc in puncto adhuc vigent*, et distinguitur in perfectam et imperfectam.

De imperfecta sermonem habere non oportet; probabilissimum enim est quod impedimentum *oritur a sola adoptione perfecta;* ad quam constituendam praecipue exigitur ut persona adoptata sit libera seu sui iuris, et transeat sub patria potestate et in familiam personae adoptantis, quae foemina esse nequit. Cf. Sanchez (*LXIII 2. 3*).

Impedimentum autem (iuxta leges istas, in hoc a iure canonico confirmatas) adest 1° *instar paternitatis,* inter adoptantem et adoptatum; nec non inter adoptantem et filiam adoptati (si forte hic actu adoptionis filiam habuisset); 2° *instar affinitatis*, inter adoptantem et uxorem

adoptati, atque vicissim inter adoptatum et uxorem adoptantis; 3° *instar fraternitatis;* inter adoptatum et filiam carnalem et legitimam adoptantis, vel inter adoptatam et filium adoptantis.

In primis duobus casibus impedimentum est perpetuum et durat etiam soluta adoptione (nempe per emancipationem, vel mortem); sed in tertio casu durat dumtaxat durante adoptione. Cf. S. L;g. (*n. 1027*), Gury (*n. 808*), Sanchez (*l. c.*) etc.

Hoc autem impedimentum ad arcendum periculum incontinentiae (propter familiaritatem et cohabitationem in eadem domo) inductum fuit. Ius Canonicum dicit (*IV tit. 12*): « Si qua per adoptionem mihi soror esse « coeperit, quamdiu durat adoptio, inter me et ipsam nuptiae consistere « non possunt ».

III. *Adoptio legalis* ***ad tramites iuris civilis propriae nationis, quod a iure communi discordet.***

Sciendum est quod leges Gallicae et Italicae distinctionem adoptionis perfectae et imperfectae non faciunt; et iuxta ipsas verissima adoptio stare potest quamvis sit imperfecta, etsi scilicet adoptatus non sit sui iuris, nec transeat in familiam adoptantis, neque ipse adoptans patriam potestatem habeat. Hinc Gury et Ballerini (*II 809*) censent, adoptionem apud nos non esse legalem in sensu iuris canonici, et proinde impedimentum iam amplius non exurgere.

Sed Gousset, Scavini, Vecchiotti, Bouvier, Giovine etc., impedimentum exurgere opinantur; et ego quoque de hoc non dubitarem si adoptatus sit sui iuris et transeat in familiam adoptantis qui patriam potestatem habeat; si nempe adoptio perfecta interveniat, quae, etsi a novis legibus non exigatur, tamen non excluditur; sicut in substantia nec leges romanae illam exigebant, dum adoptionem etiam imperfectam pro vera adoptione habebant. Ita sentire videtur D'Annibale (*I 60 not. 24*). Atque ita profecto tenendum est, quia S. Poenitentiaria a Vic. Gen. Petrocorensi sic interrogata: « Cum in Gallia adoptionis « ius modo legaliter sit receptum, quaeritur an canoni« cum impedimentum adoptionis dirimens locum etiam ha« bere debeat? » Die *17 Maii 1826* respondit: « Affirma« tive, si res sit de adoptione legitime inita ». Nempe

dummodo res sit de adoptione (intellige *perfecta*) inita cum solemnitatibus praescriptis: quarum praecipua est ut tam adoptans quam adoptatus personaliter coram Praefecto curiae appellationis adoptioni consenserit (*Cod. It. Art. 213*).

Hanc sententiam, saltem practice, omnino tenendam esse censeo etiam quia, quamvis opinio contraria probabilis videri posset, agitur de quaestione nova nec adhuc satis ventilata, unde ob nimium periculum errandi a parte tuta standum est: multo magis quia alia quoque responsa S. Sedis impedimento favent. Cf. Ballerini (*Op. th VI n. 989*).

Casu itaque occurrente, meo sensu. *ad S. Sedem recurrere oporteret.*

ARTICULUS IV.

De impedimento ex defectu libertatis, scilicet de impedimentis voti, ordinis et ligaminis.

PUNCTUM I.

Votum.

938. ***Quodnam votum*** *dirimit matrimonium?* Votum *solemne*, scilicet in professione religiosa (stricte dicta) emissum.

Idem dic de votis (etsi simplicibus) emissis, tyrocinio expleto, in Societate Iesu.

An vero idem dici debeat de votis simplicibus emissis in aliis religionibus, expleto tyrocinio, iuxta decretum Pii IX (*19 Mart. 1857*), negative respondendum est, quandoquidem Pius IX his votis vim producendi impedimentum dirimens non apposuit, ad diversitatem Gregorii XIII qui quoad sodales S. I. illud apposuerat. Cf. Sanchez (*VII.* xxv *14*).

Vota autem emissa (etsi publice) in piis congregationibus, quae tamquam veri ordines religiosi ab Ecclesia non habentur, impedimentum quidem impediens, sed non

dirimens, constituere possunt; huiusmodi enim vota (quamvis publica et perpetua) sunt simplicia, solemnem (et stricte dictam) professionem religiosam minime constituunt, nulloque iure matrimonium dirimunt.

PUNCTUM II.

Ordo.

939. Circa istud impedimentum non refert immorari.

Dico solum quod, si quis *per vim* seu ex metu gravi ordinem sacrum suscepisset (et idem dic de religiosa professione), ad continentiam servandam adstrictus non remaneret. (Bened. XIV *De Syn. XII.* IV *2*).

Attamen solum post iudicis ecclesiastici sententiam (iuxta formam Const. *Si datam* Bened. XIV) matrimonium inire posset.

PUNCTUM III.

Ligamen.

940. *Quaenam praecipue notanda sunt circa impedimentum istud?*

I. Nemini licet ad secundas nuptias transire nisi de morte prioris coniugis *certe* constet. Vide textus iuris apud Vecchiotti (*§ 101*).

II. S. C. S. O. (*13 Maii 1868*) momentosam edidit instructionem, in qua indicavit quaenam probationes sufficiant ut de dicta morte satis certe constet. Haec instructio reperitur per extensum apud Scavini (*III 888*), et in substantia dicit, quod si forte documentum authenticum (*la fede di morte*), aut depositio iurata duorum testium ocularium haberi nequeat, sufficit quod talis iudiciorum aut semiprobationum complexus habeatur, ut vir prudens ad mortem affirmandam probabilitate maxima seu morali certitudine permoveri possit. Id autem contingeret si ex una parte iamdudum de coniuge nulla notitia habita fuerit; et ex alia, attentis circumstantiis (v. g. eius amore erga

uxorem et familiam, eius consuetudine frequenter scribendi ad familiam vel ad amicos aliosve, eius probitate et religione, eius patrimonio aut negotiis in patria, eius aetate matura, eius gravitate etc., quin ulla appareat causa se occultandi) iam tale silentium nonnisi morti adscribi possit; multo magis si iam senex vel malefirmae valetudinis fuerit, aut si pestilentiae, naufragiis, praeliis, aliisve periculis fuerit expositus; maxime vero si aliquis testis (etsi unicus) de eius morte fidem faciat, aut testetur se audivisse alios dicentes illum obiisse. Nec semper necesse est ut tempus diuturnum absque notitia praeterierit, dummodo ex una parte valida praesumptio de morte (v. g. in bello) subsistat, et ex alia causae urgentes (v. g. periculum concubinatus vel matrimonii mere civilis) intercedant. Cf. Decretum S. C. S. O. circa praesumptos mortuos in Adua (Abissiniae), apud *Monitore* (*X.* II *145*).

III. Utcumque, si praesumptus mortuus postea vivus detegeretur, novum matrimonium contractum tamquam invalidum haberi deberet.

N. B. De dissolutione matrimonii rati et non consummati per dispensationem pontificiam aut per professionem religiosam; item de dissolutione matrimonii consummati infidelium, si unus ex coniugibus infidelibus converteretur ad fidem, iuxta privilegium Paulinum, agam infra.

Nihil dico de dissolutione matrimonii, quae certe interveniret in casu illo curioso in quo foemina evaderet vir. Acta (*XXI 491*).

ARTICULUS V.

De impedimento ex defectu baptismi ex una parte seu cultus disparitatis.

941. I. Hoc impedimentum iure ecclesiastico non scripto et sola consuetudine invectum fuit.

II. Respicit casum in quo persona baptizata cum non baptizata matrimonium contrahat; ut puta, si mulier Christiana cum viro Turca, vel Hebraeo, vel quomodolibet infideli; (non vero si infidelis, cum alia infideli) nuptias iniret.

Casus iste nunc etiam apud nos valde practicus esse

potest in illis paroeciis vel oppidis in quibus multi genitores iam non amplius filios baptizant: unde multi iam sint adulti et nunquam baptismum receperint.

III. Si autem persona catholica cum acatholica matrimonium contraheret, tunc non impedimentum dirimens *disparitatis cultus*, sed impedimentum impediens *mixtae religionis* (de quo infra) interveniret.

IV. Sedulo notandum quod baptismum dubii valoris (prout facile contingit apud Protestantes) in ordine ad matrimonium semper consideratur ut validum; ita ut ex ipso (quamvis forte sub conditione iterum esset ministrandum) impedimentum dirimens nunquam exurgat.

Si vero baptismum non dubie sed certe invalidum fuisset, invalidum quidem esset matrimonium; sed, si iam contractum fuisset, casus S. Sedi (expedire enim potest dispensatio) accurate exponi deberet. Cf. Vecchiotti (*§ 97*) et Acta (*XVIII 460* et *XXIV 574*).

ARTICULUS VI.

De impedimento criminis.

942. *Quandonam intervenit impedimentum istud?*

Oportet ut agatur de contrahentibus, quorum saltem unus viduus sit, et in priori matrimonio adfuerit aliquod ex sequentibus delictis; scilicet vel 1° coniugicidium, utroque machinante; vel 2° coniugicidium uno dumtaxat machinante, cum adulterio: vel 3° solum adulterium cum promissione aut attentatione matrimonii. Sed haec sunt explicanda.

943. *Quid de* ***coniugicidio utroque machinante?***

Coniugicidium, utroque machinante, scilicet mutua conspiratione perpetratum, etiam sine adulterio, impedimentum dirimens certe constituit.

Patet ex Cap. *Laudabilem* (*III.* XXXIII *2*) ubi Caelestinus III dixit: « Interrogasti de Saracenis qui, dum in captivitate essent, quarundam « Christianarum viros, *earum insidiis et machinationibus*, occiderunt: « utrum, quia postea per ipsas ad fidem christianam conversi sunt, eas « de iure possint accipere in uxores: vel, si duxerint, coniugium teneat

« eorundem. Hic Triburiens. Concilii regula contenti sumus asserentis, « quod si in mortem ipsorum malitiose fuerint machinatae, licet earum « studio ad fidem accesserint, nec tamen eis adhaerere debent, nec sunt, « si adhaeserint, etiam tolerandi ». Et adiunxit, quod si Saracenus in bello christianum occidisset, et postea ad fidem conversus dicti christiani viduam ducere vellet, huic matrimonio nullum impedimentum obstaret, quia mors ab uxore procurata non fuisset.

Ex his verbis luculenter patet, quod, deficiente adulterio, ut homicidium constituat impedimentum, necessaria sunt sequentia.

Oportet 1° ut ex mutua conspiratione, seu, ut canonistae dicunt, utroque machinante aut patrante, commissum fuerit.

Oportet 2° ut mors intenta reapse evenerit ex vulnere, aut veneno, aut alia actione, vel omissione (v. g. relinquendo coniugem infirmam sine cibo et medicina, ut moriatur); nec sufficit si mors fuerit solum attentata, aut si, v. g. ex vulnere non lethali propter medici negligentiam vel imperitiam coniux interierit. (D' Annibale *III. n. 330. 26*).

Attamen non exigitur ut manu propria homicidium consummatum fuerit, sed sufficit mandatum vel consilium. quod tamen reapse influxerit. Vide Sanchez (*LXXVIII 7*).

Sola ratihabitio post factum non sufficit; atque idem dicendum videtur de solo consensu ante factum sine influxu efficaci; iura enim exigunt ut mors *procurata fuerit;* quae procuratio in mero et nudo consensu non verificatur. (D'Annibale *l. c. 27*).

Oportet 3° ut homicidium patratum fuerit *ex intentione matrimonium contrahendi cum complice* (vel cum uno ex iis, si fuissent plures); idque patet sin minus ex verbis saltem ex fine legis, ne scilicet quisquam mortem coniugis procuret, ut aliud matrimonium contrahere possit. Sanchez (*l. c. 13*).

Si itaque coniugicidium, v. g. solum ex ira aut vindicta, vel ad liberius vivendum in concubinatu cum complice, vel ad contrahendum matrimonium cum alia persona non complice, perpetratum fuisset, impedimentum non subsisteret. (S. Lig. *1033. 1036 VI*).

Sedulo tamen adverti debet, satis esse quod haec intentio matrimonii sit *a parte unius;* in iure enim nullibi decernitur aut innuitur quod talis intentio a parte utriusque exigatur, ut cum Sanchez (*l. c. 14*) fatentur omnes.

Quod autem plures dicunt, hanc intentionem sive ante sive post homicidium manifestari debere alicui, quia Ecclesia non iudicat de internis,

quid insulsum mihi videtur; ut enim alia praetermittam (quae videri possunt apud Ballerini *n. 822 not. a et Vol. I 89 not. c*), uxor, v. g. quae inducit alium ad proprium maritum interficiendum et postea tractatum matrimonii cum homicida init, nonne satis superque palam facit, se ex hac intentione illius mortem procurasse? Aliunde in iure nequidem huiusmodi manifestatio alicubi exigitur, aut alicubi aliquo modo indicatur.

A fortiori falsa est opinio nonnullorum, qui dicunt, praedictam intentionem patefaciendam esse complici praecise ante homicidii executionem; id enim vix non recideret in exigendam intentionem matrimonii ex parte utriusque, quod est contra supradicta.

Observari potest demum cum Sanchez (*l. c. 20*) omnino oportere ut homicidium contigerit *in vero coniuge*, quatenus matrimonium fuerit validum (nec sufficeret si validum a coniugibus et ab omnibus reputaretur), quamvis non oporteat ut fuerit consummatum, neque ut coniux cum coniuge cohabitet; non enim obstaret si forte divortium factum fuisset, aut nunquam cohabitassent.

944. *Quid de* ***coniugicidio, uno dumtaxat machinante, cum adulterio?***

Quod etiam ex hoc capite impedimentum dirimens oriatur, patet praecipue ex Innocentio III (*Decretal. IV.* VII *n. 6*).

Haec decretalis sic prostat: « Significasti nobis quod, cum P... quam« dam M.... duxisset legitime in uxorem, ea relicta, cuidam meretrici ad« haesit... Verum, cum uxor ipsius esset viam universae carnis ingressa, « meretricem cui adhaeserat desponsavit. Nos igitur inquisiti respondemus « quõd, nisi *alter eorum* in mortem uxoris defunctae fuerit machinatus..., « legitimum iudices matrimonium supradictum ».

Hinc rectissime scripsit S. Lig. (*n. 1035*): « Sufficit « quod, stante adulterio, una pars tantum perpetret ho« micidium, quamvis altera inscia », ad diversitatem casus praecedentis in quo (deficiente adulterio) mutua esse debet in homicidium conspiratio, etsi intentio matrimonii solum a parte unius esse potuerit.

Attamen hoc etiam in casu, quoad *coniugicidium* oportet, ut ex intentione matrimonii contrahendi cum adultera patratum fuerit.

Nonnulli hic quoque dicunt, quod haec intentio debet manifestari alteri saltem per indicia praecedentia, v. g. familiaritatis, epistolarum amatoriarum etc. Sed hoc non est nisi confusionem in medium adducere; si enim adfuit adulterium, cur alia indicia minoris momenti exigenda erunt? Omnino dicere oportet cum Sanchez (*XXXVIII 19*) quod haec intentio per adulterium quod praecessit, et per tractatum matrimonii, qui coniugicidium subsequitur, satis manifestaretur, nisi forte magnae coniecturae ex alio fine delictum fuisse commissum ostenderent.

Caeterum quae dixi supra (circa necessitatem, ut matrimonium antecedens fuerit validum, atque ut coniugicidium fuerit non solum attentatum sed vere consummatum) hic quoque repeti debent.

Quoad *adulterium,* hoc debet habere sequentes conditiones.

I. Debet esse *verum,* stante matrimonio valido (etsi forte solum rato. Gury *n. 820*).

II. *Consummatum*, sic enim canones intelligi debent; unde copula sodomitica, tactus impudici, et conatus ad copulam (vase non penetrato) certe non sufficerent.

Reiffenstuel (*IV.* VII *13*) dicit, copulam onanisticam sufficere, neque hoc impedimentum cum impedimento affinitatis esse comparandum. At vero alii censent, non solum penetrationem sed etiam effusionem virilis seminis intra vas omnino requiri; et (quum simus in poenalibus) sic practice tenendum erit.

Foeminae tamen seminationem (sensu obvio intellectam) non exigi docuit etiam Sanchez (*LXXIX* 2); qua de re hodie multo minus dubitari potest.

III. *Formale*, et quidem a parte utriusque; si enim, v. g. vir coniugatus cum foemina coniugii ignara adulterium commisisset (quamvis postea uxorem suam interfecisset), impedimentum non subsisteret, prout in Cap. 1° *Propositum est nobis* (*Decretal. IV.* VII) in terminis expressum habemus. Imo idem dici deberet, quamvis foemina illa fuisset coniugata; oportet enim ut adulterium utrinque formale fuerit praecise respectu coniugis occisi, quandoquidem hoc sensu canones loquuntur. Sanchez (*LXXVIII 12* et *LXXIX 31*).

Quid si mulier *dubium concepisset* ne forte vir esset coniugatus? R. Dubium leve nihil obstat. Dubium grave obstaret si esset affectatum, si nempe foemina studiose procurasset in ignorantia remanere ut liberius peccaret; ignorantia enim affectata scientiae aequiparatur.

Caeterum, stante ignorantia, etiam crassa et supina, impedimentum non exurgeret, ipsa enim dolum ad verum adulterium constituendum requisitum non constitueret, ut dixit Sanchez (*l. c. 38*), Pignatelli (*Cons. III.* XXXIII), Pontius etc.

Notandum, nihil referre sive adulterium appositam causam mortis (v. g. veneni propinationem) praecedat sive subsequatur, dummodo coniuge adhuc vivente accidat. Ita Sanchez (*l. c. 38*).

945. *Quid de* ***adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii?***

Impedimentum ex hoc etiam capite exurgere, patet ex Gregorio IX (*Decretal. l. c. VIII*).

En tenor decretalis : « Si quis, uxore vivente, fide data promisit « aliam se ducturum, vel cum ipsa de facto contraxit, si nec ante nec « post (legitima eius superstite) cognovit eandem...., non est matrimonium, « quod cum ea contraxit post uxoris obitum, dirimendum. Caeterum tole- « rari non debet, si prius vel postea, dum vixerit uxor ipsius, illam adul- « terio polluisset ».

Ecclesia autem voluit ut etiam ad hunc casum impedimentum extenderetur, ne propter futuri matrimonii spem ad coniugicidium perpetrandum ansa praeberetur.

946. *Quid hoc in puncto notandum in particulari circa* ***promissionem*** *matrimonii?* Exiguntur sequentes conditiones.

I. Oportet ut sit *vera ;* tum quatenus non sit tantummodo desiderium, propositum, aut velleitas (ut puta si quis dixisset: si non essem coniugatus te ducerem) non sufficiunt; tum quatenus sit seria, promissio enim ludicra non est promissio, nec praedictam ansam praeberet.

Si extrinsecus tantummodo seria esset, tunc Sanchez (*LXXIX 10*) impedimentum ex mente Ecclesiae oriri censet; sed non videtur verum, quia sumus in poenalibus, et non tantum oritur periculum quantum oriretur si promissio a parte utriusque ex animo esset. S. Lig. (*n. 1039*).

II. *Acceptata,* quandoquidem promissio reiecta aut non acceptata pro nihilo reputatur.

Ad hanc autem acceptationem constituendam *sola taciturnitas* (quum agatur de re non facile acceptabili, sed potius valde detestabili) probabiliter non sufficit; et idem dic si viro nuptias post mortem mariti spondenti mulier simpliciter respondisset : « Quoad mortem mariti, Deus faciat iuxta « suum beneplacitum ; vel : Faxit Deus ut vir meus diu vivat »; haec enim verba non promissionis acceptationem sed potius reiectionem significarent. Sanchex (*l. c. 23*).

III. *Pura, aut saltem purificata per conditionis adventum ante mortem coniugis;* nec sufficeret si verificata fuisset dumtaxat coniuge iam defuncto, prout contra Sanchez docent communiter. Cf. Ballerini (*Op. th. n. 1038*).

IV. *Respicere debet matrimonium contrahendum post mortem coniugis;* de hoc enim casu, non autem de matrimonio ineundo vivente coniuge, canones loquuntur.

Attamen, si tunc matrimonium attentaretur revera per verba de praesenti, sufficeret, ut statim explicabitur.

V. Oportet *ut promissio non fuerit revocata ante adulterium;* si enim fuisset revocata (etiam invita parte), impedimentum consurgere non posset; quia, promissione destructa, adulterium postea subsecutum remaneret solum; et sic non haberet vim impedimentum producendi.

Nihil tamen referret si post adulterium revocaretur, tunc enim impedimentum iam contractum esset.

VI. Oportet *ut promissio facta fuerit subsistente matrimonio, et quidem utrique cognito;* non enim sufficeret si promissio locum habuisset ante matrimonium, vel cum matrimonii ignorantia a parte unius; quamvis durante vel cognito matrimonio perpetratum fuisset adulterium; hoc enim non sufficit ut promissio prius facta vel acceptata ratificetur; et sic per se solum impedimentum constituere nequit.

Pariter non sufficeret si promissio durante uno matrimonio et adulterium durante alio, aut viceversa, locum habuisset (1).

947. *Quid notandum in particulari circa* ***attentationem*** *matrimonii?*

I. Quod ad hunc quoque casum extendatur impedimentum, patet non solum ex Greg. IX (ut supra *n. 945*), sed etiam ex Clemente III in Cap. *Cum haberet*, ubi age-

---

(1) Aliqui exigunt etiam repromissionem; sed hoc mihi probabile non apparet; canones enim nihil habent de hac repromissione, quae caeteroquin in ipsa acceptatione suapte natura includitur (Sanchez *LXXIV 25*).

Notat d'Annibale (*l. c. n. not. 21*) quod si ambo essent coniugati, sed, v. g. vir nuptias promittens cognosceret quidem foeminam esse coniugatam, sed finxisset se esse caelibem, tunc acceptatio mulieris (utpote ex errore facta) nihil valeret; idque forsan verum esset si mulier, re cognita, consensura non fuisset; certe enim promissio aut acceptatio ex dolo dante causam contractui et iniecto a parte contrahente (sicut etiam ex metu gravi), invalida esset. Dixi *forsan;* Ecclesia enim hic, ut notat Sanchez (*l. c. 8*), non iam invaliditatem promissionis (quae semper invalida est), sed eiusdem periculum (nempe periculum vitae quoad coniugem) considerat; et in casu nedum dictae foeminae maritus, sed etiam dicti viri uxor, et sic non unus, sed duo in periculo essent.

Aliqui exigunt ut promissio fuerit iurata; sed Sanchez (*l. c. 29*) dicit non esse recedendum a sententia negativa, quae a theologis fere omnibus tenetur et tribunalium stylo confirmatur.

Nihil interest sive promissio stricte connexa fuerit cum adulterio (ut puta, si vir dixisset: post mortem mariti te in coniugem recipiam dummodo corporis tui copiam mihi nunc facias), sive ab ipso adulterio fuerit prorsus independens, et sive ante sive post illud fuerit facta.

batur de matrimonio a quodam (vivente adhuc prima uxore) contracto cum alia, quacum etiam post mortem eiusdem legitimae uxoris per decennium diversatus fuit, ex eaque decem filios procreavit. Pontifex autem dixit: « Hic plus « processum fuit quam si fides praestita dumtaxat fuisset « adulterae », quasi dixisset: si sufficit adulterium cum promissione matrimonii, a fortiori sufficere debet adulterium cum celebratione (etsi invalida) matrimonii; et maxime accedente diuturno concubinatu et susceptione prolis numerosae, unde subdit: « Multiplicitas prolis et diuturnitas « temporis peccatum non minuit sed augmentat ».

II. Hoc itaque impedimentum consurgeret imprimis (ut observat Gousset *n. 814*) in casu ordinario, in quo huiusmodi matrimonium fuisset non solum attentatum sed etiam (utique per adulterium) consummatum. Adesset quoque (ut patet ex cit. Cap. *Si quis n. 858*) si idem matrimonium fuisset ratum dumtaxat; dummodo prius adulterium intervenisset. Non sufficeret tamen tractatus vel conatus matrimonii celebrandi, sed oporteret ut de facto celebratum fuisset, quamvis invalide; validum enim (propter ligamen) esse nequiret; neque referret si alia quoque impedimenta dirimentia adessent (ut notant Salmanticenses et Roncaglia).

III. Ob eandem rationem (quod scilicet validitas non exigitur) sufficere matrimonium clandestinum, nempe absque parocho et testibus celebratum, rectissime docent Sanchez (*LXXIX 8*), Bonacina (*9 III.* VI *8*), Schmalzgr. (*L. XI T.* VII *n. 15*), Ballerini (*Op. th. n. 1034*), Marc (*n. 2036*), Bucceroni (*1018. 4*), Gasparri (*V. I. n. 694*), Vecchiotti, Scavini, De Varceno etc. contra paucos, v. g. Croix (*VI.* III *621*), et Palao (*XXVIII.* IV *12. 9*) citantes Hurtado et Aversa,

IV. Sufficere autem matrimonium civile (eo quod etiam in illo eadem semper ratio urgeat) dicunt doctores communiter, v. g. Marc (*n. 2091*), Aertnys (*n. 599 q. 8*), Génicot et De Angelis (*L. IV Tit.* IV *in fin.*), qui insuper testatur, talem esse sententiam S. Poenitentiariae, quae hoc sensu semper respondere solet.

Obiicies: Matrimonium civile 1° Non potest ullo modo appellari matrimonium, dicente Leone XIII (*Decr. supra cit. n. 932*) quod actus civilis *honorandum usurpat matrimonii nomen*. 2° Actus civilis nullo prorsus sensu ab Ecclesia habetur tamquam matrimonium, ita ut nequidem considerari possit ut matrimonium invalidum, dicente Pio VI (*Epist. ad Ep. Lucion.*) quod per actum civilem *nullum contrahitur matrimonium* (Porro aliud est nullum contrahi matrimonium et aliud contrahi matrimonium nullum). 3° Quando itaque in iure canonico fit verbum de matrimonio, tali nomine matrimonium civile nunquam intelligi potest: ut patet etiam ex impedimento publicae honestatis, quod ex matrimonio rato invalido quidem atque etiam clandestino, sed non ex matrimonio civili (iuxta supra dicta *l. c.*), oriri potest.

Resp. Quod ratiocinia ista sophismate atque exaggeratione laborent, patet apertissime, quia matrimonium civile ab Ecclesia ipsa consideratur sufficiens 1° ut sanari possit in radice: 2° ut contrahatur excommunicatio lata contra Clericos in sacris et Regulares matrimonium contrahere praesumentes. Ex eo itaque quod Ecclesia noluerit ut matrimonium civile producat impedimentum publicae honestatis, non sequitur quod alios effectus producere non possit.

V. Certum est quod matrimonii attentatio debet esse non ficta sed vera et ex animo. Bucceroni *n. 1018*).

VI. Insuper ita perpetrari debet, ut uterque cognoscat impedimentum ligaminis extare.

Subsistente dubio de matrimonio vel de eiusdem validitate, dicendum est quod ignorantia affectata scientiae aequiparatur.

Si vero ignorantia fuisset dumtaxat crassa et supina, aliqui censent quod, subsecuta matrimonii consummatione, impedimentum criminis consurgeret; quia ignorantia crassa a legibus non excusat. Sed oppositum dici debet, tum quia consummatio matrimonii cum tali ignorantia perpetrata non constitueret adulterium in sensu legis (Cf. mox supra *n. 944 v.* Quoad *III*). tum quia ignorantia, attentationem matrimonii concomitans, fuisset non iuris sed facti, quae (ut notat Sanchez *l. c. 38*) excusare solet, propter regulam in Sexto (*XIII*) dicentem: « Ignorantia facti, non iuris, excusat ».

Sed quid si quis, attentato matrimonio cum ignorantia etiam plena quod pars ligaminis impedimento adhuc detineretur, postea, re cognita, a nuptiis male initis non resiliverit, sed in carnali commercio perseveraverit? R. Tunc impedimentum consurgeret; casus enim matrimonii attentati est diversus a casu simplicis promissionis (quae per subsequens adulterium scienter commissum ratificari non censetur); matrimonium enim habet tractum successivum, et per copulam ratificatur; et sic attentatio matrimonii, quae antea (a parte unius) materialis erat, formalis evadit, et criminum unionem producit. Cf. Bucceroni (*n. 1918. 2°*).

948. *An* ***ignorantia huius impedimenti*** *ab illo incurrendo excuset?*

Pro affirmativa stant certe plures auctores magni nominis, v. g. Pichler, Krimer, Navarrus, Ballerini, et D'Annibale, qui nonnullos alios antiquos citant, et dicunt, hoc impedimentum positum fuisse ad modum poenae extraordinariae, a qua incurrenda (ut patet ex censuris) ignorantia excusat.

Alii e contra (v. g. Reiffenstuel, Schmalzgrueber, Croix, Sporer, Diana, Gury, Vecchiotti etc.) sentiunt quod, non obstante ignorantia, impedimentum exurgit.

Quid igitur dicendum? Certe in casu coniugicidii utroque patrante non potest esse necessarium ut uterque cognoverit impedimentum; quisnam enim dixerit quod Saracenus (vide supra *n. 943*), qui, dum adhuc Turca erat occidit maritum mulieris christianae, cognitionem huius impedimenti habuerit, dum delictum commisit? Imo in quovis casu haec notitia necessaria non videtur; secus enim hoc impedimentnm fere nullam applicationem practicam haberet; quandoquidem vix invenietur persona saecularis quae illud cognoscat; sed interpretatio, quae legem ad nihil redigit, legitima esse non potest. Insuper impedimentum istud non ad solam poenam, sed etiam (imo praecipue) ad tollendum periculum, indecentiam atque deformitatem, institutum fuit, ut bene observat Palmieri in nota ad Ballerini (*Op. th. n. 1040*). De probabilitate itaque prioris sententiae valde dubito; et censeo quod in praxi, sive impedimentum fuerit cognitum sive non, dispensatio peti debeat.

Ad summum prima sententia post factum, idest post iam contractum matrimonium valere posse, docet Lehmkuhl (*Compend. n. 1074*).

949. *Hoc impedimentum potestne esse* ***duplex?*** Potest esse simplex et duplex. Simplex esset in quolibet ex tribus casibus supra descriptis. Si autem primus casus cum tertio coniungeretur, si nempe tum coniugicidium utroque machinante tum adulterium cum promissione vel attentatione matrimonii intervenisset; tunc duplex foret.

ARTICULUS VII.

De impedimento ex defectu solemnitatis, scilicet de clandestinitate.

PUNCTUM I.

De lege hoc impedimentum statuente, eiusque exceptionibus.

950. ***In quo consistit*** *impedimentum istud?* Tridentinum (*XXIV Cap. Tametsi*) dixit: « Qui aliter, quam *praesente parocho*, vel alio sacerdote de ipsius parochi seu Ordinarii licentia, *et duobus vel tribus testibus* matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et huiusmodi contractus irritos ac nullos esse decernit, prout eos praesenti decreto irritos facit et annullat.... »

« Statuit insuper, ut huiusmodi decretum in unaquaque parochia suum robur post triginta dies habere inciperet a die primae publicationis in eadem parochia factae numerandos ».

951. *Suntne* ***casus in quibus lex ista non vigeat?*** Non viget in sequentibus casibus.

I. *Si in loco decretum istud nunquam fuerit publicatum* (et ibi profecto nunc absque speciali S. Sedis mandato publicari non posset).

Huiusmodi loca sunt praecipue Anglia, Scotia, Borussia (intellige antiquam, ut Pomeriana); Saxoniae maximus circulus; Suecia, Dania, Norvegia, pleraeque Helvetiae provinciae, et duae provinciae Hiberniae (*dell'Irlanda*); Asia et Africa fere ex toto; et aliquae regiones Americanae, speciatim California.

In his locis nuptiae, etiam catholicorum, absque praesentia parochi et testium (imo sine praesentia alicuius sacerdotis vel alicuius testis) valida (non tamen licita) sunt.

II. *Si in loco decretum Trid. in desuetudinem abierit,* aut expresse abrogatum fuerit. Notandum, id factum fuisse dumtaxat quoad matrimonia haereticorum, et matrimonia mixta (ea scilicet quae illuc inter personas, quarum una est catholica et altera haeretica, celebrantur).

Haec loca sunt praecipue Hollandia, Hibernia, Helvetia, Provinciae Rhenanae, Westphalia, Hungaria, Transylvania, Bavaria, Civitas Constantinopolitana, Serbia, Albania, Bulgaria, Bosnia, Imperium Russicum, Georgia et loca Terrae Sanctae; nonnulli status foederati Americae septentrionalis; et aliae regiones imperiis sive Russico, sive Anglico, sive Borussico, sive Danico, sive Batavo (*Olandese*) subiectae. Alicubi etiam (v. g. in insula Melitae, et in civitate Colmar) decretum abrogatum fuit, sed solum quoad haereticos inter se ipsos, non vero quoad matrimonia mixta. Vide l'*Ami du Clerge* (*an. 1896 pag. 1048*).

Vide alia minutiora apud Vecchiotti (§ *107 in fin.*) et speciatim elenchum accuratissimum apud Zitelli (*Apparatus*).

Notandum quod in Graecia eiusque arcipelago, nec non in Valachia et Moldavia, decretum Tridentini publicatum fuit in solis ecclesiis catholicorum; unde ad schismaticos non extenditur; ex quo fit ut illuc etiam matrimonia mixta sint valida, dicente Benedicto XIV (*De Syn. VI.* VI *12*): « Cum coniugum alter tum ratione loci in quo habitat, tum ratione socie-« tatis in qua vivit, exemptus sit a Tridentinae Synodus lege, exemptio « qua ipse fruitur, alteri parti communicata remanet propter individua-« litatem contractus «.

Caeterum, exceptis praedictis locis, tam matrimonia haereticorum inter se, quam matrimonia mixta, si absque solemnitatibus a Tridentino requisitis celebrentur, invalida censeri debent.

Id patet apertissime, quia ad quaesitum: « Utrum matrimonia ab hae-« reticis inter se, aut cum catholicis, iuxta solas leges civiles, seu coram « ministro haeretico, sine praesentia parochi catholici inita, valida sint in « Galliis, et in aliis regionibus, ubi (ut in Galliis) Protestantes et haere-« tici omnes habent suos ministros, templa, seu statum legalem a Gubernio « probatum? ». S. Poenitentiaria (*28 Mart. 1834*) respondit: « Negative, « exceptis regionibus, de quibus loquitur Bened. XIV in declaratione diei « *4 Nov. 1741*, atque ad quas per Successores suos illa eadem declaratio « extensa est »; nempe excepta Hollandia aliisque locis bene multis supra recensitis. Ratio huius responsi est quia Ecclesia, partim declarando et partim dispensando, huic rei per universum Orbem iam providit; ita ut loca omnia, in quibus decretum Tridentini hodie non viget, iam ab ipsa indicata fuerint; unde in aliis locis pro decreti ipsius vigore standum erit.

III. Tertia exceptio est, si agatur de locis in quibus decretum Tridentini viget quidem, sed (v. g. *exorta persecutione*) *neque parochus, neque sacerdos delegatus adsit aut accessibilis sit.* Ratio est quia, si Ecclesia tunc quoque impedimentum in vigore servare vellet, matrimonia prorsus impediret; quod esse nequit.

Pius VI occasione perturbationis Gallicae (*an. 1793*) ad Episc. Lucion. scripsit: « Quoniam complures ex istis fidelibus non possunt omnino pa-« rochum legitimum habere, horum profecto coniugia contracta coram te-« stibus et sine parochi praesentia, si nihil aliud obstet, valida et licita « erunt, ut saepius declaratum fuit a S. C. C. ».

Imo non ita pridem S. C. S. Officii declaravit, facul-

tatem celebrandi valide ac licite matrimonium cum duobus testibus sine praesentia parochi tunc adesse, cum *per mensis spatium* accessus ad eundem *tutus* non sit.

Pariter matrimonium celebratum in locis missionum absque praesentia parochi, qui habitualem residentiam non habeat, validum esset, etiamsi contrahentes non valde distarent a loco ubi parochus casu moraretur. Ita declarasse S. Sedem testatur Vecchiotti (*§ 106 vers. fin.*).

Caeterum *duos testes,* qui in his declarationibus semper indicantur, non solum pro licito sed etiam pro valido exiguntur, ut patet ex Brevi Pii VII ad Episc. Genevensem (*5 Sept. 1793*); quamvis enim ubi Tridentini decretum publicatum non fuit, valeat matrimonium contractum etiam sine testibus; idem dici nequit de aliis loci ubi decretum fuit publicatum.

Ratio est quia si, deficiente parocho, non totaliter servari potest, saltem qua parte possibile est servari debet; quod tamen cum mica salis est intelligendum, quandoquidem Pius VI declaravit quod alius sacerdos (non delegatus) vices parochi supplere nequit: et proinde matrimonium cum solis testibus valeret, quamvis alius sacerdos aut parochus alienus in promptu esset; qui nihilominus pro licito (nempe ad benedictionem recipiendam) adhiberi deberet. Cf. Gury (*II 843*).

952. *Quid si* ***impossibilitas*** *contrahendi coram parocho* ***non esset generalis, sed particularis?***

Communis sententia docet, matrimonium tunc (seclusa dispensatione S. Sedis) nunquam valere posse.

Sed non desunt theologi qui pro casu, in quo impedimentum clandestinitatis vere, evidenter et magnopere noxium evaderet (prout contingere posset in moribundo, qui, nisi matrimonium celebraret, maximum aeternae damnationis periculum subiret; nec parochus proprius haberi posset), matrimonium validum esse censent; si enim in huiusmodi circumstantiis alia impedimenta dirimentia, ut fatetur ipse S. Lig. (*De Privilegiis n. 77*), cessare possunt; cur non istud quoque? Ita sentiunt Ballerini (*II 840 not. b*), Taddei (*Specimen Cas. 2*), aliique doctissimi a Ballerinio, Sanchezio et Diana citati; et in hanc partem D'Annibale (*354 not. 34*) et Vecchiotti (*l. c.*) valde inclinant. Gasparri autem (*n. 968*) de praedictis rationibus dicit: « Haec argumentatio difficile dissolvitur ».

Hodie autem Ecclesia iam providit pro casu concubinarii si in paroecia aliena esset moribundus, prout videbimus infra (ubi de dispensationibus).

PUNCTUM II.

De parocho qui matrimonio assistere debet.

953. ***Quisnam venit nomine parochi,*** *de quo loquitur Tridentinum?*

Oportet 1° ut sit parochus in sensu obvio, vel rector paroeciae.

Ubi autem paroeciae canonice institutae non adsunt, illuc (ut notat Génicot *n. 496*) *quasi-paroeciae* pro paroeciis habentur.

Nihil dico de parochis parochorum, quales sunt nedum summus Pontifex, sed etiam Episcopus, Vicarius Generalis et Vicarius Capitularis.

Oportet 2° ut sit parochus *proprius*.

954. *Quid exigitur et sufficit ut quis tamquam parochus haberi debeat?*

I. Sufficit ut sit parochus in sensu obvio (ut dixi), et quoad validum nihil obstaret si non adhuc esset sacerdos, aut esset excommunicatus (etiam vitandus), suspensus, interdictus etc.; uno verbo sufficit si remaneat testis qualificatus, nempe in beneficii parochialis possessione, quamvis forte illud renuntiare deberet, vel iurisdictione privatus existeret, imo et quamvis haereticus esset. Cf. Scavini (*II 921*).

Dicit tamen Zitelli quod communiter habetur tamquam invalidum matrimonium celebratum coram parocho, qui esset haereticus publicus et declaratus, quia tunc ipso iure paroecia privatus evasisset.

II. Donec quis est parochus, ne ab Episcopo quidem impediri potest quominus huic vel illi matrimonio sive per se sive per alium sacerdotem valide (aliud est de licito) assistat.

Hoc patet ex Decreto S. C. C. apud Bened. IV (*De Syn. XII.* xxiii *3*); et ratio est quia Episcopus impedimentum dirimens inducere non potest, neque efficere ut matrimonium de iure validum, invalidum sit. Cf. Vecchiotti § *106*.

III. Nomine parochi intelliguntur etiam oeconomi spirituales (paroecia vacante), et curati sive perpetui sive amovibiles, illi nempe sacerdotes qui sive in perpetuum sive ad tempus deputantur ad regendam paroeciam, quae habeat parochum *habitualem*, cuiusmodi esse posset Capitulum vel Monasterium vel Episcopus vel Canonicus etc.

Huiusmodi curati, quoad paroeciae regimen, a parocho habituali sunt prorsus independentes iure ipso, et proinde etiam circa matrimonia facultate plena (quae nullo modo coarctari potest) sicut alii parochi fruuntur; et si duo in solidum paroeciam regerent, matrimonium valeret apud alterutrum, etiam altero invito. Sanchez (*III.* xxiv *6*).

IV. Tamquam parochi considerantur (quamvis adhuc non sint) etiam coadiutores in spiritualibus, qui sive ab Episcopo sive a Pontifice dantur parocho inhabili aut seni; non refert si ius successionis habeant vel non habeant.

Attamen videndum, an supplere debeant totaliter et independenter, quo casu certe valent matrimonia (etiam clandestina, scilicet inique praetermissis denuntiationibus) coram ipsis contracta.

Si vero Coadiutor (eo quod Rector principalis non sit prorsus inhabilis) praedictam independentiam non habeat, tunc praesente et invito principali nec licite nec valide matrimoniis assisteret. Cf. Reiffenstuel (*III.* vi *49*). Principalis tamen neminem praeter suum Coadiutorem delegare posset.

Nihil dico de coadiutoribus a solo parocho electis, qui vulgo *vicarii aut capellani* vocantur; ipsi enim tamquam parochi certe non habentur, et solum ex delegatione matrimoniis assistere possunt.

V. Sufficit si quis parochus existimetur ex errore communi cum titulo colorato, si nempe, propter defectum occultum collatio paroeciae invalida fuisset.

Idem dic de praedictis Curatis et Coadiutoribus; subsistente enim errore communi cum titulo colorato, Ecclesia propter bonum publicum et ne tot actus invalidi sint, iurisdictionem supplet.

VI. Idem docent plures circa casum solius erroris communis sine titulo colorato: sed de re ista est valde dubitandum (vide supra *n. 148*).

955. *Cur exigitur parochus* ***proprius?*** Patet ex Tridentino non in verbis supra adductis, sed in contextu. Ratio autem est quia ille melius omnibus aliis potest non solum providere ut hoc sacramentum digne recipiatur, sed etiam (imo praecipue) praecavere periculum ne accedant aliquo impedimento detenti, et maxime alio matrimonio iam ligati.

956. ***Quisnam est*** *parochus proprius?*

Praescindendo a *vagis,* qui nullum habent parochum proprium et (de quibus sermo habebitur infra), parochus

proprius est ille, in cuius paroecia quis habet domicilium aut quasi-domicilium.

Auctores antiquiores docebant ordinarie quidem oportere ut contrahens actu matrimonii in illa paroecia domicilium vel quasi domicilium habeat; sed regulam supremam reponendam esse in *parochialitate;* et quidem ita ut in illa iuxta sensum communem habeatur tamquam parochianus, atque insuper ut, si tunc degeret in quasi-domicilio, pro illo tempore non censeatur parochianus in alia ubi verum et principale domicilium retineat. Sic enimvero docuerunt v. g. Sanchez (*L. III.* XXIII *n. 11 n. 3 et 19 in fin.*) et Reiffenstuel (*IV.* III *62*). Sed doctrina ista (ut ex infra dicendis patebit et confirmabitur) hodie est antiquata, et pro valore matrimonii certe sufficit si contrahens in illa paroecia sive domicilium sive quasi-domicilium habent, ut dixi.

957. *Quid est* ***domicilium?***

Est locus, ubi quis habitationem propriam habet, cum animo ibi manendi sive perpetuo, sive ad tempus indeterminatum, sive donec in posterum aliquid efficiat ut domicilio ipsi renuntiet. Notanda tamen sunt sequentia.

I. Domicilium non amittitur per discessum ad tempus, seu manente voluntate redeundi: idque verum est quamvis absentia valde diuturna foret.

Equidem Sanchez et Reiffensteul (ut modo dicebam) contrarium docent. Sed post Schmalzgrueber qui (*II.* II *51*) dixit: « in utroque (nempe sive « domicilio sive quasi-domicilio) posse contrahere matrimonium », haec huius auctoris sententia communissima evasit, et sic efformata fuit iurisdictio probabilissima, qua stante iam certe Ecclesia supplet. Cf. *Theologia Pastoralis* (*Ed. III n. 432*).

II. Domicilium minoris (qui non sit emancipatus) est apud familiam propriam, nempe apud genitores vel tutorem; etsi forte minor ipse longe absit, vel etiam in illo nunquam habitaverit. Patet nedum ex Gasparri (*n. 295*), Zitelli etc., sed ex pluribus decisionibus S. C. C. v. g. *1896 Martii* (apud *l'Amì du Clerge pag. 1002*) et *26 Apr. 1902* (apud *Monit. XIV 97*).

III. In civitatibus et oppidis sufficit etiam ut civis conduxerit domum pro tempore quo domus conduci solent, v. g. ad sex menses, vel (procul alicubi usuvenit) etiam minus. Idem dic si talis civis non in principio sed in decursu dicti temporis in aliqua domo habitationem suam constitueret, vel (prout subinde in famulis contingere solet) tamquam unus de familia evaderet, licet in fine anni vel semestris etc. cum familia ipse discessurus esset. Sed de re ista sermo redibit infra (*n. 979*).

IV. Si quis sex mensibus (circiter) in una et sex mensibus in alia paroecia habitaret, duo haberet domicilia et in ambabus paroeciis parochianus esset.

V. Domicilium consideratur non ubi die, sed ubi nocte quis stabiliter habitat. Excipe nisi forte extra domum suam ratione officii vel concubinatus noctem transigere solitus esset.

VI. Si domus partim in una et partim in alia paroecia esset, a ianua principali decisio penderet.

VII. A momento quo quis paroeciam relinquit cum intentione non amplius *stabiliter* redeundi, cessat esse parochianus, et proinde eiusdem matrimonium apud pristinum parochum non valeret, etsi statim post discessum (v. g. sequenti die) contraheretur, intellige seclusa delegatione sive parochi sive episcopi novi domicilii.

VIII. Ad acquirendum domicilium (vel quasi-domicilium) non sufficeret habitatio, quae (sine intentione stabiliter permanendi) ex casibus fortuitis, vel animo experiendi, alicubi (etiam diu) protraheretur.

IX. Nihil autem interest sive sponte, sive coacte (v. g. propter morbum, carcerem, exilium etc. animum permanendi quis habeat. Ita De Angelis.

958. *Quid est* ***quasi-domicilium?*** Contingit quando quis habens verum domicilium (ut supra), illudque retinere volens, ad alium locum se confert ad tempus; sed ita (N. B.) ut illuc morandi saltem maiori anni parte intentionem habeat; si enim ageretur de minori tempore, tunc ad constituendum quasi-domicilium id (iuxta doctrinam hodie tenendam) certe non sufficeret. Excipe tamen illa loca, in quibus propter speciale S. Sedis decretum minus sufficeret.

959. Dixi *iuxta doctrinam hodie tenendam:* hoc enim in puncto theologi et canonistae valde disputarunt, atque in duas abierunt sententias.

960. Auctores primae sententiae imprimis sic dicunt: Ad constituendum quasi-domicilium, exigitur ipso iure, ut habeatur intentio immorandi in loco saltem pro maiori anni parte. Patet ex Cap. *Is quis, de sepulturis* (*in VI Decretal. III.* XII *3*), ubi dicitur: « Is qui habet domicilium in « civitate vel castro, quandoque ad villam ruralem se transfert recreationis « causa, vel ut ruralia exerceat in eadem; si, non electa sepultura, decedat « ibidem, non in Ecclesia dictae villae, sed in sua parochiali, vel in ea po- « tius in qua maiorum ipsius ab antiquo sepultura extitit, sepeliri debebit;

« dummodo absque periculo ad ipsam valeat deportari ». Canon iste (aiunt), ubi dicit *recreationis causa,* intelligi debet etiam de recreatione diuturna, quales hodie esse solent recreationes autumnales, quae tribus vel quatuor mensibus durant; ita enim rem hanc intellexerunt canonistae, qui passim docent, ex dicto canone argui quod habitatio per maiorem anni partem ad quasi-domicilium constituendum omnino exigitur; atque ita sensit Rota Romana, ut dicit Sanchez (*III.* XXIII *19*).

Sed interpretatio huiusmodi (respondent auctores secundae sententiae) est arbitraria. Verbis canonis stricte inhaerendo, necessitas habitationis *per maiorem anni partem (et maxime etiam praecise ad effectum matrimonii contrahendi)* deduci non potest. Insuper *recreatio,* de quo Canon loquitur, nonne posset intelligi de recreatione brevi, v. g. unius vel alterius diei? Pontius (*V.* XII § *2 n. 13*) scripsit: « Paucis diebus concludi « et definiri solet (recreatio) ». Imo hic sensus suaderi videtur ab adverbio *quandoque,* nec non ab alio exemplo operum ruralium; haec enim morulas valde breves, non vero stabilem et constantem plurium mensium habitationem die et nocte, indicare videntur. Hinc Rebuf. (apud Suarez *l. c.*) dicit: « Caput *Si quis De sepulturis in VI,* dum decidit, euntem in villam causa « recreationis, non acquirere ibi parochiam, loqui quando non venit ad « habitandum ex causa in loco, sed animo *statim* recedendi: quare fu- « gientem ob pestem, causa habitandi aliquo loco, dici statim parochianum; « secus si non causa habitandi, sed *ut uno aut altero die ibi sit* ».

Reapse, (subiungunt) non obstante dicto textu iuris canonici, plures theologi et canonistae censent, habitationem per maiorem anni partem non exigi ad constituendum quasi-domicilium, sed sufficere habitationem breviorem, quamvis in illa determinanda non conveniant. Seb. Berardi (*Comment. ad ius eccles. V De form. et solemn. coniugii*) dicit: « Tradunt pragma- « tici, sufficere *quatuor mensium* spatium, ut quis dicatur quoad hunc « effectum in parochia domicilium contraxisse ». Schmalzgrueb. (*II.* II *19*) cum aliis dicit sufficere *aliquot menses.* Pontius (*l. c.* § *1*) dixit: « Eum « qui habet alicubi etiam parvi temporis habitationem, posse contrahere « coram parocho habitationis ». Notat tamen, hoc esse intelligendum si contrahens in loco sit alienigena; non vero si quis in suo oppido, non relicto domicilio suae paroeciae, habitaret ad breve tempus in alia eiusdem oppidi paroecia; hac enim in re commoditas quoque adeundi parochum domicilii respici debet, ut notat etiam Fagnanus (Cap. *Significavit De Paroch.*). Emm. Sà (v. *Parochus n. 7*) scripsit: « Ad matrimonium vero « sufficit vel modica habitatio ». Pontius dicit, hanc doctrinam reperiri etiam in Aphorismis expurgatis per Magistrum Sacri Palatii, et notat quod, si parochus brevis habitationis pro matrimonio non sufficeret, correctio praetermissa non fuisset ab Expurgatore; agitur enim de re momentosa, ex qua valor matrimoniorum pendere posset. Fagnanus (*l. c.*) dixit: « Maxima est dissensio inter Doctores, qualis habitatio requiratur « ad hoc, ut quis dici possit parochianus. Quidam putant requiri transla- « tionem domicilii, nec satis esse qualemcumque habitationem, nisi adsit « animus *perpetuo* habitandi.... Quidam putant sufficere habitationem, « dummodo tamen illa sit annalis *vel pro maiori anni parte*.... Alii vero « tenent *ex sola habitatione quem effici parochianum, dummodo non sit « ibi recreationis gratia vel ad ruralia exercenda, aut ex alia brevi « causa, statim reversurus ad primam parochiam.* Haec sententia fuit « originaliter Friderici de Senis, ubi respondit, ad ius parochiale esse « attendendam praesentem habitationem, non domicilium; ideoque in eodem « anno quem effici posse parochianum plurium ecclesiarum ». Ita sentiunt

etiam plures theologi moderni primi subselli. Ballerini (*II 839*) dicit: « Ut quasi-domicilium quis acquirat, et non hospes, sed habitator et in- « cola censeatur, sunt qui putant opus esse ut maiore anni parte degere « ibi velit. Tamen conformius iuri sentire videntur, qui tenent, ad id « sufficere propositum habitandi *per aliquot menses* ». Idem dicit Mansella (*De imped. de clandest. n. 28*). Lehmkuhl (*n. 775*) ait satis probabile videri quod quatuor menses sufficiunt.

961. Sententia ista (subiungunt etiam), quamvis sit minus communis apud Doctores, tamen fuit semper magis adoptata a S. C. C.; quandoquidem apud Farinacium (*in Noviss. ad Sess. XXIV Concil. Trid. I 3*) reperiuntur sequentes decisiones: « Proprius parochus est in cuius pa- « rochia contrahentes habitant tempore quo matrimonium contrahitur ». « Quando matrimonium contrahitur inter duos alienigenas et a parvo « tempore in aliquo loco habitantes, qui tamen sint cogniti..., proprius « eorum parochus esse intelligitur in cuius parochia habitant eo tempore « quo matrimonium contrahunt ». Fagnanus alias sequentes decisiones refert: « Cum iuvenis nobilis et meretrix Senensis cuperent invicem ma- « trimonio copulari, et dubitarent, ne, si matrimonium in civitate Sena- « rum contraherent, parentes impedirent, Romam accesserunt; ibique *ali- « quantisper* commorati, coram parocho in cuius paroecia habitabant con- « traxerunt. S. C. censuit matrimonium esse validum....: et alias gene- « raliter consulta an proprius parochus quis dicatur, in cuius paroecia « contrahentes habitant tempore quo matrimonium contrahitur, respondit: « Ita dici.... Idem respondit de matrimonio alterius, qui ob eandem cau- « sam se in Angliam contulit, et ibi *aliquantisper* moratus coram parocho « habitationis contraxit ». Sed quid significat istud *aliquantisper?* S. C. apud eundem Fagnanum respondit: « Si (tempus habitationis) fuerit saltem « *unius mensis*, dandam esse decisionem pro validitate; alias de novo « referendum in Congregatione ». Habitatio itaque unius mensis (iuxta hanc decisionem) ad constituendum quasi-domicilium (saltem ad effectum matrimonii contrahendi) sufficeret absolute; si vero habitatio fuisset mense brevior, tunc distinctiones locum habere possunt, unde S. C. dixit: « Alias « de novo referendum in Congregatione ». Argumentum itaque, quod ab auctoribus primae sententiae adducitur, quod scilicet firmum et inconcus- sum in iure semper fuerit, exigi habitationem per maiorem anni partem (sin minus effectivam saltem in intentione) ut quis valide matrimonium celebrare possit, firmum revera et inconcussum non est: contraria enim opinio vere adest, et Sacrae C. C. magis placuit.

Utique Rota Romana aliter sensit; sed Pontius dicit: « Non obstare « decisiones Rotae; his enim ego oppono Congregationis (Concilii Triden- « tini) declarationes; quae maius pondus auctoritatis habent.... Cum prae- « sentia proprii parochi solo iure novo Tridentini introducta sit, et Con- « gregatio Concilii, quae praeest declarandis dubiis quae ex Concilio « oriuntur, declaraverit satis esse parochum etiam modicae habitationis ».

962. Subiungunt denique, doctrinam istam confirmari decreto Bene- dicti XIV, qui, in Epistola *Pancis ab hinc* (ad Goanum) scripsit: « Ne- « cessarium fore censemus nonnihil adiungere ut in propatulo sit, quidnam « requiratur ad quasi-domicilium adipiscendum. Verum hac in re non alio « pacto responderi potest, nisi quod, antequam matrimonium contrahatur, « spatio saltem unius mensis ille, qui contrahit, habitaverit in loco, ubi « matrimonium celebratur. Definitiones Congreg. Concilii hac de re obser- « vari poterunt apud Fagnanum.... ubi haec habet: *Vir et mulier Traie- « ctenses timentes impedimentum a parentibus, cum ad vicinam urbem*

« *Aquisgranam se contulissent, et ibi aliquandiu morati matrimonium* « *contraxissent, S. C. consulta super validitate, censuit exprimendum* « *esse tempus quo contrahentes Aquisgranae manserunt; quod si fuerit* « *saltem unius mensis, dandam esse decisionem pro validitate.* Natalis « Alexander animadvertit, ad acquirendum quasi domicilium, oportere ut « contrahentes, antequam matrimonium celebrent, tanto tempore in eo loco, « ubi copulantur, fuerint commorati, ut ibidem cogniti iam sint atque « perspecti. Dubitari autem posset, num ad quasi-domicilium acquirendum « matrimonii causa, uti diximus, non solum requiratur praesens habitatio; « verum etiam subsequens ad aliquod temporis spatium; verum, cum ob- « servaverimus subsequentem habitationem ab iis auctoribus, qui hanc « tractarunt materiam, tamquam magni momenti adminiculum reputari ut « novum domicilium quaesitum dicatur, *nihil vero de illa praescriptum* « *fuisse a Concilii Congregatione in adducta definitione....*, nolumus hac « de re quidquam novi decernere ». Sic itaque Benedictus XIV dixit, ita taxative sufficere habitationem unius mensis, ut, sicut S. C. nihil aliud exigit, ita et ipse nihil aliud exigat. Hoc sensu rem hanc intellexerunt P. Perrone (*De Matr. Christ. II.* 1 *C. VI A. 5*) et Gury (*II 846*), qui aliam quoque adduxit declarationem S. C. S. Officii, quae (*6 Dec. 1843*) ad quaesitum: « Ioannes et Maria Mechliniae domicilia habentes, Londi- « num veniunt, et sine auctoritate vel licentia suorum parochorum, uno « solummodo mense elapso, Londini matrimonium contraxerunt. Quaeritur « utrum hoc matrimonium sit invalidum? ». Respondit *Stet Epistolae Benedictis XIV ad Episcopum Goanum.*

At vero auctores, qui primae sententiae favent, duce P. Tarquini (Acta *XI 567*), dicunt quod mensis a Benedicto XIV indicatus non taxative sed *praesumptive* intelligi debet; quod scilicet contrahentes, ex hoc ipso quod ab uno mense in loco versentur, iam habeant intentionem illuc remanendi per maiorem anni partem.

963. Sed contra hanc interpretationem opponitur quod ex sola unius mensis mora in aliquo loco, non potest oriri praesumptio (et maxime quae sufficiat in re tanti momenti qualis est matrimonii validitas) quod adsit quoque intentio illuc remanendi pro maiori anni parte; mille enim possunt adesse rationes immorandi per mensem quin dicta intentio habeatur. Aliunde Pontifex dicit standum esse resolutioni S. C. quae absolute et absque ulla distinctione, et quin ulterior mora interveniret, decrevit dandam esse decisionem pro validitate; idque quamvis ageretur de sponsis qui ex unico fine matrimonii celebrandi illuc se contulerant, *coque celebrato subinde ad Dioecesim regrediebantur*, quo in casu quomodo haberi poterit praesumptio quod pro maiori anni parte illuc immorari intenderint?

964. Hucusque dicta rem istam valde dubiam relinquerent, imo potius suaderent intentionem remanendi pro maiori anni parte (ut dicit prima sententia) reapse non exigi, et secundam sententiam magis probabilem esse.

Sed *anno 1867* (*7 Iun.*) prodierunt litterae encyclicae S. C. S. O. (ad Episcop s Angliae et S:at. Foed. Americae Septentrionalis), in quibus agitur de dicto casu personarum se transferentium ad loca, ubi Tridentinum non est promulgatum et dicitur: « Ad constituendum vero quasi-do- « micilium, quod in hisce casibus necessario adipiscendum est, duo haec « simul requiruntur, habitatio nempe in eo loco ubi matrimonium con- « trahitur, atque animus ibidem permanendi per maiorem anni partem. Qua- « propter si legitime constet vel ambos vel alterutrum ex sponsis animum « habere permanendi per maiorem anni partem, ex eo primum die quo duo « haec simul concurrunt.... indicandum est quasi-domicilium acquisitum

« fuisse, et matrimonium quod proinde contrahatur esse validum. Verun-
« tamen si de praedicto animo non constet, ad indicia recurrendum est
« quae praesto sint, quaeque moralem certitudinem pariant. In re autem
« occulta et interna, difficile est huiusmodi indicia habere, quae iudicem
« securum faciant. Inde est quod adhiberi maxime debet regula a Sum.
« Pontif. Benedicto XIV Const. *Paucis* confirmata, ut inspiciatur, utrum
« ante matrimonium spatio saltem unius mensis vel ambo vel alteruter
« in matrimonii loco habitaverint. Quod si factum fuisse deprehendatur,
« censendum est *ex praesumptione iuris* intentionem permanendi per ma-
« iorem anni partem extitisse, et quasi-domicilium fuisse acquisitum,
« proindeque matrimonium esse validum. At si praesumptio haec iuris,
« quae ex menstrua habitatione oritur, contrariis elidatur probationibus,
« quibus certo ac liquido constet praedictum animum nullo pacto extitisse,
« tunc profecto contrarium proferri debere iudicium manifestum est, quia
« praesumptio cedere debet veritati ». Ageretur enim de praesumptione
iuris, non vero de praesumptione iuris de iure, quae utique probationes
in contrarium minime admitteret.

965. Hic autem sedulo notandum quod pro Statibus Americae foede-
ratis, postulante Concilio Baltimorensi et ex consilio S. C. S. O. (*12 Maii 1886*) a S. Sede concessum est, ut transferentes se e loco ubi viget lex
Tridentini, in alium ubi non viget, dummodo ibi continuo commorati fue-
rint per spatium saltem unius mensis (et status sui libertatem comproba-
verint) censendi sint ibidem quasi-domicilium habere in ordine ad matri-
monium, *quin inquisitio facienda sit de animo ibi permanendi per ma-
iorem anni partem.* Unde Ballerini (*Op. th. n. 1193*) deducit : « Ibi ergo
« habitatio per integrum mensem non tam praesumptionem suppeditare
« acquisiti quasi-domicilii videtur, quam quasi-domicilium respectu matri-
« monii constituere ».

966. Adest aliud decretum S. C. S. O. pro casu matrimonii quod con-
trahi volebat ubi contrahentes nunquam habuerunt intentionem perma-
nendi per maiorem anni partem sed potius habuerunt contrariam, et solum
per sex menses illuc permanserunt quia lex civilis id exigebat. Officialis
ecclesiasticus recusavit ; sed petiit an non severius se gesserit ? Responsio
S. C. (*9 Nov. 1898* apud Acta *XXXI 746)* fuit sequens : *Orator acquie-
escat, et addatur : Se conferentes in civitatem N. ex alio loco vel paroe-
cia per sex menses, censendos esse ibidem habere quasi domicilium in
ordine ad matrimonium, quin inquisitio facienda sit de animo ibi per-
manendi per maiorem anni partem, facto verbo cum SS.mo.*

967. *Quid igitur concludendum ?* Meo sensu conclu-
siones verae sunt sequentes.

I. Pro casibus illorum qui se conferunt ad Status Foederatos Americae Septentrionalis, Decreto *an. 1886* S. C. S. O. hic relato (*n. 965*) standum erit.

II. Pro locis in quibus iuxta legem civilem exigantur et sufficiant sex menses, standum erit decr. *an. 1898* eiusdem S. C. S. O. relato *n. 966*, et vide *Monit.* (*X pag. 221*).

III. Pro aliis casibus standum est Decreto eiusdem S. C. S. Officii (*anno 1867*) relato (*n. 964*), quod non solum cum magis recepta theologorum et canonistarum

sententia, sed etiam cum sensu communi cohaeret, ut patet v. g. ex pastoribus, qui (apud nos) appropinquante hyeme a patriae propriae montibus cum suis gregibus longe migrant ad valles; quamvis enim per quinque circiter menses in aliqua paroecia morentur, nihilominus illam tamquam paroeciam propriam nullatenus recognoscunt.

Si itaque iam constet quod solum minori anni parte alicubi (extra proprium domicilium) morandi voluntatem habeant, pro quasi domicilio non contracto standum erit. Si vero de dicta voluntate non constaret, tunc mora unius mensis sufficeret ex praesumptione iuris, ut ex citato decreto patet.

968. *Veniendo magis ad particularia, quid (relate ad matrimonium) de domicilio quoad illos qui ratione officii (v. g. praetoris, magistri, medici etc.) morantur longe a patria et familia propria?* Si domicilio familiae suae non renuntiassent, haberent quasi-domicilium ubi degunt, simulque in patria domicilium conservarent.

969. *Quid de collegialibus vel studentibus in gymnasiis, licaeis et universitatibus extra patriam?* Hi quoque quasi domicilium ubi degunt, et domicilium in patria habent.

970. *Quid de puellis in educandatibus, conservatoriis, orphanotrophiis etc.?*

Illae etiam conservant domicilium familiae suae, et habent quasi-domicilium ubi degunt, unde v. g. educandae ad crates monasterii apud parochum loci valide matrimonium contraherent, etsi pro licito domum mitti deberent. Cf. Lambertini (*Instit. XXXIII 15* et *LXXXIII 10*).

971. *Quid de puellis expositis in brephotrophiis?* Pro illis brephotrophium consideratur ut domicilium paternum; unde semper valide contraherent matrimonium apud parochum brephotrophii ipsius (ad quod in illa occasione revocari solent). Sed si (v. g. tamquam famulae) in alia domo relinquerentur, tunc etiam in paroecia, ubi sic quasi-domicilium haberent, matrimonium valeret.

972. *Quid de famulabus?* Ut plurimum conservant domicilium familiae suae, simulque habent quasi-domicilium ubi famulantur. Excipe tamen nisi solum ad mensem aliudve breve tempus determinatum, vel nisi ad modum brevis experimenti tantummodo famulatum illum suscepissent.

973. *Quid de carcere detentis?* Illi quoque conservare solent domicilium familiae; in carcere autem quasi-domicilium habebunt vel non habebunt, secundum quod per longum tempus aut saltem pro maiori anni parte illuc sint remansuri; vel secus.

974. *Quid de militibus?* Conservare solent domicilium familiae; in exercitu autem habebunt quasi-domicilium si ad remanendum alicubi per longum tempus (ut supra) destinati essent.

975. *Quid de infirmis in hospitali?* Isti (nisi essent chronici) nec domicilium nec quasi-domicilium in hospitali ipso habent; unde vel solum propriam suae familiae paroeciam conservant, vel (si illam non haberent) tamquam vagi considerari deberent.

976. *Quoad matrimonium adestne aliqua differentia inter parochum domicilii et parochum quasi-domicilii?* Affirmative; ad contrahendum enim valide apud parochum quasi-domicilii praesens habitatio in eiusdem paroecia exigitur; quod non esset necessarium pro parocho domicilii vel etiam si contrahens duo vera domicilia haberet.

977. *Loquendo nunc* **de vagis** *qui nullibi domicilium habent, apud quemnam parochum matrimonium contrahere possunt?*

Si tempore quo matrimonium contrahere volunt aliquam stabilitatem in aliqua paroecia habeant, tunc probabilius est quod apud paroeciae ipsius parochum illud contrahere debeant; sed probabile est etiam, quod apud alium parochum quemcumque illud possint celebrare; unde matrimonium sic celebratum tamquam validum haberi debebit, quia in opinionum probabilitate supplet Ecclesia. Cf. Mansella (*De imped. P. II D. I 6 de vagis*).

Parochus tamen poterit valide assistere vagorum matrimonio solum intra fines paroeciae suae; non vero extra (ad differentiam casus in quo parochiani sui, ratione domicilii aut quasi domicilii, matrimonio assisteret). Lehmkuhl (*II 776*).

978. *An qui, relicto prorsus suo domicilio, se confert ad alium locum, ubi domicilium statuere intendit, tamquam vagus considerari possit?*

Affirmative, Scripsit Bened. XIV (*Inst. XXXIII 10*): « Vagus ille (quoque) appellandus est qui, relicto suo « domicilio, sedem in exteris terris inquirit, ut deprehen- « ditur ex iure dicente : *Puto autem et hoc procedere « posse, si quis, domicilio relicto, naviget, vel iter fa- « ciens quaerat quo se conferat atque ubi consistat ; « nam hunc puto sine domicilio esse* ». Idem docet Reiffenstuel (*L. IV Tit.* III *n. 87*).

Tunc autem dicitur *vagus momentanee* (Vide Acta *Vol. XXXII 389*).

Subdit Mansella (*l. c.*), hoc esse intelligendum tum si quis destinavit ubi sedem collocaturus sit, tum si nondum destinavit : adhuc enim in utroque casu domicilio caret, ut notant Sanchez (*III.* XXV *3*), Schmalzgrueber (*IV.* II. II. *154*) etc.

979. *In plurimis locis domus conduci solent ad semestre; in aliis ad epocas singulis annis inaequales, quarum una est maior et alia minor semestri ; in aliis denique ad mensem. Illuc autem saepe contingit quod domus ita conducatur ut intentio sit in illa manendi non iam pro maiori anni parte, sed solum ad sex vel quinque menses, vel etiam ad mensem dumtaxat. Quaeritur itaque an qui hoc modo in aliqua paroecia degunt, habeant in illa domicilium vel quasi-domicilium ; an vero tamquam vagi considerari debeant?* R. Quod sciam, nunquam auditum est quod isti tamquam parochiani non considerentur ; aut quod de illorum domicilio dubitetur ; aut quod occasione matrimonii fiant inquisitiones an habuerint intentionem illuc permanendi ultra tempus in contractu statutum ; aut quod tamquam vagi considerari et proinde apud alium quemlibet parochum matrimonium contrahere possint.

980. *Quid de casu practico illarum famularum, quae paullo ante matrimonium se conferunt ad aliam paroeciam, ubi consanguineum aliquem (non tamen domicilium aut quasi-domicilium) habent ; atque coram parocho paroeciae ipsius illud contrahunt, quo contracto, statim sunt discessurae? Valebitne matrimonium istud?*

Resp. Negative certe si illud contraherent cum hero eiusve filio, atque adeo ad pristinam domum (in qua famu-

labantur) rediturae essent; tunc enim illuc remanerent parochianae sicut prius, et proinde parochi delegatio exigeretur. E contra validum esset matrimonium, si illud contraherent cum parochiano alterius paroeciae; tunc enim tamquam *vagae momentanee* considerari deberent, ut bene docet Scavini (*III n. 900*).

Aliud esset pro aliis casibus si fraus interveniret. Quid enim si in fraudem proprii parochi post factas denunciationes sponsi desererent paroeciam, et in via dum se conferunt ad domum, in qua post matrimonium domicilium constituent, apud parochum quemcumque illud inirent? Cf. *Theologia Pastoralis* (*Edit. III n. 437*).

981. *Quid si matrimonio assisteret parochus non sponsae sed sponsi?* Pro licito exigitur ut sit parochus sponsae; sed etiam parochus sponsi valide assisteret.

982. *Quid si ex nupturiensibus nemo esset parochianus, attamen unus esset vagus?* Tunc quoque parochus valide assisteret. (Cf. *n. 977*).

PUNCTUM III.

De delegato qui, vice parochi, matrimonio assistere potest.

983. I. Parochus (et a fortiori Episcopus) delegare potest alium ad assistendum matrimonio, sed oportet ut delegatus sit sacerdos (aut talis reputatus. Pichler *IV.* III *22*).

II. Delegatio praesumpta (nempe quae concederetur, si peteretur) certe non sufficit, quia de facto non est concessa. Non sufficit ut sacerdos sciat parochum esse contentum, aut dixisse se velle eum delegare, sed oportet ut reapse per intimationem ei directam, licentiam concesserit.

III. Non obstare si contrahentes metu aut dolo, ad talem vel talem sacerdotem delegandum, parochum vel Episcopum induxissent, dicit Sanchez (*III.* XXXIX *13*); et certe non obstaret si in licentiae petitione error *bona fide* irrepsisset, idque quamvis si, veritate exposita, licentia obtenta non fuisset, ut ex declaratione S. C. Concilii apud Lambertini (*Notif. LXXXVIII 4*) manifestissime patet. Ratio est quia delegatio in his casibus nullo iure irritatur.

IV. Oportet ut licentia non fuerit retractata. Intellige per intimationem delegato directam et quae tempestive ad illum pervenerit; non enim sufficeret si delegatus casu intellexisset, parochum nolle ut matrimonio amplius assisteret. Sanchez (*III.* XXXVI *9*).

V. Si parochus moriatur, antequam delegatus assistat, facultas expirat re integra et si mors fuerit cognita; mandatum enim expirat morte mandantis. Aliud esset si ad modum gratiae concessa fuisset; quia gratia facta non expirat morte concedentis. Génicot (*n. 496*).

VI. Sicut parochus, ita sacerdos delegatus, valide assistere potest etiam extra paroeciam vel dioecesim (ad differentiam delegationis ad audiendas confessiones, quae est territorialis), Sanchez (*III.* XXXIV *3*). Attamen pro licito solum intra fines paroeciae assistere posset. Vecchiotti (*§ 106*).

VII. Quamvis delegatio praesumpta non sufficiat, sufficit tamen delegatio tacita, ut puta, si capellani hospitalium, scientibus et tacentibus Episcopis, iam a longo tempore matrimoniis assistere consuevissent. Ratio est quia delegatio tacita vere subsistit de praesenti. Attamen Gasparri (*n. 946*) dicit, licentiam tacitam facile constituere dubium, quo subsistente, ante factum pro invaliditate, et post factum pro validitate standum esset.

VIII. Sufficit quoque delegatio implicita, nempe inclusa in delegatione data ad omnia (ut alter ego), quae *ad universitatem causarum* appellari solet; ut puta, si parochus discedens per notabile tempus diceret vicario suo absolute: *te in meam vicem relinquo, ut quidquid occurrat facias.* Sanchez (*l. c. XXXV 8*). Idem dic si parochus discessurus esset ad breve tempus, sed interim matrimonium (v. g. iam publicatum) celebrari deberet. Imo generatim in facultate absque limitatione concessa intelligi debet etiam facultas assistendi matrimoniis, parocho absente, toties quoties speciales circumstantiae non suaderent, talem facultatem ei dare non intendisse (prout contingere posset speciatim in absentia brevi). Simplices vicarii parochorum, ex hoc ipso qood ad tale munus assumuntur, in multis locis censentur deputati ad universitatem causarum (nisi

parochus expresse aliquid excipiat); sed apud nos non est ita. Vide alia notatu digna apud Gasparri (*n. 945*).

IX. Delegatio, ut valeat, debet esse acceptata ab ipso delegato, vel eiusdem nuntio.

X. Delegati ad universitatem causarum (non vero alii, quamvis ad assistendum omnibus matrimoniis delegati fuissent) hanc facultatem subdelegare (etiam in globo) possunt. Gury (*n. 850*), Scavini (*III 804*) et Gasparri (*n. 944*).

XI. Quomodo interpretari debeat delegatio, et maxime si conditiones appositae fuissent, vide *Theologiam Pastoralem* (*Ed. III n. 443*). Hic noto solum quod conditiones ut plurimum tamquam simplices instructiones pro licito, non vero pro valido, intelligi debent.

XII. Quid de delegatione facta ab Episcopo, sed ex errore; et praecise pro casu, in quo Episcopus hanc facultatem concessisset cuidam parocho circa quosdam qui reputabantur parochiani illius dum erant alterius?

Standum est pro validitate nisi apposita fuisset conditio sine qua non, dicendo, v. g.: *Dummodo sint revera tui parochiani.*

Dicit Gasparri (*n. 942*): « Licentia dari potest duplici modo. Primus « modus est: *Tibi liceat matrimonio horum sponsorum assistere, si ad te « spectet ex Tridentina lege, ut ego suppono, assistendi facultas.* Alter « modus est: *Tibi liceat matrimonio assistere horum sponsorum, quos « puto tuos esse parochianos.* Si primo modo haec licentia data fuit, pa- « rochus non proprius, ea non obstante, invalide assistit; si altero, valide; « sed in dubio hic alter modus propter favorem matrimonii semper praesumitur ». Hoc probatur ex decisione S. C. C. (*19 Sept. 1684*) apud Lambertini (*Notif. 88*) sequentis tenoris.

« Fulanus, et Bertha matrimonium inter se contracturi, statum suum « liberum probarunt apud acta curiae episcopalis, instantes subinde iuberi « parocho, ut ad trinam denunciationem procederet. Interrogati autem a « notario, quisnam esset eorum parochus, responderunt (per errorem tamen, « et citra contemptum clavium) esse parochum Sancti Demetrii, in cuius « parochia impridem habitaverant, sed tunc temporis non habitabant. « Peractis itaque a parocho Sancti Demetrii iuxta sibi traditam facultatem « denunciationibus, nulloque impedimento detecto, Ordinarius impertitus « est solitam licentiam per dictum notarium extensam sub hac verborum for- « mula: *Concediamo licenza al parroco di S. Demetrio di poter assistere « al matrimonio tra Fulano e Berta, ambedue della sua parrocchia.*

« Celebratum proinde fuit coram dicto parocho et testibus matri- « monium: sed post aliquod tempus Fulanus librum moralem casu legens « invenit, communem esse sententiam, quod ad matrimoniorum validitatem « requiritur praesentia parochi saltem unius ex contrahentibus; unde con- « sultis pluribus confessariis quid sibi agendum esset, suasus fuit ut una « simul cum Bertha consensum renovaret coram proprio parocho et testi-

« bus. At Fulanus, explorata Berthae voluntate, an casu, quo non esset « ipsius coniux, vellet sibi matrimonialiter copulari, responsum habuit « absolute negativum. Nihilominus habita nuper notitia, quod inter decla- « rationes desumptas ex bibliotheca praecl. mem. Cardinalis Bellarminii, « et typis impressas, ad caput primum sess. 24 de reform. matrimonii « extant infrascripta: — Item licet non proprius parochus, sed alius de con- « sensu Episcopi, intersit, matrimonium tenet, etiamsi Episcopus credat, « fuisse vocatum parochum —: spem aliquam validitatis matrimonii concepit: « sed ad omnem dubietatem removendam suppliciter instat declarari:

« An praefatum matrimonium inter ipsum, et Bertham contractum, « fuerit validum?

« Sacra Congregatio Concilii rescripsit affirmative ».

Rationem dat Fagnanus his verbis: « Concilium ad validitatem ma- « trimonii voluit sufficere, ut fieret coram sacerdote de licentia Episcopi, « etiamsi talis sacerdos non esset proprius parochus; nec requisivit Con- « cilium qua intentione, quove modo Episcopus daret talem licentiam..... « Ergo matrimonium est validum; pro quo etiam in dubio (post factum) « pronuntiandum est ».

XIII. In quibusdam magnis civitatibus, in quibus frequenter a multis domicilium mutatur, reperiuntur personae, quae in nulla paroecia sive civitatis sive dioecesis morantur tempore sufficienti ad quasi-domicilium acquirendum; attamen certe in dioecesi ipsa ad minus quasi-domicilium habent. Possetne Episcopus (ratione huius quasi-domicilii in dioecesi) concedere alicui parocho facultatem eorundem matrimonio assistendi, quamvis extra dioecesim proprium parochum habere possent? R. Si extra dioecesim, propriam parochiam atque adeo proprium parochum haberent, tunc dicta facultas invalide prorsus daretur, et domicilium in dioecesi nihil prodesset; Tridentinum enim loquitur de domicilio in paroecia, non vero in dioecesi. Si autem nullum alicubi domicilium haberent, atque adeo vagi essent, tunc valide et licite daretur facultas. Si denique (quod tamen est contra hypothesim) in aliqua civitatis vel dioecesis paroecia haberent domicilium aut quasi-domicilium, tunc Ordinarius valide quidem concederet facultatem, sed, praetermittendo proprium parochum absque causa, non licite. Enimvero ad quaesitum: *An Ordinarius parochis licentiam concedere possit assistendi matrimoniis eorum, qui diu in dioecesi versati sunt, sed in nulla paroecia domicilium vel quasi-domicilium acquisierunt?* S. C. S. O. (*9 Nov. 1898* apud *Monitore X.* II *210*) respondit: *Negative, nisi, diligenti inquisitione facta, constet eos, de quibus est quaestio,*

neque in civitate N. neque alibi, in nulla paroecia domicilium canonicum habere, sed esse vagos.

XIV. Aliquando evenit ut quis, nuptiis iam paratis et proclamationibus factis in sua paroecia, aliquo die ante celebrationem matrimonii transeat ad aliam paroeciam eiusdem dioecesis (v. g. in domo electa pro habitatione post matrimonium); et tunc bona fide celebret matrimonium ipsum coram parocho primi domicilii, eodem inscio discessus illius. Nunquid valide? Negative, ut iam alibi dixi; sed notandum quod Episcopus generali statuto edicere posset, ut matrimonia huiusmodi sint valida, delegando sic eosdem parochos, dummodo determinetur tempus, v. g. unius vel alterius mensis post discessum. Ita decrevit S. C. S. O. (*9 Nov. 1898* apud *Monitore l. c.*).

PUNCTUM IV.

De testibus, et quid exigatur ut parochus et testes testificandi officium sufficienter praestent.

984. Quoad **testes** exigitur et sufficit ut 1° sint duo; 2° usum rationis habeant; 3° assistant *una simul* cum parocho; 4° distinguant sponsos; 5° eorum consensum in matrimonium ecclesiasticum percipiant.

Non est de essentia ut verba audiant, quandoquidem etiam ex antecedentibus, proxime consequentibus et concomitantibus (v. g. porrectione manus, traditione anuli etc.) consensus intelligitur; unde parochus et testes surdi valide assistere possunt. Difficilius deservire posset caecus, nisi contrahentium vocem perspectam haberet.

985. Caeterum testificatio ista valde grosso modo apprehenditur. Scilicet 1° Non oportet ut testes sint omni exceptione maiores, imo nequidem exigitur ut sint fide digni, aut masculi, aut puberes, aut christiani, aut sponsorum familiae extranei, aut vocati ad hoc, aut non coacti etc. (Cf. Gasparri *n. 956*). 2° Non oportet ut cognoscant cuius nominis, cognominis et familiae sint contrahentes. (Pallottini v. *Matrim. § XV 431*). 3° Non oportet ut sponsos cognoscant de visu, aut illos (dum contrahunt) bene inspiciant, aut eorundem faciem videant etc.

Hoc patet ex praxi; parochi enim de hoc solum solliciti sunt ut testes intelligant consensum sponsorum, qui ab aliis separati in scamno nuptiali coram ipsis consensum ipsum exprimunt: unde non raro testes ipsi postea sponsos recognoscere nequirent, et nequidem sciunt hic et nunc quinam illi fuerint, etsi postea id cognoscere possent. Hinc etiam S. C. C. (apud Pallottini *l. c. 427-429*) validum declaravit matrimonium, etsi parochus sponsam nullatenus cognovisset, et solum sequenti die rescivisset quaenam illa fuerit. Ratio est quia ex una parte, si exigeretur testificatio magis exacta sub poena nullitatis, res esset practice nimis difficilis atque periculosa; et ex alia (non obstante imperfectione ista) finis legis satis obtinetur; matrimonia scilicet occulta non amplius celebrantur.

986. *Quid si* ***parochus,*** *deprehensus a sponsis clandestine contrahere volentibus, et reapse coram ipso consensum exprimentibus,* ***data opera nihil audire et videre procuraverit,*** *et reapse nihil audiverit et viderit?*

In hoc casu matrimonium valeret; quandoquidem ad quaesitum: « Si sacerdos adfuerit; nihil tamen eorum quae « agebantur vidit neque audivit, utrum tale matrimonium « valide contrahatur; vel potius, tamquam sine sacerdote, « nullius sit ponderis et momenti? » S. C. C. ad Episc. Giennense (*an. 1581*) respondit: « Non valere, si sacerdos « non intellexit; nisi tamen affectasset non intelligere »; nempe, nisi procurasset non intelligere.

Ita enimvero et non aliter hoc verbum interpretari debet, dicente Benedicto XIV: « Praedicta verba *nisi affectasset non intelligere*, de « casu accipienda esse, quo parochus invitus ad matrimonii contractum « adhibitus, ideo nec videt nec percipit, quia data opera neque videre vo- « luit, neque percipere; cum tamen et videre et percipere naturaliter « potuisset, eadem ratione qua (N. B.) testes ad eum ipsum actum adhibiti, « et vidisse se et percepisse fatentur ». Et de hoc hodie nullum superesse potest dubium, quia idem Pontifex, cum huiusce generis casus accidisset, declaravit standum esse pro validitate. (*De Syn. XIII.* xxiii *111*).

987. *Quid si contrahentes* ***nullam haberent intentionem adhibendi parochum,*** *sed ille sive casu sive ex industria adesset, dum (v. g. apud officialem civilem) contrahunt?*

Matrimonium non valeret; quandoquidem, proposito quaesito: « An sit matrimonium, si duo contrahant per « verba de praesenti, proprio parocho praesente et aliis « requisitis non omissis, cui contractui parochus formaliter « adhibitus non fuit; sed, dum forte convivii, vel confa- « bulationis, vel aliud tractandi causa adesset, audit huius- « modi contractum geri, et postea alter contrahentium

« velit ab huiusmodi contractu ratione defectus resilire? » S. Congregatio respondit: « Posse, nisi alia interveniant, « quae parochum a contrahentibus adhibitum fuisse ar- « guant ». Ita apud Benedictum XIV (*l. c. n. 5*). Ratio est quia ex mente Ecclesiae oportet ut parochus et testes testificari possint non de quocumque matrimonio, sed de matrimonio ecclesiastico; quod scilicet sponsi intentionem habuerint contrahendi coram parocho et testibus. Cf. Reiffenstuel (*Vol. IV tit. III n. 109*).

Difficultas esse posset si haec intentio fuisset quidem in contrahentibus; sed non in parocho et testibus, qui crediderint soli matrimonio civili assistere. At vero saltem oportebit ut, ex antecedentibus vel consequentibus de praedicta intentione sponsorum perficiendi etiam matrimonium ecclesiasticum, testari possent.

Certe (pro valido) praesentia quidem parochi, sed non praesidentia exigitur. *Monitore* (*XI 539*).

988. *Quid si parochus vel delegatus praesens esset, sed sponsa dumtaxat haberet intentionem celebrandi matrimonium coram ipso; non vero sponsus, qui v. g. illius praesentiam ne adverteret quidem?* Invalidum videretur matrimonium; quia inter baptizatos claudicare non potest; nequit scilicet ex una parte esse sacramentum et ex alia simplex contractus : sicut forsan esset si unus baptizatus et alter infidelis foret. (Ferraris v. *Matrim. ex aliena manu*).

CAPUT III.

DE IMPEDIMENTIS IMPEDIENTIBUS ET ALIIS REQUISITIS PRO LICITO.

989. Impedimenta impedientia reddunt matrimonium non equidem invalidum sed illicitum. Indicari solent versiculo sequenti.

Ecclesiae vetitum: tempus: sponsalia: votum.

Sed alia quoque addi debent, nempe *mixta religio;* vel si omitterentur *proclamationes* cum actibus praeviis, qui sunt *examen sponsorum* et *fides status liberi;* vel si, *vigente in loco matrimonio civili, non adimplerentur ea quae tunc ab Ecclesia praescribantur;* vel denique si matrimonium celebraretur quidem coram parocho et testibus, sed *claudestine*, scilicet parocho improvise deprehenso et proinde sine ritu ab Ecclesia praescripto.

Quae autem dici non solent impedimenta, sed nihilominus matrimonium illicitum reddunt, sunt, v. g. si *absque parentum consensu* (iuxta dicta *Vol. II n. 626*); vel cum *excommunicatione;* (*Vol. II n. 287*); vel in statu *peccati mortalis* (*ibi*); vel *inique decipiendo compartem* etc. nuptiae celebrarentur.

Haec sunt explicanda.

990. *Quid de* ***Ecclesiae vetito?***

I. Vetitum istud sumitur non pro eo quod fiat contra generales Ecclesiae leges (cuiusmodi hodie est lex ne matrimonium ante incoepta acta civilia celebretur), sed pro *speciali* prohibitione, qua matrimonium in hoc vel illo casu particulari, vel pro hac vel illa persona, sive a S. Sede (prout interdum fit a S. C. Congreg. permittendo v. g. alicui matrimonium cum corrupta sed non cum virgine), sive ab Episcopo, sive etiam a parocho interdicitur, vel (v. g. propter denunciationem alicuius impedimenti) suspenditur.

II. Imponitur et obligat (saltem ordinarie) *sub gravi.*

III. Intelligitur solum pro licito, nisi clausula irritans expresse ponatur, quae non ab Episcopo sed a S. Sede tantummodo poni potest.

IV. Interdictum ecclesiasticum, *quod habet rationem censurae,* matrimonia non impedit. Excipe interdictum personale, durante contumacia.

De his omnibus vide Ballerini (*Op. th. X 831. 838*).

991. *Quid de* ***tempore feriato?*** De hoc iam egi supra (*Vol. IV n. 128*).

992. *Quid de impedimento* ***sponsalia?*** Sub hoc impedimento comprehenditur quaevis obligatio stricta contrahendi matrimonium cum alia persona; quae obligatio ordinarie oritur ex sponsalibus veris et validis et non legitime dissolutis; sed oriri potest etiam ex promissione unilaterali acceptata, maxime vero ex stupro. Vide dicta (*Vol. III n. 370*).

Dixi *obligatio stricta;* aliae enim obligationes ex sola charitate vel pietate ortae conscientiam quidem ligare possunt, sed tamquam vera et canonica impedimenta (pro foro externo) non considerantur.

993. *Quid de impedimento* ***votum?*** Votum constituit impedimentum dirimens si sit solemne (ut vidimus supra *n. 938*); constituit vero impedimentum impediens si sit simplex.

Casus esset si quis castitatis, aut virginitatis, aut non nubendi aut recipiendi ordines sacros, aut ingrediendi religionem, votum emisisset.

Oportet autem ut de vero et valido voto (quod adhuc in suo robore persistat) agatur; prout supra (*Vol. II n. 491 et seqq.*) explicavi.

994. *Quid de impedimento* ***mixta religio?***

I. Intervenit si unus ex sponsis sit catholicus, alter vero haereticus aut schismaticus.

II. Haec matrimonia mixta interdum possent quoque esse invalida; idque accidit in sequentibus casibus.

1°) Si haereticus valide baptizatus non fuisset, ut supra (*n. 941*) dictum est.

2°) Si nuptiae celebrarentur sine parocho, in locis ubi decretum Tridentini, etiam quoad matrimonia sive haereticorum inter sese, sive mixta, servari debet.

3°) Si conditiones aut pacta, quae cum matrimonii validitate stare nequeunt; adiicerentur; ut puta, de matrimonio dissolvendo propter adulterium, prout apud Calvinistas usuvenit. (Bened. XIV *De Syn. XIII.* XXII *9*).

Aliqui censent, matrimonium esse quoque invalidum, si sponsi pactum educandi prolem in secta haeretica inirent; et quidem id verum esset si apponeretur conditio dissolvendi matrimonium, pacto non servato; sed, praescindendo ab hoc casu (qui non solet esse practicus), matrimonium valeret et pactum non teneret. Cf. Vecchiotti (*III n. 98*), et Ballerini (*ad n. 830 not. b*).

III. Quamvis autem non adessent hae circumstantiae, quae validitati obstarent, matrimonium inter personam catholicam et haereticam est gravissime illicitum, propter prohibitionem Ecclesiae multis vicibus repetitam; unde Benedictus XIV (Encycl. *Magnae nobis*) scripsit: « Semper « Apostolica Sedes catholicorum cum haereticis coniugia « reprobavit »; et postea subiunxit quod tale matrimonium inire *gravissimum scelus* est.

Ratio legis est quia, ut dicitur in eadem bulla, huiusmodi coniugia « plurimum deformitatis, nec parum spiritualis periculi praeseferunt ». Hinc non solum ecclesiastica, sed etiam naturali lege matrimonia ista interdicuntur; ita tamen ut, gravi subsistente necessitate (maxime ubi catholici sunt pauci et haeretici multi) ex una parte lex naturalis (cautelis adhibitis) non amplius urgeat, et ex alia (nisi iam Ecclesia generali legis suae derogatione illuc proviserit) dispensatio obtineri possit.

S. Lig. (*VI 56*) innuit, non exigi dispensationem si pars haeretica conversionis fundatam spem praebeat, et multo magis si illam promittat; sed, quum Bened. XIV contrarium decernat, huiusmodi opinio iam nunc teneri non potest.

995. *Quum hodie civitates (speciatim Italicae et Gallicae) plenae sint hominibus, qui dicuntur liberi cogitatores* (*it.* liberi pensatori), *aderitne impedimentum canonicum in matrimoniis cum ipsis contrahendis, ita ut dispensatio peti debeat?*

Hoc in puncto (si tamen res sit de illis qui *expresse* dicunt se non credere sacramento etc.) exigeretur licentia Episcopi.

De re ista habemus sequens S. C. S. O. decretum (*25 Maii 1897*): « « Si agatur de matrimonio inter unam partem catholicam et alteram quae « fidem abiecit, at nulli falsae religioni vel haereticae sectae sese adscri- « psit, quando parochus nullo modo potest huiusmodi matrimonium impe- « dire (ad quod totis viribus incumbere tenetur), et prudenter timet ne « ex denegata matrimonio adsistentia grave scandalum vel damnum oria- « tur; rem deferendam esse ad Episcopum, qui, sicut ei opportuna nunc « facultas tribuitur, inspectis omnibus casus adiunctis, permittere poterit « ut parochus matrimonio passive intersit tamquam testis *authorizabilis*, « dummodo cautum omnino sit catholicae educationi universae prolis aliis- « que similibus conditionibus ». Apud *Monitore* (*X. 11 3*), qui (*pag. 19*) adiicit declarationes, atque inter alia dicit 1° causam sufficientem esse si timeretur de matrimonio mere civili; 2° parochum assistere debere domi et sine ullo ritu. Addit 3° quod *forsan* exigitur ut Episcopus licentiam a S. Sede saltem habitualiter obtinuerit.

996. IV. *Loquendo de haereticis proprie dictis et* ***ex secta,*** *parochus quomodo se gerere debebit?*

Imprimis (saltem ordinarie) omnem curam adhibebit ut partem catholicam ab huiusmodi nuptiis contrahendis avertat; dispensatio enim conceditur quidem, sed aegre.

Si huiusmodi conatus nihil proficiant; tunc dispensatio peti debebit a C. S. Officii, vel (extra italiam) ab Episcopo; extra Italiam enim Episcopi hanc facultatem habere solent (non tamen quoad Italos illuc morantes, nisi italicum domicilium prorsus deseruerint. Cf. Vecchiotti *§ 98 in fin.*

Haec dispensatio sub quibusdam conditionibus concedi solet; nempe 1° ut non adsit proximum periculum perversionis seu delinquendi contra fidem (quod semper interveniret si maritus esse minister cultus, et uxor cogeretur scholam protestanticam tenere, aut maritus ipse liberum catholici cultus exercitium uxori relinquere nollet);

2° ut pars catholica promittat omnem curam adhibere ut coniux haeresim deserat; 3° ut uterque, aut saltem pars catholica (modus est varius pro variis temporum, locorum et personarum adiunctis) se obliget ad educandam universam prolem, absque ulla sexus distinctione, in religione catholica.

Si autem sponsi conditiones adimplere, aut dispensationem ipsam petere nolint, parochus eorum consensum excipere nequit, nisi forte ex improviso deprehendatur. Attamen quoad Russiam, Germaniam et Hungariam (propter speciales circumstantias et maxime propter periculum, ne, parochis catholicis derelictis, apud ministros haereticos matrimonia contrahantur) statutum fuit, ut parochi nihilominus (cum Episcopi licentia) assistere valeant. Sed haec licentia efficit quidem ut parochi illuc licite assistere, non vero ut sponsi licite contrahere possint. Vide documenta apud Vecchiotti et Ballerini (*ll. cc.*).

997. V. *Quid si contrahentes celebraverint, aut celebraturi sint matrimonium, etiam coram ministro haeretico?*

R. De hoc habemus instructionem C. S. Officii (*17 Febr. 1864*), in qua sequentia leguntur: « Urgentibus haereticis aut lege civili imperante, « non improbatur quod pars catholica una cum haeretica se sistat, ante vel « post contractum.... matrimonium, etiam coram ministro haeresi addicto « ad actum civilem dumtaxat explendum... Verum, quotiescumque minister « haereticus censetur veluti sacris addictus et quasi parochi munere fun- « gens, non licet catholicae parti una cum haeretica matrimonialem con- « sensum coram tali ministerio praestare, eo quod hic adhiberetur ad quam- « dam religiosam caeremoniam complendam..., unde oriretur quaedam im- « plicita haeresi adaesio, ac.... cum haereticis in divinis communicatio.... « Sciant parochi, si interrogentur a contrahentibus, vel si certe noverint « eos adituros ministrum haereticum..., se silere non posse, sed monere « eosdem debere sponsos de gravissimo peccato quod patrant, et de cen- « suris quas incurrunt. Veruntamen ad gravia praecavenda mala, si in « aliquo particulari casu parochus non fuerit interpellatus a sponsis, an « liceat tunc adire ministrum haereticum, et nulla fiat ab iisdem sponsis « explicita declaratio de adeundo ministro haeretico, praevideat tamen eos « forsan adituros ad matrimonialem renovandum consensum, ac insuper... « praevideat monitionem certo non fore profuturam imo nocituram..., tunc « sileat; remoto tamen scandalo et dummodo aliae ab Ecclesia requisitae « conditiones atque cautiones rite positae sint.... Quod si tandem consen- « sus coram parocho velit renovari, postquam praestitus iam fuerit coram « ministro haeretico, idque publice notum sit, vel ab ipsis sponsis paro- « cho notificetur, parochus huic matrimonio non intererit, nisi.... pars « catholica facti poenitens, praeviis salutaribus poenitentiis, absolutionem « a contractis censuris rite prius obtinuerit ».

An autem praedicta omnino damnata communicatio in divinis cum

haereticis, vere subsistat, si minister haereticus nullam caeremoniam adhibeat, sed dumtaxat sive domi, sive in aula consistoriali, sive in templo matrimonii bonum exitum adprecetur, et de coniugum officiis sermonem habeat; de hoc disputatur, et S. C. de Propaganda Fide interrogata in benignam partem inclinasse videtur, inquiens: « Difficile haud tibi erit « propositis dubiis occurrere, et conscientiarum tranquillitati consulere ». Cf. Vecchiotti (§ *98 in not.*).

998. VI. *Quid de ritu in matrimoniis mixtis?*

De regula ordinaria matrimonia mixta (quamvis dispensatio obtenta fuerit) sine praeviis publicationibus, extra quemlibet locum sacrum, sine ulla veste sacra, absque religiosis caeremoniis, et sine verbis: *ego vos coniungo* etc., celebrari debent. Postea tamen pars catholica missae *de die* (quae sit actus separatus) assistere et eucharistiam recipere posset. Interrogatio autem (*N. vis accipere N. hic praesentem in tuam legitimam uxorem iuxta leges Sanctae Matris Ecclesiae?*) expedit ut fiat, ne conditionibus, quas forte pars haeretica consensui apponere posset, aditus relinquatur.

Dixi *de regula ordinaria;* alicubi enim proclamationes (etiam in templo, nulla tamen facta mentione diversae religionis quam pars haeretica profitetur), et de proclamationibus peractis litterae testimoniales permittuntur. Imo alicubi permittitur etiam ut matrimonium in ecclesia (de licentia Episcopi, gravibusque motivis id suadentibus) et cum precibus iuxta rituale (attamen sine missa, quae caeremoniae continuatio et complementum videatur) celebretur. Cf. Vecchiotti (*§ 98*), Scavini (*IV 535*), Gury (*n. 829*) et *Avvisatore* (*X 567*).

999. *Quid de matrimonio, quod coram parocho quidem et testibus contrahatur, sed* ***clandestine?*** Est contra ritum, et certe graviter illicitum.

1000. *Quid de matrimonio, quod horis vespertinis* ***sine missa et benedictione nuptiali*** *contrahi velit?* Pluries decisum fuit quoad missae auditio, eucharistiae perceptio, et benedictio nuptialis non cadunt sub praecepto; et quod ad haec fideles non sunt cogendi, sed solum adhortandi ut copiosiores gratias divinas sibi concilient. Cf. Lemhkuhl (*II 694*) et Bucceroni (*n. 56*).

1001. *Quid de contrahente matrimonium cum* ***peccato mortali*** *vel* ***excommunicatione?***

I. Graviter peccat qui in peccato mortali degens, maxime vero excommunicatus, matrimonium contrahit. Qui in peccato mortali versatur debet prius in gratiam Dei se constituere saltem ope contritionis; ad confessionem enim (nisi illâ indigeat et eucharistiam sit sumpturus) stricte non tenetur.

II. Qui matrimonium contrahit cum peccatore vel excommunicato (etsi tolerato) peccat, ratione cooperationis. Practice tamen intercedere solent causae sufficientes, ut hoc licitum evadat.

III. Si alteruter ex contrahentibus sit excommunicatus, et speciatim si censura sit reservata, maxime vero si conditiones, quae exiguntur ab Ecclesia pro absolutione, non facile acceptari soleant; parochus tempestive, et antequam ad matrimonii publicationes procedat, curabit ut sponsus censura affectus ad absolutionem obtinendam se disponat.

Sed quid si illum disponere nequeat? Si casus esset occultus, matrimonio (non secus ac nihil obstaret) assistere deberet, iuxta omnes. Si vero casus esset publicus, tunc assistere nequiret, si absque malis consequentiis suam assistentiam denegare posset. At vero quandonam hae malae consequentiae aberunt? Quum omnia iam sint disposita, familiae gravissime turbarentur, contra parochum ira accenderentur, dicteria innumera fierent, matrimonii mere civilis magnum periculum provocaretur; et sic ex denegatione mala maiora quaquaversus sequerentur. In praxi itaque distinctio inter casum occultum et publicum (saltem hodie et apud nos) difficile locum habere potest; multo magis quia supponimus unam partem esse innocentem. Curandum tamen (pro casu publicae obstinationis in censura) ut matrimonium *sine missae celebratione*, et prius consulto Episcopo, celebretur. Vide responsum S. Poenitentiariae *De Occasionariis* (*n. 120*). Idem dic a fortiori si non de excommunicatione, sed solum de peccato ageretur.

Quamvis autem bonis modis curandum sit (si prudenter fieri possit) ut contrahentes confessionem matrimonio praemittant; tamen male se gerunt illi parochi,

quì (seclusa lege synodali) absolute recusant matrimonio assistere, nisi sponsi confessionem faciant, aut confessionis peractae testimonium praebeant. Berengo (*n. 126*).

Quomodo denique se gerere possit vel debeat confessarius si perspiceret quod sponsi peccata mortalia reticerent, vide supra dicta *n. 382*.

1002. *An matrimonium possit esse illicitum 1° propter deceptiones, fingendo dotes et bona quae non existunt; 2° propter aliquem morbum, qui matrimonium ipsum valde periculosum et noxium reddat; 3° quia defectus occulti reticeantur aut denegentur?*

Ad I. Affirmative, si, non de consuetis et parvi momenti fictionibus, sed de vero dolo agatur, qui causam contractui praebeat.

Ad II. Affirmative; ut puta, si quis vel 1° lue venerea incurabiliter laboraret (Cf. *Vol. III n. 613*); tunc enim nedum uxorem sed etiam prolem (serius ocyus miserabiliter morituram) inficeret; vel 2° propter vitium organicum cordis vel alium morbum, iudicio medicorum, actu primae vel secundae copulae mori posset (Capellmann *De matr. c*); vel 3° in genitalibus esset ita male affectus, ut a meretricibus quoque respueretur eiusque matrimonii usus mortem miserae uxori allaturus esset.

Ad III. Distinguendum est inter occultationem (quae ut plurimum licet), et denegationem (quae facilius illicita est). Me explico.

Difficile quis *non interrogatus* suos defectus revelare tenetur, nec profecto in contractibus matrimonialibus consuetudo est ut defectus (qui forte in aliis contractibus patefieri deberent) manifestentur. Poterit quidem defectus esse talis ac tantus ut a nuptiis abstinendum sit (ut modo dicebam); sed suos defectus manifestare difficile (repeto) quis tenebitur. Theologi communius dicunt revelandos esse defectus qui nuptias noxias efficerent (ut puta, si vir lue venerea laboraret, aut puella ex alio gravida esset); non vero defectus qui nuptias minus appetibiles dumtaxat redderent (ut puta, si mulier reputaretur virgo sana, iunior, dives, nobilis; et esset corrupta, aut vidua, aut malefirmae salutis, aut aetate provectior, aut pauper,

aut plebeia etc.). Cf. Sporer (*n. 286*), Salmant, (*n. 99*). Croix (*n. 183 el 467*), Tamburini (*Dec. VII.* v *6*), S. Lig. (*n. 864*) etc.

Sanchez autem (*VI.* xxvii *9 et 1.* lxviii *8*), nulla facta distinctione, censet (seposita interrogatione) *ex iustitia* nihil unquam (quamvis de lue venerea ageretur) esse revelandum (quod mihi verum non videtur). Admittit tamen, posse accidere quod quis ex charitate vel a nuptiis abstinere (durante defectu), vel rem manifestare debeat ne matrimonium infelicissimum exitum habiturum sit. Sanchezio Trullench. Dicastill. Hurtado aliique adhaerent.

Si vero *interrogetur*, subdistinguere oportet. Si agatur de defectu non probroso (ut puta, si mulier interrogaretur an sit celebs an vero vidua; vel de aetate, dote, familia etc.), tunc ex iustitia sincere respondendum est; in negotio enim adeo momentoso sponsus ius habet verum rei statum cognoscendi, unde, si mulier mendaciter responderet, a gravi dolo excusari nequiret; et, si dolus causam contractui daret, per veram iniuriam sponsum ad matrimonium adduceret. Si e contra ageretur de defectu sive ex occulto delicto proveniente sive utcumque probroso (v. g. an sit virgo, an sit apta ad concipiendam prolem, ad lactandum etc.): tunc ius ad sinceram responsionem (propter periculum non solum ne sponsus, re audita, illam derelinquat, sed etiam ne secretum divulgetur, atque ita infamia et damna subsequantur) difficile dabitur; unde scripsit S. Lig. (*n. 865*): « Sponsa ab alio corrupta, po-« terit dissimulare et negare per restrictionem non pure « mentalem, respondendo non esse corruptam, subintelli-« gendo: in communi aestimatione aut ad aperiendum « tibi ». Caeterum (repeto) contingere potest quod, loco manifestandi secretum, aliquo praetextu matrimonium illud, ex quo malae consequentiae (propter illum occultum defectum) praevideantur, declinari debeat.

Vide dicta in *Vol. III n. 609 et seqq.* ubi de merce vitiata.

CAPUT IV.

DE BANNIS SEU PROCLAMATIONIBUS, DE EXAMINE SPONSORUM, DE FIDE STATUS LIBERI, ET DE MATRIMONIO CONSCIENTIAE.

1003. ***Proclamationes*** *cur exiguntur et in quo consistant?*

Exiguntur ad impediendum ne quis iam alio matrimonio ligatus, aliisve impedimentis detentus, aut insciis parentibus, nuptias contrahat.

In quo consistant, patet ex Tridentino (*XXIV.* 1) dicente : « Antequam matrimonium contrahatur, ter a « proprio contrahentium parocho, tribus continuis diebus « festivis, in ecclesia inter missarum solemnia publice « denuntietur, inter quos matrimonium sit contrahendum »,

1004. *Explica verba :* ***A proprio contrahentium parocho?*** 1° « Si vir et mulier parochiae sint diversae, « in utraque parochia fiant denuntiationes » (*Rituale*). 2° Proprius parochus intelligitur ille, in cuius paroecia sponsi, ut veri parochiani, habitant tempore quo matrimonium celebrare volunt. 3° Pro casibus domicilii simul et quasi-domicilii ; aut si nupturiensis a brevissimo tempore in paroeciam venisset: consuetudinibus et legibus dioecesanis stare oportebit.

1005. *Explica verba :* ***Tribus continuis diebus festivis?***

I. In festis suppressis quoque fieri possunt proclamationes ; sed dummodo frequens populus ad missam concurrere soleat, et sic scopus a Concilio intentus obtineri possit. Cf. plures S. C. C. decisiones apud Vecchiotti (*§ 71*).

II. In diebus ferialibus, qui a populo ex devotione tamquam festivi celebrantur fieri nequeunt proclamationes, nisi pro aliquo casu particulari ex causa rationabili et de licentia Episcopi. Vecchiotti (*l. c.*).

III. Alicubi consuetudo est ut, si forte occurrat dies festivus infra hebdomadam, liceat illum praeterire peragendo proclamationes solis diebus dominicis ; imo alicubi

dioecesanae leges iubent, ut dies festus sine proclamationibus relinquatur, si forte die immediate antecedenti proclamationes factae fuissent. Parochi itaque propriae dioecesis consuetudinibus vel legibus se conformabunt.

Certe tamen a peccato veniali excusari nequiret parochus, qui, postquam fecerit primam proclamationem, v. g. die dominica, sequentem diem dominicam praeteriret quin adhuc secundam perageret. Scavini (*III 809*).

IV. Proclamationes possunt fieri etiam tempore pro nuptiis vetito; sufficit enim ut nuptiarum celebratio ad tempus licitum differatur.

V. Quoad gradum culpae in omissione proclamationum, sic dicendum est.

Unius proclamationis omissio peccatum veniale non excedit.

Idem dicunt Salmanticentes de duabus. Ego dicerem perpendendas esse circumstantias, et speciatim 1° qua de causa omittantur; 2° utrum alicuius impedimenti timor adsit; 3° an populus admonitus fuerit proclamationem illam esse ultimam; 4° praecipue vero an inter talem proclamationem et matrimonii celebrationem intervallum decurrat. Cf. S. Lig. (*VI 990*).

Omittere autem proclamationes ex toto (intellige semper seclusa dispensatione expressa aut saltem legitime praesumpta) certe peccatum mortale est.

VI. In locis ubi Conc. Trid. publicatum non fuit, servabitur dioecesis consuetudo. Attamen unica saltem publicatio ubique exigitur. *Cap. finali de cland. despons.*

1006. *Explica verba:* ***In ecclesia inter missarum solemnia?***

I. Haec significant in missa parochiali. S. C. Concilii apud Scavini (*n. 809*).

II. Si parochus oblitus fuisset; tunc fieri poterunt in alia missa (supposito semper populi concursu); aut etiam post meridiem occasione benedictionis, vel concionis, vel processionis etc.

1007. *Quid* ***de dispensatione a proclamationibus?***

I. Episcopi eorumque vicarii generales habent facultatem ordinariam (quam aliis delegare possunt) dispensandi a publicationibus.

Attamen causae legitimae exiguntur; cuiusmodi essent non solum si ageretur de periculo mortis; aut de matrimonii iam contracti revalidatione; aut si qui de facto concubinarii sunt, coniuges legitimi reputarentur; aut si iustis de causis matrimonium secretum (vulgo conscientiae), iuxta mox dicenda (*n. 1017*) celebrandum esset. Idem dic si sponsa iam gravida foret, et timeretur ne sponsus voluntatem mutaturus esset; vel si sponsi parati essent ad matrimonium civile statim nullaque interiecta mora contrahendum; et multo magis si publicationibus non consentirent, et timeri deberet, ne, si fierent, civiliter dumtaxat et non ecclesiastice nuberent; vel si sponsus ad longinquas regiones statim profecturus esset; vel si timendum foret ne parentes matrimonium inique impedituri essent; vel si ageretur de Regibus et Principibus quorum matrimonia in ecclesia publicari non soleant; vel si ex una parte tempus sive quadragesimae sive adventus immineret et ex alia periculum incontinentiae aut aliud grave motivum suaderet, ne diu matrimonium differatur; denique si sponsi valde senes, aut sive aetate sive conditione valde dispares essent, unde publicationes risum et dicteria provocarent.

In praxi parochus, dispensationem implorando, causam exponat simulque, an alicuius impedimenti timor adsit vel non adsit, Episcopum certiorem faciat.

Episcopus autem dispensare poterit ab una proclamatione ex causa non adeo gravi, a duabus ex causa absolute gravi, ab omnibus vero solum ex causa gravissima.

II. Si Ordinarius adiri nequiret, et motiva essent adeo gravia ut Episcopus dispensationem omnino concedere teneretur; tunc dispensatio praesumpta sufficeret, et parochus assistere posset, imo deberet. S. Lig. (*VI 1007*).

Aliqui censent, parochum assistere posse etiam casu quo Episcopus iniuste renuisset; nec ad altiorem superiorem recurrendi tempus adesset. Sed haec opinio mihi videtur subversiva et practice non admittenda, nisi forte Episcopus iam aliis vicibus de imprudenti severitate convictus fuisset, aut alienationis mentalis signa dedisset.

1008. *Quid de* ***obligatione denuntiandi impedimenta*** *a parte Christifidelium?*

I. Haec obligatio respicit sola impedimenta veri nominis, sive dirimentia sint, sive impedientia.

II. Obligatio denunciandi impedimenta subsisteret quamvis publicationes praetermissae fuissent, et quidem sub gravi eodem modo. Sanchez (*III.* XIII *2*) et Scavini (*n. 812*).

III. Contingere possent causae quae a denunciandis impedimentis excusent, cuiusmodi essent 1° Si denunciatio propter secretum esset illicita. 2° Si esset inutilis. 3° Si absque gravi incommodo fieri nequiret. S. Lig. (*VI 995*).

1009. *Quale* ***secretum*** *impedimentorum denunciationi obstaret?*

Secretum, quod consilii vel auxilii petendi causa commissum fuerit (prout accidit in medicis, obstetricibus etc.), Scavini (*n. 812*) et Berengo (*n. 132*) contra alios.

Certe solum secretum naturale aut morae confidentiae, etsi promissum et iuratum, ab hac obligatione non eximit. S. Lig. (*n. 994*).

1010. *Quandonam denuntiatio censeri* ***inutilis,*** *et ex hoc capite omitti poterit?* 1° Si testis de visu iam denuntiasset (tunc enim testis de fama ad nihil teneretur). 2° Si dispensatio iam petita fuisset. 3° Si sponsi admoniti, iam a matrimonio abstinere essent parati. 4° Si matrimonium iam contractum fuisset. 5° Si denuntiatio ad nihil (et nequidem ad indagandum) deservire posset; ut puta, si ex una parte de re suapte natura occulta ageretur (prout accidere potest in impedimento affinitatis ex copula illicita), et ex alia solum notitia vaga, incerta et ad modum suspectus, vel a personis ignotis aut levibus, habita fuisset. Cf. S. Lig. (*n. 994*), Scavini (*n. 812*) et Sanchez (*III.* XIII *7*).

1011. *Explica quando* ***ex gravi incommodo*** *denunciationis obligatio cessaret?* Exemplum esset, si ex facto infamanti (v. g. fornicatione, adulterio etc.) sive proprio, sive proximorum consanguineorum, impedimentum ortum fuisset. Scavini (*l. c.*).

1012. *Quid si, publicationibus peractis,* ***nullum detectum fuisset impedimentum?*** Tunc parochus sponsi de hac re litteras testimoniales mittere debet ad

parochum sponsae, qui, illis habitis (et non antea), matrimonio assistere poterit. Et notandum quod inter ultimam publicationem et matrimonii celebrationem ad minus una dies intercedere debet, ut, si quis aliquod impedimentum denunciare debeat, id praestare possit. Scavini (*n. 810*).

1013. *Quid si matrimonium* ***diu differatur?*** Rituale dicit: « Si infra duos menses post factas denuncia-« tiones matrimonium non contrahatur, denunciationes re-« petantur, nisi aliter Episcopo videatur ».

1014. *Quid si aliquod* ***impedimentum denuntietur?*** Parochus illud ad Episcopum statim deferre debet; idque quamvis dubium, falsum vel calumniosum ei videretur; iudicium enim non ad parochum, sed ad Episcopum spectat. Vecchiotti (*§ 71*).

1015. *Quid si, nemine denuntiante, parochus ipse alicuius impedimenti notitiam haberet?* Illud Episcopo denuntiare teneretur; dummodo illud cognoscat non ex sola confessione, aut sponsorum ipsorum secreto commisso, eo quod de re occulta (quae sine infamia revelari nequeat), aut de voto occulte emisso, agatur; quibus in casibus per se ipsum dispensationem procurare deberet.

1016. *Quid de* ***examine sponsorum et de fide status liberi?*** Quoad res istas remitto lectorem ad *Theol. pastor.* (*Ed. III n. 304-309*). Hic solum noto quod in casu impossibilitatis inquirendi de statu libero, et necessitatis contrahendi matrimonium absque mora (prout in periculo mortis contingere posset); tunc praecipi deberet ut coniuges non cohabitent, donec eiusdem status liberi fides obtenta fuerit. Lambertini (*Notif. XXIII 13*).

1017. *Quid de* ***matrimonio conscientiae?***

I. Matrimonium *conscientiae* celebratur non solum omissis publicationibus, sed etiam ita occulte, ut parochus et testes ad arctissimum secretum perpetuo teneantur, et adnotatio celebrati matrimonii fiat non in libro consueto, sed in alio apud curiam episcopalem asservato sigillisque munito.

II. Sine licentia Episcopi, nullum matrimonium hoc modo celebrare licet. Episcopus autem potest quidem hanc licentiam concedere (ex bulla *Satis vobis* Benedicti XIV),

sed solum ex causa gravissima et urgentissima, omnibusque circumstantiis, diligenter perpensis, et magnis cautelis adhibitis, ne matrimonia huiusmodi luctuosos effectus habitura sint.

III. Causae gravissimae essent 1° si vir et foemina ex dissitis regionibus venissent, et iamdiu in loco tamquam legitimi coniuges reputarentur; 2° si (stante concubinatu occulto vel periculo incontinentiae), vir esset dives et nobilis, mulier vero pauper et obscurae familiae; unde, si matrimonium notorie celebraretur, dedecus viro ipsi inureretur, et dicteria, molestiae, discordiae familiares etc. sequerentur. (Bened. XIV *De Syn. XIII.* XXIII *12*).

IV. Cautelae autem adhibendae consistunt praecipue 1° in habenda certitudine de statu libero utriusque coniugis; 2° in considerando ne forte timendum sit de divortio, et speciatim de celebratione matrimonii civilis (ne dicam etiam ecclesiastici) cum alia; 3° in habenda ratione scandali, aut periculi ne occulti coniuges prolem impediturі, aut necaturi, aut ad brephotrophium sic et simpliciter missuri sint; quae omnia ordinarie plus vel minus essent timenda, si de iuvenibus (maxime discolis) res esset. Videndum etiam 4° an agatur de filiis familias. qui contra parentum iuste dissentientium voluntatem huiusmodi nuptias contrahere velint. Videndum 5° ne res sit de beneficiato, qui clam contrahat ne beneficium amittat. Denique 6° in quovis casu admonendi sunt occulti coniuges de obligatione denunciandi Episcopo prolem (si forte illam suscepturi erunt) *intra mensem* a die nativitatis, ut illius legitimitati consultum sit: quod nisi fieret, aut si aliquid contra matrimonii unitatem attentaretur, matrimonium ipsum revelaretur. Cf. bullam citatam Benedicti XIV et Vecchiotti (*III.* XIII *83*).

CAPUT V.

DE DISPENSATIONIBUS.

N. B. De hoc argomento latius egi in *Theologia pastorali (n. 340 et sqq.)*. Nihilominus hic aliqua magis necessaria expono et superaddo.

ARTICULUS I.

De auctore dispensationis.

1018. I. **Romanus Pontifex** nequit dispensare in impedimentis iuris naturalis, aut positivi divini; et nunquam dispensat in impedimentis de quibus controvertitur an sint iuris naturalis. Excipe aliquem casum, in quo a Deo ipso ei data est facultas v. g. quoad votum, matrimonium ratum, et sponsalia, de quibus recole supra dicta (*n. 841*).

Quoad impedimenta autem iuris ecclesiastici, in aliquibus nunquam, in aliis raro et difficile, et in aliis saepe et facile dispensat. Cf. Génicot (*n. 621*).

Iuxta casuum diversitatem modo per Datariam, modo (pro foro conscientiae tantum vel pro pauperibus) per Sacram Poenitentiariam, interdum per S. Inquisitionem, et denique quoad loca Missionum, per S. C. de Prop. Fide, dispensat.

1019. II. **Episcopi** dispensare possunt in sequentibus casibus.

1°) A voto simplici (dummodo non sit votum absolutum perpetuae castitatis aut religionis strictae dictae).

2°) A publicationibus.

3°) Ab impedimentis iuris ecclesiastici dubiis dubio facti iuxta S. Lig. *n. 902*; sed in praxi recurrendum est ad S. Sedem saltem ad cautelam. S. C. C. apud Scavini (*III 911*). De dubiis dubio iuris (sive positivi sive naturalis), vide dicta supra (*n. 846*).

4°) In casu urgentissimae necessitatis simulque occulto dum omnia iam sunt parata, iuxta supra dicta (*n. 849*).

An autem haec facultas tunc extendi valeat etiam ad impedimenta publica, rationes pro parte affirmativa videri possunt *De Occasionariis* (*n. 134-145*) et apud Génicot (*n. 523*); et pro negativa apud *Monitore* (*Vol. XII pag. 16*).

5º) Episcopi pro eodem casu occulto (atque adeo solum pro conscientia) dispensare valent etiam postquam matrimonium invalide contractum fuerit (urgente scilicet necessitate propter periculum incontinentiae). Vide *Monitore* (*Vol. XII 31*).

N. B. Facultas, quae pro praedictis casibus iam competit Episcopis iure ordinario iuxta doctrinas theologorum; eisdem competere solet etiam iure delegato (prout sequitur).

Haec autem expressa delegatio nedum pristinam facultatem nedum confirmat, sed etiam eiusdem extensionem et modum determinat.

6º) Iure itaque delegato (prout reperitur in pagella casuum S. Poenitentiariae) ad quinquennium (apud nos) Episcopi habere solent facultatem dispensandi ab impedimentis occultis affinitatis ex copula illicita et criminis (sine coniugicidio), si matrimonium iam fuerit contractum, vel etiam (cum facultate subdelegandi, etiam habitualiter, parochis et curatis) antequam contrahatur in dicto casu urgenti, et cum conditionibus iam communissime notis (Cf. *De Recidivis Edit. V. pag. 263. 254* et *Monitore Vol. XIII 494*).

7º) Per litteras encyclicas S. C. S. O. (*20 Febr. 1888*) hodie Ordinarii pro gratia habent facultatem, qua « dispen-
« sare valeant, sive per se sive per ecclesiasticam perso-
« nam sibi benevisam, concubinarios vel civiliter tantum-
« modo coniunctos, in gravissimo mortis periculo consti-
« tutos, quando non suppetit tempus recurrendi ad S.
« Sedem, super impedimentis, *quantumvis publicis*, ma-
« trimonium iure ecclesiastico dirimentibus, excepto sacro
« presbyteratus ordine, et affinitate lineae rectae ex co-
« pula licita proveniente ».

Circa facultatem istam (utique hodie valde momentosam) notari debent sequentia.

Ordinarii, quibus memorata facultas data fuit, possunt illam subdelegare *habitualiter* parochis et curatis tantum (non vero vice-parochis); et solum pro casibus in quibus desit tempus ad ipsos Ordinarios recurrendi et periculum sit in mora. S. C. S. O. (*9 Ian. 1889 l. c.*).

Haec facultas (quae respicit impedimenta dirimentia) ad impedimentum impediens mixtae religionis, vi huius decreti, non extenditur. S. C. S. O. (*18 Mart. 1891*) apud Coll. P. F. *n. 2188*).

Dixi *vi huius decreti:* Génicot enim (*n. 524. 4. 6*) dicit, esse valde probabile quod ex alio capite Episcopi eandem facultatem habeant.

Item locum non haberet si moribundus neque concubinarius neque civiliter tantummodo coniunctus foret. S. C. S. O. (*22 Sept. 1890* apud *Monitore VII.* 1 *220*).

Sufficeret tamen ut aegrotaret alteruter, etiamsi impedimentum partem sanam directe afficeret, v. g. aegrotante puella quacum Diaconus in concubinatu viveret. S. C. S. O. (*1 Iul. 1891* Coll. P. F. *n. 1476*).

Dicta facultas *extenditur etiam ad impedimentum clandestinitatis*, adeo ut v. g. parochus ab Episcopo habitualiter delegatus, possit in sua paroecia vel coniungere etiam non parochianos inibi casu degentes (dispensando a praesentia parochi proprii, si ad illum nullo modo posset haberi recursus); vel coniungere parochianos sine testibus, quando omnino non adessent qui testium munere fungi possent. S. C. S. O. (*13 Dec. 1899* apud *Monit. Vol. XI pag. 481*).

8°) Facultas dispensandi a S. Sede concessa pro hoc vel illo casu particulari (1) transit ad successorem in officio, sive Ordinarius ad quem directa fuit illam exequi incoepisset, sive non. Insuper dispensatio executioni mandari potest quamvis sponsi ad aliam dioecesim migrassent ibique domicilium constituissent. Adde quod potest etiam alteri Ordinario committi. S. C. S. O (*30 Feb. 1888* apud Bucceroni *Enchir. n. 861*).

9°) Episcopi in dispensationibus concedendis sequi debent praxim S. Sedis circa causas, conditiones, et modum dispensandi. Cf. S. C. P. F. (*9 Maii 1877* apud Collect. *n. 1482*). Si autem dispensarent sine causa iure delegato, dispensatio nedum illicita, sed etiam (secus ac in dispensantibus in lege propria) invalida foret.

(1) Aliud esset de facultatibus concessis in genere, vel pro determinato casuum numero, quae certe sunt personales, atque adeo per mortem indultarii cessant. Génicot (*n 523*).

10°) Episcopi nequeunt dispensare quando plura impedimenta in eodem casu cumulantur (nisi id eis expresse concedatur): et si impedimentum, a quo dispensare possent Episcopi, concurreret cum alio, utrumque ad S. Sedem deferendum esset.

11°) Saepe apponitur clausula: « Nec illis facultatibus ullo modo uti possit Episcopus extra fines suae « dioecesis »; idque significat oportere, ut subditus dispensandus in dioecesi commoretur; non vero quod Episcopus ipse in dioecesi esse debeat. S. C. S. O. (*3 Maii 1877* apud Génicot *n. 523*).

12°) Sufficit autem si ex nupturientibus alteruter sit eiusdem subditus aut vagus. Excipe nisi impedimentum esset ex iis quae ex una tantum parte se tenent, ut votum vel ordo sacer, et personam non dioecesanam afficeret. (*l. c.*).

ARTICULUS II.

De causis dispensationis.

1020. *Quot et quaenam sunt causae iustae, ut dispensatio concedi possit?*

I. **Si foemina in magno periculo versaretur innupta remanendi, aut nubendi solum cum viro disparis conditionis.** Ex hoc capite causae legitimae sunt

1°) *Angustia loci* sive absoluta sive relativa (attamen ratione foeminae tantum), quando scilicet in loco originis vel etiam domicilii cognatio foeminae ita sit propagata, ut alium paris conditionis, cui nubat, invenire nequeat, nisi consanguineum vel affinem; patriam vero deserere sit ei durum.

Casus verificari potest in familiis nobilibus aut honestioris conditionis. Locus censetur angustus si in ipso non plus quam 300 familiae aut 1500 personae inhabitent (quamvis alia parva oppidula essent vicina); non vero si agatur de suburbio a quo civitas non ultra milliare distet.

2°) *Aetas foeminae (non viduae) superadulta,* si nempe 24 aetatis annum iam egressa hactenus virum paris conditionis, cui nubere possit, non invenerit.

Non inquiritur cur non invenerit. Si tamen ex mera morositate optimas occasiones respuisset, dicunt, id in supplicatione exprimi debere. Cf. D'Annibale (*III 401*).

3°) *Deficientia aut incompetentia dotis;* si nempe foemina non habeat *acta* tantam dotem, ut viro aequalis conditionis, qui neque consanguineus neque affinis sit, nubere possit (N. B.) in proprio loco ubi commoratur.

4°) *Infamia mulieris* ex suspicione orta, quod illa, cum suo consanguineo aut affini nimis familiaris, cognita fuerit ab eodem, licet suspicio esset falsa.

St tamen mulier (prout contingers potest in plebeis) non obstantibus his suspectibus, fere aeque nuberet, tunc haec causa (pro gradibus propinquioribus) non valeret.

5°) *Copula et praegnantia, ideoque legitimatio prolis:* idque quamvis copula ista patrata fuisset ex intentione obtinendi facilius dispensationem.

Haec circumstantia non ita pridem in supplicatione erat (et quidem pro valido) exprimenda; sed nunc non amplius id exprimere oportet, ut ex Decr. S. C. S. O. (*18 Maii 1891* apud Collect. P. F. *n. 1500*) manifeste patet.

II. **Periculum incontinentiae,** prout contingere potest in sequentibus casibus.

1°) *Propter nimiam et periculosam familiaritatem,* nec non *propter cohabitationem* sub eodem tecto, quae facile impediri non possit.

2°) *Si ageretur de vidua adhuc iuveni,* quae non facile alteri nubere posset.

III. **Remotio gravium scandalorum:** si nempe dispensatio necessaria esset ob causas sequentes.

1°) *Ad avertendum periculum publici concubinatus,* vel ad concubinatum iam subsistentem e medio tollendum.

2°) *Ad avertendum periculum matrimonii mere civilis,* et a fortiori si istud iam contractum fuisset.

3° *Ad avertendam periculum matrimonii mixti,* aut coram acatholico ministro celebrandi.

4°) *Ad impediendas graves rixas,* vel ad pacem magni momenti iam initam confirmandam.

IV. **Graves necessitates temporales.** Casus essent sequentes.

1°) *Paupertas viduae,* quae numerosa prole sit onusta, et vir eam alere polliceatur.

2°) *Necessitas auxilii,* quatenus mulier tali viro indigeat ad recuperanda bona sua magni momenti; maxime vero si ageretur de magna lite etc.

3°) *Periculum vitae,* quod practice ingruere potest viro, nisi ad foeminam ducendam (quam forte gravidam reddidit) se efferret.

V. **Excellentia meritorum** erga Ecclesiam. Casus essent sequentes.

1°) Si quis virtute, doctrina, liberalitate, aliove modo de religione esset optime meritus.

Allegari possunt etiam merita eiusdem parentum aut progenitorum.

2°) *Largior eleemosyna,* quae dicitur *componenda;* et appellatur etiam *causa sine causa,* quia aliarum causarum defectum supplet, et in rescripto apostolico exprimitur illis verbis: *Ex certis et rationabilibus causis.*

Dicta eleemosyna solvitur ab oratoribus ad piam causam; sed notandum quod habet locum solum in dispensationibus quae a Dataria, non vero in illis quae a Poenitentiaria vel ab Episcopo conceduntur. Génicot (*n. 525 in fin.*).

1021. Causae recensitae non sunt omnes eiusdem ponderis, uti patet; nec quaelibet sufficit pro quolibet casu.

Causae gravissimae et urgentissimae reputantur periculum matrimonii civilis aut contrahendi coram ministro acatholico; item periculum vitae; denique copula cum praegnantia et necessitate legitimandi prolem. Hae causae etiam pro gradibus propinquioribus sufficere solent. Idem dic si ex aliis causis non una sed plures concurrerent.

Pro impedimentis remotioribus vel minoris momenti (v. g. cognationis spiritualis) causae adhuc minores sufficere videntur de stylo.

1022. Ad obtinendam dispensationem *pro voto castitatis perpetuae* non semper exigitur periculum incontinentiae; sed (ut certe mihi constat) sufficere potest si foemina iam superadulta ex una parte voti emissi commutationem desideret, et ex alia motivis satis gravibus (quamvis sint solum temporalia, v. g. ad sustentationem vitae valde meliori modo sibi comparandam) matrimonium inire cupiat.

Si mulier voto castitatis ligata nubere vellet cum consanguineo; tunc causa, quae sufficeret ut dispensetur a voto, non semper sufficeret ut dispensetur etiam ab impedimento consanguinitatis; quae enim, v. g. ob periculum incontinentiae indiget ut a voto liberetur; non ideo indiget etiam ut consanguineo nubat; et proinde alia causa insuper exigi posset.

ARTICULUS III.

De modo petendi dispensationes.

1023. I. Pro **foro externo** (ut supra innuebam) ad Datariam, vel (in forma pauperum) ad Poenitentiariam, vel (in quibusdam casibus v. g. disparitatis cultus aut mixtae religionis) ad S. C. S. O., recurrendum est. Ordinarie deservit cancellaria episcopalis; cuius officiales formularia habent; et solum (si sint laici) cavendum ne, ex legum ignorantia, aliquod adhibeant formularium aptum quidem ad favorabile rescriptum obtinendum, sed continens causas quae in casu nullatenus subsistant, unde dispensatio obtineretur quidem sed invalide prorsus.

In quadam dioecesi parochus indigebat dispensatione pro quodam matrimonio; sed monuit cancellarium nullam adesse causam canonicam. Respondit cancellarius: Hoc nihil obstat; ego enim habeo formularia infallibilia, quae gratiam semper obtinent.

II. Pro **foro interno** recurrere oportet ad Poenitentiariam, tacitis nominibus nupturientium. Saepe etiam contingit quod (pro casu partim publico et partim occulto) tam ad Datariam quam ad Poenitentiariam recurrere oporteat. Sed de rebus istis, quantum satis pro praxi, egi in *Theologia Pastorali* (*Ed. III n. 345 et seqq.*).

ARTICULUS IV.

Quibus de causis dispensatio possit esse invalida.

1024. I. Posset esse invalida **ex vitio precum;** quod contingeret si in ipsis *subreptio* (dicendo falsum seu exponendo motiva quae non subsistant); vel *obreptio* (reticendo verum, seu non exponendo illa quae de stylo exponi debuissent). Sed hoc in puncto explicationes necessariae sunt, quas exposui in praedicto opere (*Theol. Pastor. n. 346 et seqq.*).

II. Posset insuper esse invalida **ex mala applicatione dispensationis**, et praecipue non observando clausulas quae in rescripto apponuntur, si sint de illis quae pro valido esse censentur. Ad hoc distinguendum, explicationes vide in eodem opere (*n. 358 et seqq.*).

ARTICULUS V.

De executione dispensationis.

1025. ***A quonam et quomodo*** *dispensationes ad executionem deduci, seu (ut aiunt) fulminari debent?* Hoc in puncto pro praxi sufficiunt sequentia.

I. Dispensationes quae conceduntur a S. Sede solent esse *in forma commissoria*; unde dispensatio, ex delegatione ipsius S. Sedis, conceditur a delegato. Quae vero conceduntur ab Episcopis, solent esse *in forma gratiosa*, unde dispensatio ab ipso Episcopo directe conceditur.

II. Pro dispensationibus in forma commissoria, causae debent esse verae momento quo delegatus, et pro aliis momento quo Episcopus dispensat.

III. Invalida esset executio dispensationis, quae fieret antequam originale documentum Brevis Apostolici prae manibus esset Ordinarii, etiamsi is per litteras, vel telegraphum etc. certam notitiam obtentae dispensationis habuisset. (S. Poenitentiaria *15 Ian. 1894* apud Génicot *n. 530*).

IV. Delegatus diligenter observare debet clausulas, et quidem saepe pro valido (ut supra).

V. Quoad dispensationes S. Poenitentiariae pro foro interno, confessarius in examinanda veritate precum, credere debebit poenitenti, nisi forte ex scientia extrasacramentali contrarium sciret.

VI. Alia minutiora in praedicto opere (*Theologia Pastoralis*) videri poterunt; ubi etiam (*n. 384*) reperitur formula qua confessarius in dispensatione concedenda uti poterit.

Sectio III.

DE MATRIMONIO IN SE CONSIDERATO.

Agendum est de matrimonii 1° natura et divisionibus; 2° proprietatibus et requisitis essentialibus; 3° revalidatione.

De usu autem matrimonii iam egi supra (*Vol. II n. 835 et sqq*).

CAPUT I.

DE MATRIMONII NATURA ET DIVISIONIBUS.

1026. ***Quid est*** *matrimonium?* Matrimonium considerari potest 1° *in fieri,* seu dum celebratur, et tamquam actus; 2° *in facto esse,* seu dum iam celebratum est, et tamquam status. Insuper potest esse *validum* et *invalidum.*

Loquendo de matrimonio *in fieri* et *valido,* definiri potest: *Contractus, et quoad baptizatos sacramentum, quo vir et mulier, impedimento non detenti, ius perpetuum et exclusivum sibi invicem tradunt ad copulam coniugalem.*

1027. *Quaenam sunt principales matrimonii* ***divisiones?***

I. Matrimonium potest esse vel legitimum tantummodo, vel ratum tantummodo, vel consummatum.

Est *legitimum* tantummodo (seu naturale), quando validum est, sed sacramentum non est; prout accidit inter infideles.

Est *ratum* tantummodo, quando a christianis contractum sed non adhuc per copulam carnalem consummatum fuit.

Est *consummatum* quando coniuges, sive infideles sive christiani, post matrimonium contractum copulam carnalem inter sese habuerunt.

II. Potest esse *rite celebratum* sive *publice,* sive *secreto* (quo casu dicitur matrimonium *conscientiae*); aut *clandestinum,* sive *illicite omissa praesentia sacerdotis* ubi lex Tridentini non viget, sive (apud nos) *coram parocho quidem et testibus celebratum, sed publicationibus et sacris caeremoniis inique omissis.*

CAPUT II.

DE MATRIMONII PROPRIETATIBUS ET REQUISITIS ESSENTIALIBUS.

1028. *Quaenam sunt matrimonii proprietates et requisita essentialia?* 1° Inseparabilitas (quoad baptizatos) inter contractum et sacramentum. 2° Unitas. 3° Indissolubilitas. 4° Consensus internus et manifestatus.

ARTICULUS I.

De inseparabilitate (quoad baptizatos) inter contractum et sacramentum; et de ministro, materia et forma huius sacramenti.

1029. *Quid* ***de inseparabilitate inter contractum et sacramentum?***

I. Matrimonium, antequam Christus Dominus illud elevasset ad dignitatem sacramenti, erat solum contractus, sicut hodie quoque est solum contractus in non baptizatis, quia sine baptismo (qui est porta sacramentorum) sacramentum subsistere non potest.

II. Quoad baptizatos vero, ex hoc ipso quod matrimonium est sacramentum, oportet ut, toties quoties adest matrimonium validum, adsit etiam sacramentum.

Hinc sacramentum intervenit etiam in matrimoniis celebratis sine benedictione nuptiali, et in matrimoniis clandestinis coram parocho non dicente verba *Ego vos coniungo* etc., aut (in locis ubi lex Tridentini non viget, vel ubi, v. g. propter persecutionem, ad parochum aut Episcopum non datur accessus) sine ullius sacerdotis praesentia celebratis, (quae omnia nihilominus vera et valida matrimonia sunt. Trid. *XXIV.* 1). Idque declaratum fuit a Pio IX, qui in allocutione (*27 Sept. 1852*) dixit: « Matri-« monium esse vere et proprie unum ex septem evangelicae legis sacra-« mentum... ac propterea inter fideles matrimonium dari non posse quin « uno eodemque tempore sit sacramentum.... et proinde a coniugali foedere « sacramentum separari *nunquam* posse ».

Hinc doctrina Melchioris Cani, qui dicebat ministrum sacramenti matrimonii esse sacerdotem et formam essentialem consistere in verbis ab eo prolatis, atque adeo dicta matrimonia clandestina esse quidem valida in ratione contractus sed non in ratione sacramenti; haec, inquam, doctrina certo certius falsa est et amplius teneri non potest.

1030. *Quid de matrimonio quoad* ***ministrum, materiam*** et ***formam?***

Ministri matrimonii sunt ipsi contrahentes, qui sibi invicem sacramentum conferunt.

Materia autem corporum traditio, et *forma* corporum acceptatio etc.

Hinc Benedictus XIV (*in Epist. ad Goanum*) dixit : « Legitimus « contractus materia insimul et forma est sacramenti matrimonii ; mutua « nempe ac legitima corporum traditio verbis aut nutibus, interiorem animi « assensum exprimentibus, *materia;* et mutua pariter ac legitima corpo- « rum acceptatio, *forma* ».

1031. *Quid itaque* ***de matrimonio civili?***

Non est sacramentum, quia non est centractus validus; Tridentinum enim matrimonii contractum, sine parochi praesentia celebratum, irritum reddidit.

Si autem Ecclesia irritationem istam auferret, tunc matrimonium civile contractus validus atque adeo etiam sacramentum evaderet ; prout practice, quando sanatur in radice, contingeret,

1032. *Si ex dispensatione Pontificia fidelis matrimonium contraheret cum infideli, tunc solum contractus a parte utriusque, an vero sacramentum a parte fidelis interveniret?* Theologi in hoc non conveniunt ; sed a parte fidelis sacramentum extare ego crederem (cum Ballerini apud Gury *n. 772*) ; et si duo coniuges infideles baptizarentur, sacramentum in in ambobus consurgere dicerem (cum Bucceroni *II 970*).

ARTICULUS II.

De matrimonii unitate.

1033. *Quid significat matrimonii* ***unitas?*** Significat simultaneam pluralitatem sive virorum (scilicet *polyviriam*), sive uxorum (scilicet *polygamiam*) ita esse vetitam, ut iure divino nedum inter christianos sed etiam inter infideles, invalidum sit matrimonium cum secundo viro, aut cum secunda uxore, si primum matrimonium adhuc perduret.

Polyviria est contra ius naturale atque adeo deformis, ut Bellarminus (*De matr. XVI.* XII) scripserit ne Deum quidem dispensare posse : est enim contraria procreationi prolis; mulier quippe quae pluribus viris copulatur redditur infoecunda (ut patet ex meretricibus) ; sed, dato quod proles nascatur, quisnam erit eius pater, qui illam alere atque educare debeat? Adde zelotypiam virorum atque horribiles consequentias, si mulier inaequali illos prosequeretur amore.

Polygamia, etsi non sit deformis sicut polyviria, et quoad illam Deus (in antiquo testamento) dispensaverit: tamen magna discordia tum inter uxores ad invicem (propter zelotypiam quae etiam in foeminis adeo naturalis et praepotens est), tum inter uxores et virum, tum inter filios ipsos ex diversis matribus procreatos, producere solet: et D. N. I. Christus in novo testamento illam absolute et pro omnibus eliminavit; unde, si infidelis plures uxores habens, convertatur ad fidem, Ecclesia eiusdem tantummodo matrimonium cum prima legitimum recognoscit.

ARTICULUS III.

De matrimonii indissolubilitate

Distinguendum est inter matrimonium consummatum fidelium, matrimonium ratum fidelium; et matrimonium consummatum infidelium.

1034. **Matrimonium consummatum fidelium** est prorsus indissolubile quoad vinculum (secus quoad thorum et cohabitationem).

Etsi itaque postea coniux adulterio fidem coniugalem frangeret, vel propter amentiam aut impotentiam talis evaderet ut matrimonium valide contrahere non posset, matrimonii vinculum perduraret, quod nulla auctoritate solvi potest; *quod* enim *Deus coniunxit, homo non separet;* et repudium, quod in lege veteri concedebatur, Christus Dominus prorsus eliminavit. Est de fide.

Idem dicendum de matrimonio consummato fidelis qui cum infideli ex dispensatione apostolica illud contraxisset. Cf. Bucceroni (*De matr. 59*).

1035. **Matrimonium ratum tantummodo** solvi potest duobus modis.

I. Per *solemnem professionem religiosam* alterius coniugis (non vero per solum religionis ingressum aut per vota simplicia, quae ante professionem solemnem sive in Societate Iesu (1) sive in aliis ordinibus religiosis emittuntur.

In hunc finem coniugibus ipso iure datur bimestre ad deliberandum, quo tempore debitum reddere non tenentur.

Utcumque autem, transacto quoque bimestri, et matrimonio (etsi illicite debitum denegando) non adhuc consummato, hoc privilegium perseverat; neque illud impedit fornicatio antimatrimonialis, nisi matrimonium ad legitimandam prolem vel ad consulendum honori sponsae vel ad scandalum reparandum necessarium fuisset.

Peccaret tamen ille qui matrimonium cum intentione Religionem ingrediendi contraheret, quin compartem admoneret. Bucceroni (*l. c. 59*).

---

(1) Haec vota simplicia in Societate Iesu dirimunt quidem matrimonium contrahendum (ut dixi *n. 938*), sed non matrimonium iam contractum.

Si intra bimestre vir uxorem per vim oppressisset; tunc matrimonium quidem consummatum evaderet: sed uxor nihilominus Religionem profiteri posset, et vir (quia vinculum matrimonii non solveretur) absque spe coniugii remanere deberet. Ballerini (ad Gury *n. 759*).

II. Solvi potest *per dispensationem Pontificiam;* attamen solum si graves causae subsistant, cuiusmodi sunt sequentes.

1°) Magna et ineluctabilis animorum dissociatio.

2°) Dubium de valore matrimonii (eo quod graviter dubitandum sit ne contractum fuerit cum impotentia, vel metu gravi etc.).

3°) Periculum incontinentiae, maxime si coniuges sint iuvenes etc.

4°) Gravis timor scandalorum, rixarum etc.

5°) Concubinatus, vel matrimonium civile iam contractum cum alia persona quod velit legitimari.

6°) Morbus contagiosus et insanabilis in coniuge (speciatim syfilis) cum periculo infectionem communicandi.

7°) Maeror profundus et habitualis cum periculo incidendi in amentiam, vel procedendi ad suicidium etc.

8°) Magnus amor castitatis, in puella quae absque cognitione rerum matrimonialium nupserit.

Quomodo autem practice dispensatio obtineri poterit, vide dicta supra (*n. 903 IV*).

1036. **Matrimonium consummatum infidelium,** ex concessione divina (promulgata a Paulo Ap. *1 Cor. VII,* unde dicitur *privilegium Paulinum,* in favorem Fidei, dissolvitur quando unus ex coniugibus convertitur ad fidem christianam (etsi forte non ad fidem catholicam; Cf. Lehmkuhl *n. 705 not. 2*), et, baptismo suscepto, contrahit matrimonium cum fideli.

Oportet tamen ut aliqua ex sequentibus circumstantiis verificetur. Prima est si coniux infidelis (in odium religionis, aut, absque culpa coniugis conversi, ob alias causas) non cohabitet; et, sive interpellatus intra praefixum et legitimum tempus non redierit, sive ab eo interpellando (ob difficultatem illum inveniendi) dispensatio a S. Sede obtenta fuerit. Altera est si coniux infidelis consentiat quidem cohabitare et cohabitet revera, sed non pacifice, vel solum *cum contumelia Creatoris,* scilicet contemnendo religionem, tentando coniugem ad apostasiam aut aliud peccatum mortale etc. Cf. Lehmkuhl *n. 705,* ubi alia minutiora adnotantur.

1037. Matrimonium **quoad thorum et cohabitationem,** sive ad tempus sive perpetuo, iustis de causis solvi potest. Sed de re ista valde practica iam egi *Vol. II n. 901 et seqq.*

ARTICULUS IV.

De consensu.

1038. *Quomodo debet esse consensus ut matrimonium sit validum?* Debet esse 1° de praesenti; 2° mutuus; 3° manifestatus; 4° verus; 5° voluntarius et deliberatus. Oportet denique 6° ut a parte intentionis, vel conditionum vel pactorum forte appositorum consensus validitati nihil obstet. Sed haec sunt explicanda.

1039. *Cur dicitur debere esse* ***de praesenti?***

Quia distinguitur a sponsalibus, quae respiciunt matrimonium futurum.

Sponsalia non praebent ius ad copulam nisi postea matrimonium subsequatur; matrimonium autem ius istud praebet statim si absolute, et, conditione verificata, si conditionaliter celebretur.

1040. *Cur dicitur quod debet esse* ***mutuus?*** Quia non sufficit quod vir consentiat se esse maritum; et differt a promissione matrimonii, qua unus, alio libero remanente, se obligare posset.

1041. *Explica quomodo possit vel debeat esse* ***manifestatus?***

I. Coram parocho et testibus; exceptis locis ubi lex Tridentini non viget, iuxta dicta *n. 951.*

II. Quamvis pro licito ordinarie oporteat ut consensus sit simultaneus (iuxta Rituale), tamen validus (atque etiam licitus in quibusdam casibus, de licentia Episcopi) esset quoque si unus prius (v. g. hodie) et alter postea (v. g. cras) apud eundem parochum eosdemque testes, consensum manifestaret: ut cum D. Thoma et S. Lig. (*VI 9*) dicunt theologi et canonistae passim tam antiquiores quam recentiores.

Ratio est quia matrimonium sequitur naturam aliorum contractuum; unde scripsit D. Th. (*in 4 d. 29 q, unic. A. B.*): « Nam neque haec si- « multas in reliquis contractibus requiritur ». Excipe nisi, dum consen-

sum praestat secundus, primus illum retractasset; qua de re pro foro externo signa manifesta esse deberent.

Haec doctrina his miserrimis temporibus alicubi utilis ad praxim esse potest.

III. Quamvis pro licito consensus manifestari debeat verbis (nisi agatur de mutis); tamen pro valido sufficit si quovis alio signo (v. g. inclinando caput ad interrogationem, porrigendo anulum etc.) manifestetur.

Imo, quoad mulierem, sufficeret silentium; si nempe parentes pro ea praesente contraherent, et ipsa taceret; atque ex circumstantiis pro certo pateret quod silentium significaret consensum. S. Lig. (*VI 887*).

IV. Matrimonium valide, et (ex causa valde gravi ac de licentia Episcopi) licite, celebrari potest *per procuratorem;* et tunc quoque esset sacramentum, quod reciperetur a mandante, quamvis eo momento dormiret.

Ratio tamen dubitandi esset, si tunc in amentiam perpetuam incidisset. Cf. Scavini (*n. 728*).

Non exigitur ut procurator sit eiusdem sexus mandantis; bene vero exiguntur sequentia, nempe 1° Ut habeat mandatum serium, speciale et praecise pro illa persona determinata (sufficeret tamen mandatum oretenus datum, dummodo de illo constaret). 2° Ut procurator assistat per se, non vero per subdelegatum, nisi pro re ista quoque specialem licentiam habuisset. 3° Ut mandatum non fuerit revocatum (ne mentaliter quidem). 4° Ut procurator patefaciat mandatum suum contrahenti, parocho et testibus, qui cognoscant illum agere nomine alterius. 5° Ut mandati fines non excedat, et si forte conditiones in illo appositae fuissent (v. g. circa dotem) servari deberent sub poena nullitatis, nisi solum pro licito a iure essent requisitae (v. g. de denuntiationibus praemittendis). S. Lig. (*n. 885*).

Modus autem, quo parochus interrogare debet contrahentem et procuratorem, indicatur a S. Lig. (*n. 886*).

V. Matrimonium valide (sed difficiliter licite) celebrari potest etiam *per litteras*. Modus indicatur a S. Lig. (*l. c.*), et clarius a Sanchez (*II.* XII *n. 3*).

VI. Iam alibi dixi 1° quod apud nos, si matrimonia (adveniente magna persecutione) celebrari non possent apud parochum eiusve delegatum, saltem celebrari deberent apud testes; 2° quod in locis, ubi lex Tridentini non viget, pro licito quidem celebrari debent apud sacerdotem, sed pro valido nec sacerdos nec testes exiguntur.

VII. In locis, ubi lex Tridentini non viget, non ita pridem, ex praesumptione iuris, consensus matrimonialis censebatur manifestatus per copulam carnalem, casu quo

prius sponsalia celebrata fuissent. At vero nostris temporibus Summus Pontifex Leo XIII (*15 Febr. 1892*) decrevit quod « illis in locis, in quibus coniugia clandestina pro « validis habentur..... copula carnalis sponsalibus super- « veniens non amplius ex iuris praesumptione coniugalis « contractus censeatur, nec pro legitimo matrimonio agno- « scatur seu declaretur ».

VIII. Si matrimonium iam contractum fuisset coram parocho et testibus, sed invalide; tunc (ad illud revalidandum), si causa invaliditatis fuisset de facto, aut suapte natura, publica (v. g. consanguinitas, metus notorius etc.), tunc novus consensus coram parocho et testibus exigeretur; si vero fuisset occulta (v. g. crimen occultum, affinitas ex copula illicita occulta etc.), tunc, cessante impedimento, iure naturae sufficeret perduratio consensus iam antea praestiti; sed in rescriptis seu dispensationibus pontificiis exigi solet ut novus consensus positive praestetur, et quidem a parte utriusque quoad dispensationes ordinarias, et a parte postulantis quoad dispensationes in radice. Sed de hoc sermo redibit infra.

1042. *Cur dixisti quod consensus debet esse* ***verus?*** Quia non sufficit quod extrinsecus adsint signa consensus; bene vero exigitur ut consensus internus vere subsistat. Hinc nihil valet matrimonium 1° si contrahatur *ludicre*, ut puta, si duo ioci causa ad parochum se praesentarent dicendo: *Questa è mia moglie: questo è mio marito* (Cf. Pallottini v. *Matrimonium § III 19*). 2° Si contrahatur *ficte*, v. g. ad habendam pecuniam (Cf. Acta *XVIII 14*), ad declinandas minas etc.

1043. *Quid agendum si quis dicat se ficte consensisse?* Quoad *forum externum*, ei fides non adhibetur, nisi concludenter et pro certo id probet. Quoad *forum internum*, qui ficte consentit sacrilege procedit et magnam iniuriam infert parti deceptae: insuper (propter matrimonii invaliditatem) nec petere nec reddere posset.

Revalidaretur autem matrimonium, apponendo consensum, etsi solum privatim (atque etiam non certiorata parte), si res sit occulta (iuxta mox supra dicta *n. 1041 VIII*).

Ordinarie autem (et quidem non obstante disparitate conditionis) tenetur consensum apponere, ut dictam iniuriam reparet; pars enim decepta (si fictio iudicialiter probari nequeat, prout contingere solet) cogeretur vel religionem ingredi, vel in saeculo innupta semper remanere. Dixi *ordinarie*: secus enim esset si propter impedimentum non dispen-

sabile nequiret valide consentire, aut nisi quis ad sic contrahendum coactus fuisset, aut compars renuntiaret vel aliam compensationem acceptaret vel nullum damnum subiisset.

Caeterum pars innocens non teneretur credere alteri dicenti se ficte consensisse, ideoque licite debitum peteret, donec defectus consensus clare probaretur. Cf. Bucceroni (*n. 43*) et S. Lig. (*VI 887. 1113. 1114*).

1044. *Cur divisti quod consensus debet esse* ***voluntarius et deliberatus?***

I. Imprimis exigitur usus rationis, et speciatim notandum quod non valeret matrimonium mentecapti habitualis, etsi tempore alicuius brevis et illusorii lucidi intervalli illud contraxisset, ut patet *De Sponsal.* ex Cap. *Dilectus* (*IV.* XXIV); saepe enim mentecapti in quibusdam intervallis esse videntur sanae mentis; sed reapse tunc quoque mentecapti sunt.

Aliud esset de illis qui solum identidem insaniunt, vel non proprie dementes sed tantummodo aliqualiter semifatui sunt et iudicii imbecillitate laborant; tunc enim pro matrimonii validitate (maxime post factum) standum est. Acta (*XIII n. 445*) et Pallottini (v. *Matrim. § III n. 16*).

Caeterum in dubio serio consulendus esset Episcopus.

Surdo-mutus autem simul et caecus, qui nec per verba nec per nutus instrui posset quid sit matrimonium, illud valide contrahere nequiret. Scavini (*n. 793*).

II. Non valet matrimonium contractum cum errore personae, vel ex metu gravi (ut supra *n. 852. 855 et seqq.*) ostensum et declaratum est.

III. Quid de matrimonio contracto cum ignorantia quod in corporis traditione, ad effectum copulae habendae, consistat?

A). Imprimis, si agatur de persona adulta (quae iam 18 aut 20 aetatis annos habeat) haec ignorantia non praesumitur; et illam alleganti, etiam cum iuramento, post matrimonium iam contractum, fides non praestatur, nisi aliae circumstantiae (quae dictum illius omnino credibile reddant) concurrant.

B). Etsi autem certo certius aliquae puellae sine explicita rei istius cognitione matrimonium celebrent, tamen ut plurimum istae quoque habent consensum implicitum;

sciunt enim quod matrimonium ad prolem habendam deservit, et, videndo quod coniuges in eodem lecto dormiunt, in confuso cognoscunt, aliquid in hunc finem in matrimonio contingere debere, quod pro ipsis adhuc mysterium est; nuptias autem contrahendo, illud quoque (quidquid demum sit) facere consentiunt; et sic harum etiam puellarum matrimonium valet.

C). Interdum tamen errorem positivum habere possunt, si nempe firmiter crederent se prorsus illibatas in matrimonio esse remansuras, et filios ab obstetrice esse deferendos etc. Error huiusmodi utique esset substantialis, et puella talem habens errorem, intentionem suum corpus tradendi pro congressu carnali nec explicite nec implicite haberet; matrimonium enim contrahendo, intenderet facere non iam quod faciunt alii, sed quod credit ab aliis fieri: non secus ac si quis venderet obiectum et crederet venditionem in simplici ostensione consistere, neque ad ullam obiecti ipsius traditionem obligare. In huiusmodi autem casu (qui rarissimus quidem est, sed aliquando contingit) unusquisque videt quod matrimonium validum esse nequiret. Vide Seb. Berardi apud Pallottini (v. *Matrim. § III n. 28*).

D). Tunc profecto reliquum esset quod aut puella, quae ita matrimonium contraxisset, (re cognita) consensum praestaret, et sic, copulam habendo, illud ratificaret, aut (ad cautelam) dispensationem a matrimonio rato et non consummato a S. Sede obtineret. Equidem S. C. C. difficile matrimonii invaliditatem recognoscere, aut recursum ad SS.mum pro hniusmodi dispensationibus admittere solet. (Cf. Pallottini *l. c. n. 29*); sed interdum (si revera nulla iam superesset spes mulierem ad coniugalia officia inducendi, et maxime si vir pro statu libero obtinendo instaret) ut ad SS.mum pro dispensatione recurratur concedit. Exempla (non parum curiosa) habemus apud Acta (*Vol. V 551* et *XIX 487*). Vide etiam Lehmkuhl (*II 734 Scholion*).

1045. *Cur dixisti quod consensus debet esse talis, **ut a parte intentionis vel conditionum vel pactorum forte appositorum validitati nihil obstet?***

Loquendo prius de **intentione,** noto sequentia.

I. Sola intentio transgrediendi obligationes (etiam substantiales) matrimonii (v. g. generationem impediendo, concubinam retinendo etc.) matrimonii ipsius validitati non obstat.

II. Intentio vero (etsi solum mente retenta, et a parte unius tantum) non contrahendi easdem obligationes substantiales vel aliquam ex illis, matrimonium invalidum reddit (intellige in foro interno tantum, si non sit manifestata).

Exemplum esset si quis non solum crederet, sed absolute intenderet, ius habere ad polygamiam vel ad repudium (quoad vinculum), vel non obligare seipsum ad fidelitatem, ad reddendum debitum etc. Haec enimvero ad substantiam matrimonii pertinent, et qui illa non vult, matrimonium non vult; nihil enim sine sua substantia subsistere potest.

Idem dic si quis vellet contractum et absolute nollet sacramentum; ut enim supra vidimus (*n. 1029*) contractus sine sacramento stare non potest.

Advertendum tamen, facile contingere posse quod exclusiones huiusmodi accidant ex errore, quo v. g. infidelis vel haereticus reputet matrimonium stare posse cum iure ad polygamiam vel repudium, aut christianus impiis principiis imbutus existimet stare posse contractum sine sacramento, et tunc contingere potest etiam (imo ordinarie contingeret) quod de facto duae adsint intentiones, una praedominans et absoluta contrahendi matrimonium verum (absolute scilicet intendendo quod, v. g. sponsa sit vera uxor sua, et non concubina); alia autem secundaria et veluti conditionata habendi facultatem polygamiae vel repudii, aut excludendi sacramentum. Ex his autem duabus intentionibus attendi debet praedominans, quae aliam vincit, atque consensum in omnes qualitates matrimonio essentiales implicite includit. Sic autem, non obstante huiusmodi intentione secundaria (dummodo in pactum non deducatur, ut infra explicabitur) matrimonium validum remanet; ut patet ex praxi Ecclesiae, quae 1° quando convertuntur ad fidem infideles, qui habent plures uxores aut ius repudii habere intendunt, censet validum esse matrimonium quod contraxerunt cum prima; 2° non raro sanat *in radice* matrimonia civilia contracta ab illis, qui matrimonium esse sacramentum non credunt.

Vide Ballerini (*Op. th. X n. 496 et 406*), Sanchez (*II. x 6*) et Suarez, qui (*De Sacram. LXIV. x Disp. XIII. II in fin.*) scripsit : « Quid « dicendum sit de matrimonio, si contrahentes velint facere contractum, « non tamen sacramentum ? Si haec posterior voluntas procedat ex privato « errore, quo existimant matrimonium non esse sacramentum, tamen reipsa « velint matrimonium contrahere eo modo.... quo iuxta Dei voluntatem « et ordinationem contrahi debet ; tunc ille error particularis non excludit « sufficientem intentionem ad faciendum sacramentum, quia ad hoc sufficit « illa voluntas universalis (*contrahendi verum matrimonium*) ; et altera « particularis non proprie est ex affectu et intentione non faciendi sacra- « mentum, sed solum ex errore; quia putant in re ipsa nullum esse sacra- « mentum ». Cf. Bucceroni (*Instit. II 970*) et Génicot (*n. 459*).

Casus itaque, in quo intentio excludens obligationes substantiales, vel sacramentum, vere et efficaciter interveniret, esset 1° si homo, de his cogitans, animo foret ita comparatus, ut, si haec de substantia esse sciret, matrimonium nollet, et concubinatum eligeret; 2° si eadem intentio verbis exprimeretur et in pactum deduceretur, ut mox infra (*n. 1052*) videbimus.

1046. Loquendo **de conditionibus et pactis appositis,** sequentia noto.

I. Illicitum est contrahere matrimonium conditionate, nisi de speciali licentia Episcopi et ex gravissima causa; multa enim et gravia incommoda (ambages, difficultates, iurgia, scandalum etc.) ex tali modo contrahendi (praesertim si conditio sit de futuro) facile sequi possunt. S. Ligorius (*n. 892*), Lehmkuhl (*n. 678*) etc.

II. Conditio est *circumstantia dispositioni adiecta, a cuius existentia dependere volumus valorem eiusdem dispositionis ;* et communiter exprimitur particulis *si, dummodo* etc., v. g.: Contraho tecum si pater meus consenserit.

Distinguitur 1° *a modo,* quo indicatur aliquod onus a comparte contrahente sustinendum, et exprimitur particulâ *ut,* v. g. Te duco in uxorem ut filiorum primi matrimonii curam habeas ; 2° *a causa* quae est motivum quo matrimonium contrahitur, et exprimi solet particulâ *quia,* v. g. Te duco, quia es bona, pulchra, nobilis etc.; 3° *a demonstratione* qua indicatur qualitas, et exprimi solet pronomine *qui, quae,* v. g. Duco te, quae es virgo, primogenita etc. ; 4° a *designatione diei vel temporis;* v. g. Duco te hodie pro cras.

III. Conditio potest esse iuxta sequentes distinctiones.

1°) *De praeterito* (v. g. Duco te, si talem vel talem haereditatem obtinuisti): vel *de praesenti* (v. g. si es virgo, vel primogenita etc.), vel *de futuro* (v. g. si pater meus consensurus sit).

2°) *Impossibilis* (v. g. si pro dote montem aureum habeas), vel *possibilis*.

3°) *Necessaria* (v. g. si cras sol orietur; si aliquando pater tuus morietur); vel *contingens*; quae potest esse *potestativa* (v. g. si ex Luterana fias catholica), vel *casualis* (v. g. si in tali ludo sors mihi benevertat).

4°) *Suspensiva* (v. g. duco te, si futurum sit ut in dotem afferas mille); vel *resolutiva* (v. g. contraho tecum sub conditione quod, tali eveniente tempore vel circumstantia, te reiicere et aliam ducere possim): vel *obligativa* (v. g. te duco, dummodo te obliges ad hoc vel illud faciendum durante matrimonio).

5°) *Honesta* (v. g. si talem dotem habeas, si non sis gravida ex alio, si per licitam inspectionem reperieris virgo etc.): vel *turpis*. Turpis esse potest vel *contra substantiam matrimonii* (v. g. dummodo durante matrimonio rem habeas cum aliis); vel *non contra substantiam matrimonii* (v. g. si occidas inimicum meum: si promittas me adiuvare in furtis, si mecum concubueris et virgo reperieris etc.).

6°) *Extrinseca*, vel *intrinseca contractui*. Esset intrinseca contractui si quis, v. g. diceret: contraho tecum si non obstet impedimentum dirimens, vel si te obliges ad coniugale debitum reddendum, vel si non tenear consummare matrimonium in primo bimestri etc.

7°) *Utrinque acceptata*, vel solum *a parte unius* sive *expressa* sive *mente retenta*. Si fuerit mente retenta, irritare poterit matrimonium in foro interno (deficiente consensu), sed non in foro externo. Si fuerit expressa, sed solum a parte unius, tunc si alter illam respuat, praesumitur quod qui illam proposuit ab ea recedat. Interdum idem dic si alter taceat. Caeterum praesumptio veritati cedere deberet.

8°) Conditio valere potest non solum si apponatur dum apud parochum et testes matrimonium celebratur, sed etiam si apposita antea et non retractata fuisset. Attamen pro foro externo de illius appositione et non retractatione constare deberet.

IV. In iure canonico (*Ce Condit. appos. IV tit. V Cap. VII*) legitur: « Si conditiones contra substantiam « coniugii inserantur (puta, si alter dicat alteri: Contraho « tecum si generationem evites, vel donec inveniam aliam « honore vel facultatibus ditiorem, aut si pro quaestu adul- « terandam te tradas), matrimonialis contractus..... caret « effectu; licet aliae conditiones appositae in matrimonio, « si turpes aut impossibiles fuerint, debeant.... pro non « adiectis haberi ». Prius autem (Decreti 2ª pars *C. XXXII q.* II *C. Solet quaeri*) dicitur « invalidum connu- « bium si coniuges nolint sibi nasci filios, vel etiam opere « aliquo malo agant ne nascantur »: et (*l. c. Cap. Aliquando*) subditur: » Aliquando eo usque pervenit haec « libidinosa crudelitas vel libido crudelis, ut etiam steri- « rilitatis venenum procuret: et, si nihil valeret, conceptos « foetus aliquo modo intra viscera extinguat ac fundat, « volendo suam prolem prius interire quam vivere; aut,

« si in utero iam vivebat, occidi antequam nascatur. Prorsus, si...., coniuges...., ab initio tales fuerunt, non sibi « per connubium, sed per stuprum potius convenerunt ».

His praemissis, valent regulae sequentes.

1047. **Regula I.** Si conditio sit de praesenti vel de praeterito, et possibilis, matrimonium *statim* valet vel non valet secundum quod conditio subsistat vel non subsistat; idque verum est quamvis foret turpis (v. g. si fornicasti, si odio habes inimicum meum etc.) S. Lig. (*n. 890*). Solum, antequam matrimonium consummetur, examinari debebit an conditio vere subsistat.

Dixi *matrimonium statim valere si conditio subsistat;* unde si conditio adhuc quidem esset ignorata sed subsisteret, revocatio consensus nihil efficeret; consensus enim non scientiae sed existentiae conditionis alligatus fuisset.

Dixi *quamvis conditio foret turpis:* sed hoc intellige nisi pactum contrarium substantiae matrimonii (ut infra, in alia regula, declarabitur) involveret.

1048. **Regula II.** Si conditio sit de futuro contingente, sed honesta et possibilis, tunc matrimonium valet; sed solum si et quando conditio verificabitur.

Hinc si ante conditionis eventum consensus revocatio interveniret, tunc, etsi conditio postea verificaretur, matrimonium non subsisteret; et nuptiae cum alia persona celebratae validae essent.

Consensu autem non revocato, matrimonium perficitur eveniente conditione (prout accidit in aliis contractibus) quin oporteat ut consensus denuo explicite (et multo minus apud parochum et testes) renovetur. Equidem (apud S. Lig. *n. 895*) multi et graves theologi contradicunt, sed (ut patet ex S. C. C. apud Pallottini, v. *Matrimonium* § *II n. 2*) non sunt audiendi.

Sed quid si coniuges, conditione non adhuc adventa, copulam haberent? Si a conditione recedere non intenderent, certe fornicationem committerent. Si autem ab illa intenderent recedere, tunc matrimonium ex conditionato absolutum evaderet, et copula licita esset; multo magis quia etiam in foro externo per copulam recessus a conditione praesumitur. Cf. Pallottini (*l. c. n. 47*).

1049. *Quid si, subsistente impedimento, matrimonium celebretur sub conditione* ***si Papa dispensaverit?*** Credo matrimonium esse nullum; et proinde, obtenta dispensatione, renovandum esse consensum; dispensationes enim ad matrimonium adhuc contrahendum, non vero pro hypothesi in quo iam contractum fuerit, conceduntur, unde (re bene considerata) de conditione impossibili ageretur; idque maxime si alteruter resilire vellet. Vide dicta (*Vol. III n. 969*) et S. Lig. (*n. 895*).

1050. **Regula III.** Si conditio sit necessaria (v. g. si sol heri ortus fuit, vel orietur cras) est prorsus tamquam non apposita, neque (uti patet) ullum examen exigit, et matrimonium statim valet, statimque eius usus licitus est. Excipe 1° si in mente contrahentium haberetur tamquam contingens, ut puta, si rudis diceret: te duco, si cras erit eclypsis (quae de caetero apud astronomos infallibiliter eventura erit); 2° si non tamquam conditio, sed tamquam circumstantia determinativa temporis apposita fuisset: dicendo, v. g. *Contraho tecum si pater morietur,* ad significandum *quando pater morietur.* S. Lig. (*n 891*) et Ballerini (*l c. 474*).

1051. **Regula IV.** Conditio impossibilis potest apponi tribus modis:

I. Cum intentione contrahendi absolute, conditionem autem apponendi ludicre. Tunc matrimonium utique valet et quidem statim, tum in conscientia tum in foro externo; ex Cap. enim *Si conditiones* (*cit. n. 961 IV*) patet quod conditio impossibilis tamquam ludicre apposita et non adiecta consideratur, nisi de contrario constet.

II. Cum intentione contrahendi ludicre, et conditionem impossibilem apponendi ut cognoscatur quod res tota non serio sed ludicre peragitur; prout posset contingere, v. g. si adolescentulus vetulae decrepitae diceret: Te duco si iuvenis evadas; aut vir nobilis et ditissimus mulieri ignobili et pauperculae diceret: *Te duco si pro dote montem aureum vel imperium mihi dabis.* Tunc autem matrimonium (uti patet) invalidum foret.

III. Cum intentione seria contrahendi conditionate, dum scilicet contrahens credat conditionem impossibilem esse possibilem, ut puta, si diceret: *Te duco, si patruus tuus te haeredem instituet,* ignoraret autem quod patruus ille sine testamento iam mortuus esset. Tunc autem matrimonium (deficiente conditione) statim invalidum esset.

Cavendum tamen ne impossibilitas cum magna difficultate confundatur, ut puta, si quis, cum serio in matrimonium consensu, apponeret conditionem dotis familiae vires superantis, quae tamen extraordinariis sacrificiis vel auxilio amicorum etc. forte comparari valeret; tunc enim,

si sic dos comparari posset, matrimonium ex conditionato absolutum evaderet.

1052. **Regula V.** Conditio contraria substantiae matrimonii illud invalidum reddit. Qui enim huiusmodi conditionem apponit, aut cognoscit verum matrimonium sic non posse subsistere, atque adeo non vult verum matrimonium, et tunc deficit consensus; aut reputat matrimonium sic quoque valere, et tunc non quia consensus (iuxta dicta *n. 1045*) sed quia eiusdem expressio deficiat, matrimonium validum esse nequibit; ad hoc enim sacramentum constituendum non sufficit consensus, sed exigitur consensus ita *expressus*, ut verum matrimonium prout a Christo institutum fuit significet. Cf. Bened. XIV (*De Syn. XIII.* XXII *9*) et Ballerini (*l. c. n. 501 1°*); vide etiam supra (*Vol. III n. 531*).

1053. Sed quandonam conditiones erunt contrariae substantiae matrimonii? Communiter respondent, si sint contra aliquod ex tribus bonis substantialibus matrimonii, quae sunt bonum prolis, bonum fidei, bonum sacramenti.

Contra *bonum prolis* esset 1° Pactum impediendi generationem medio illicito, v. g. onanismo, sodomia, aut procuratione sterilitatis (1). 2° Pactum procedendi ad abortus, ad infanticidia etc.

Contra *bonum fidei* esset pactum quod quis possit aut debeat rem habere cum aliis vel debitum comparti minime reddere.

Contra *bonum sacramenti* esset pactum contra indissolubilitatem matrimonii, quo scilicet coniuges sibi reservent ius solvendi vinculum coniugale, v. g. si dos promissa non solvatur, si pacta non serventur, si proles non nascatur, si uxor non reperiatur virgo, vel propter

(1) Sterilitas procuraretur certe actu ipso concubitus, adhibendo media supra indicata (*Vol. II n. 873*). An autem procurari possit etiam ante concubitum, id quidem affirmant theologi antiquiores, qui loquuntur de veneno sterilitatis sumendo ad modum potionis, sicut loquebantur de pharmaco abortivo; sed an potiones huiusmodi vere ita existant ut sint efficaces, hodie negant communiter; unde Ballerini (*Op. th. Tr. VI n. 95*) de pharmacis abortivis scripsit: « Nulla huiusmodi pharmaca scientia medica hodie admittit ». Ad procurandam sterilitatem vere deservit operatio *Porro*, de cuius liceitate vel illiceitate, vide dicta (*Vol. II n. 638*)

adulterium, saevitias, carcerem etc. (prout facile evenire posset in locis ubi a legibus civilibus divortium admittitur).

1054. *Quid de pacto, quo coniux (v. g. uxor) non possit petere, sed solum teneatur reddere?* Respondet Sanchez (*V.* x *4*): « Eiusmodi pactum vitiare (scilicet ir-« ritum reddere) matrimonium, quia de ratione matrimonii « est totalis corporum traditio: ex qua dimanet mutuum « et aequale ius ad corpus alterius ».

1055. *Quid de pacto quo coniux non teneatur reddere quando ei intersit ne proles concipiatur?* Est de substantia matrimonii quod eius iura sint perpetua; unde pactum huiusmodi (si vere statuatur ad modum conditionis sine qua non) contra substantiam matrimonii est. Lehmkuhl (*II 689*). Imo Sanchez eo usque processit ut dixerit (*l. c. n. 5*): « Si esset pactum ut certis diebus abstinerent a « copula, ut sextis feriis, vel alio tempore ultra bimestre « praefinitum a iure..., tunc esset irritum matrimonium; « quia est contra substantiam eius, nempe contra totalem « corporum traditionem ». Quid igitur de illis qui matrimonium contrahunt, salvo iure non utendi illo (nisi forte onanistice) donec adsit periculum concipiendi prolem, vel postquam unus vel alter filius natus fuerit? Matrimonium foret invalidum; sed practice ut plurimum intentio praedominans esset contrahendi verum matrimonium, quod persistat, et restet indissolubile, conditione quoque non servata; et sic ageretur potius de monito ad evitanda lamenta futura, quam de conditione stricte dicta et sine qua non; ut recte advertunt Lehmkuhl (*n. 689. 5*), Génicot (*n. 459*), aliique.

1056. *Quid de pacto non cohabitandi?* Pactum non cohabitandi ex causis necessariis aut rationabilibus iam per se subintelligitur et nihil vitiat. Pactum vero absolute nunquam cohabitandi contra matrimonii substantiam esse, dicunt communiter cum Sanchez (*l. c. 5*).

1057. *Quid si sponsi motivo virtutis matrimonium contrahant, salva virginitate vel salvo voto castitatis, nempe cum obligatione ab usu eiusdem perpetuo abstinendi?* In hoc casu, an verum matrimonium subsistat, theologi et canonistae non conveniunt. Communius negant

(cum S. Thoma) quia essentia matrimonii consistit in mutua traditione corporum in ordine ad actus generationi inservientes, idque iuxta institutionem naturalem et divinam: *Erunt duo in carne una. Mulier sui corporis potestatem non habet sed vir* etc. Aliqui e contra affirmant quia, quamvis ordinarie matrimonium sine iure ad carnale commercium sit substantialiter defectuosum, tamen, interveniente praedicto motivo virtutis ex utraque parte, defectus evanescit, et non pauci effectus ad matrimonium epectantes subsistunt; quatenus scilicet 1° rem habere cum aliis esset adulterium; 2° daretur dominium reciprocum corporum, etsi sine iure ad usum (durante pacto); 3° si futurum esset quod coniuges mutuo consensu a pacto recederent, usus matrimonii licitus evaderet; 4° pacto etiam ita non soluto, infidelitas quidem aut iniustitia, sed non fornicatio interveniret. Addunt quod si pactum perpetuae castitatis ex mutuo consensu fieri potest postquam celebratum fuit matrimonium, cur non antea? Adducunt etiam exemplum matrimonii B. Virginis cum S. Iosepho nec non aliorum Sanctorum. At vero auctores primae sententiae dicunt quod in his exemplis de futuro matrimonii non-usu, non iam pactum, sed sola certitudo interfuit. Sed in hac quaestione adeo parum practica non refert immorari. Si placet, vide Ballerini (*l. c. 490 et seqq.*

1058. *Quid de pacto educandi prolem in haeresi, vel etiam illam non baptizandi?*

Hoc etiam in puncto auctores non conveniunt. Schmalzgrueber (*II.* VII *De Cler. vel vov. n. 151*) cum aliquibus aliis censet pactum huiusmodi reddere matrimonium irritum. Excipit tamen casum in quo aliter fieri nequeat, et celebratio matrimonii cum coniuge tale pactum apponente licita sit. Pichler autem (*IV.* II *De imped. matr. 131*) cum aliis communius dicit, pactum esse quidem impium et non servandum, sed matrimonium minime irritum reddere, quod enim (ait) primario in coniugibus respicitur est bonum prolis *naturale*, neque pertinet ad essentiam et substantiam matrimonii quod etiam ad bonum *spirituale* prolis ipsius, per professionem catholicae religionis, procurandum se obligent.

Quidquid sit de hoc, certe Ecclesia (in quibusdam casibus) tolerat ut matrimonia contrahantur cum illis haereticis qui conditionem de prole educanda in religione catholica perfracte recusant. Cf. Ballerini-Gury (*n. 860 not. 6*), Lehmkuhl (*II 689 not.*) et Pallottini (*l. c.* § *II n. 14*).

1059. **Regula VI.** Conditiones de futuro turpes, sed non contrariae substantiae matrimonii, in foro externo (ut patet ex Cap. *Si conditiones* relato supra *n. 1046 IV*) censentur ludicre appositae, atque adeo habentur pro non adiectis; illisque proinde non obstantibus, matrimonium tamquam absolute contractum consideratur.

Sed in foro conscientiae, si serio appositae fuissent (quum defectus consensus nulla lege suppleri possit, et matrimonium sine consensu stare nequeat), sequenti modo iudicandum erit.

A) Si conditio sit *suspensiva* (v. g. vir viduae dicit: te duco si, antequam congrediamur, prolem ex praecedenti matrimonio habitam eneces); tunc matrimonium, eâ non adimpletâ, irritum; adimpletâ, validum (probabiliter iuxta dicta *Vol. III n. 530*) erit. Ita docent Lehmkuhl (*n. 687. 3*), Génicot (*n. 460*) aliique.

B) Si conditio sit *obligativa* (v. g. si promittas vel sis disposita auxilium mihi praestare in sortilegiis durante matrimonio); tunc matrimonium, tali promissione vel intentione non subsistente, irritum; subsistente, validum erit, sed ita ut postea servari non debeat.

C) Si conditio sit *resolutiva* (v. g. si, durante matrimonio, me non adiuvabis in sortilegiis, mea uxor non amplius eris); tunc contraria substantiae matrimonii evaderet et sic illud irritum redderet. Idem dicendum esset si pro huiusmodi vel simili casu vir ius ad divortium quoad torum et habitationem sibi reservaret.

1060. **Regula VII.** Matrimonium contractum *sub causa* vel *demonstratione* nec vitiatur nec suspenditur quamvis causa falsa, vel turpis, imo etiam contra substantiam matrimonii, foret (v. g. te duco *quia* vel *quae* es virgo, vel quia mecum peccatum commisisti, vel quia sterilitatem inique procurasti etc. S. Lig. (*VI 897*), Sanchez (*V.* XIX *2*).

Idem dic de matrimonio contracto *sub modo,* sive sit honestus sive sit turpis (v. g. te duco *ut* mihi inservias, vel me adiuves in furtis etc.).

Idem dicunt aliqui, quamvis modus esset contra substantiam matrimonii (v. g. te duco *ut* adulterando quaestum facias); sed S. Lig. (*l. c.*) censet probabilius esse oppositum, quamvis enim modus non sit conditio sine qua non, tamen qui sic contraheret non censeretur habere intentionem contrahendi verum matrimonium, de cuius essentia est obligatio fidelitatis. At vero (ego dico) in casu haec obligatio non excluderetur, etsi ex perversitate eius transgressio desideraretur.

Denique matrimonium contractum *cum designatione diei* (v. g. duco te hodie pro cras) non statim perficitur, sed usque ad tempus designatum suspenditur.

Appendix

De matrimonio civili et de divortio civili.

1061. *Quid de* ***matrimonio civili?***

I. Quamvis matrimonium civile in conscientia nihil valere possit, atque adeo, ex se solo, tamquam merus concubinatus habendus sit; tamen, si coniungatur cum matrimonio ecclesiastico, licite contrahitur; imo, ita suadente Ecclesia (Instruct. S. Poen. *15 Ian. 1886* apud Acta *I 508*), et praecipientibus Episcopis, **contrahi debet;** idque non solum ad evitandas vexationes et poenas (quae forte a Gubernio statutae fuissent); sed etiam (imo praecipue) ad consulendum prolis et matrimonii ipsius civili legitimitati (secus enim damnosissimae sequerentur consequentiae); atque insuper ad magis avertendum polygamiae periculum. (*Instruct. cit. n. 5*).

Si autem coniuges matrimonium civile celebrare nollent, aut propter impedimentum (legis civilis proprium) non possent, tunc *recurrendum esset ad Ordinarium*, qui cum maxima cautela procedere, et in casibus difficilioribus S. Sedem consulere deberet. (Cf. *Instruct. cit. n. 5*, et *De Occasionariis Ed. V n. 118*).

II. Matrimonium civile celebrari debet **post ecclesiasticum;** non vero ante, nec de promissionibus fidendum erit. Si tamen coactio aut absoluta necessitas hunc ordinem invertendi interveniret, tunc omni diligentia utendum esset, ut matrimonium ecclesiasticum quamprimum contraheretur, atque interim contrahentes separati consisterent. (*Instruct. cit. n. 7*).

III. Fideles actum civilem complere debent ea tantummodo **intentione,** ut civilem caeremoniam exequantur. (*Instruct. cit. n. 5*).

IV. De **prole** nata ex matrimonio mere civili *quoad speciales solemnitates in baptismo,* vide *vol. IV n. 906.*

V. De **benedictione post partum** quoad mulierem solo matrimonio civili coniunctam; vide *vol. IV n. 427 in fin.*

VI. Quomodo se gerere possit **Syndicus,** casu quo assistere debeat matrimonio illorum, qui verum matrimonium coram parocho contrahere nolunt aut non possunt; de hoc vide dicta (*Vol. II n. 250*) et cl. Gennari (*Consult. XLI*).

1062. *Quid de* ***divortio civili?***

I. Divortium potest esse 1° *ecclesiasticum* vel *civile,* secundum quod ab Ecclesia aut a sola potestate civili decernitur vel permittitur.

II. Potest esse *plenum*, scilicet declarando solutum matrimonium et proinde dando facultatem alias nuptias contrahendi; aut *semiplenum* (quod civiliter dicitur *separatio corporum*), scilicet solum quoad lectum, tectum et bona (quod a canonistis dicitur quoad torum et habitationem).

III. Ecclesia, propter adulterium, saevitias aliasque causas (vide *vol. II. n. 901. 926*) permittit semiplenum; non vero plenum et quoad vinculum (si matrimonium fuerit consummatum), quod nec permittit nec permittere potest.

IV. Sed quid de legibus civilibus quoad divortium?

Lex civilis alicubi (sicut apud nos) permittit divortium semiplenum tantummodo, et quasi iuxta praedictos iuris canonici terminos. Dico *quasi;* et hac de re vide *Vol. II n. 924*).

In aliis locis (ob easdem causas) permittit etiam divortium plenum (intellige semper civiliter atque ad destructionem vinculi civilis): sed aliter et aliter; alicubi enim permittit ut peti possit divortium plenum, sed non semiplenum tantummodo (prout accidit in Anglia, Germania, Helvetia et America septentrionali); alibi autem (nempe in Gallia et in Belgio) permittit ut ob causas ipsas peti valeat alterutrum pro libitu; sed ita ut, si petitum et obtentum fuisset divortium semiplenum, post tres annos, aut reconciliatio aut divortium plenum exigi possit. (Cod. gallic. et cod. belgic. *A. 310*).

V. Legibus sic stantibus, possuntne coniuges in conscientia recurrere ad iudicem civilem ut divortium obtineant?

Si ageretur de recursu pro divortio dumtaxat semiplено, apud nos obstare posset solum incompetentia tribunalis, quum enim matrimonium sit sacrum, iudices saeculares per

se non essent competentes; sed in hoc Ecclesia facile dispensat; ex una parte enim ipsa hodie mediis coactivis destituitur, et ex alia (maxime a parte uxoris) vera et subinde gravissima urgere potest necessitas separationem iudicialiter (atque adeo efficaciter) obtinendi. Haec autem Ecclesiae dispensatio non semper et ubique in singulis casibus expressa esse debet, sed alicubi in certis circumstantiis, iam omnibus permittitur.

1063. Sed quid si in loco non semiplenum sed plenum tantummodo divortium peti posset; aut, transactis tribus annis pro semipleno concessis, iam ad continuandam separationem, divortium plenum peti deberet? Casus tunc valde gravis evaderet; quamvis enim v. g. uxor cum rectissima intentione et absque voluntate novas nuptias contrahendi divortium huiusmodi peteret, maritus coram lege civili liber remaneret, novasque nuptias civiles, etsi non cum adultera (quod a lege ipsa interdici solet) contrahere posset. Nihilominus non dubito asserere quod causae possunt esse adeo graves, ut Episcopus tunc quoque licentiam recurrendi ad iudicem civilem concedere valeat. Ita profecto senserunt etiam alii, iique gravissimi theologi, v. g. Lehmkuhl (*II 701 in nota*), Palmieri (*Op. th. De matrim. 818 et sqq.*), et Génicot, qui (*II 562*) scripsit: « Quan« doque gravissima mala, puta, liberorum educatio patri « impio a tribunali committenda etc., vitari non possunt, « nisi pars catholica non tantum separationem (corporum), « sed verum divortium petat. In hoc casu censemus id « probabilius licere; coniux enim non tenetur ad patienda « gravissima mala, ut vitet sat leve damnum commune, « quod ex eius petitione fluat ». Et addit: « Saepius li« cebit petere divortium in regionibus, quarum leges sepa« rationem praedictam non continent.... Etenim crebrius « ibi continget, nullum aliud suppetere medium ad obti« nenda gravissima bona, ad quae coniux ius habeat ».

1064. Et profecto divortium civile non est res intrinsece mala (prout aliqui dixerunt); est enim destructio non iam vinculi coniugalis veri (quae utique esset intrinsece mala: *quod enim Deus coniunxit, homo non separet*); sed solum vinculi civilis et matrimonii civilis: sicut enim

non erat intrinsece malum illud non contrahere, sic non est intrinsece malum illud dissolvere. Utique (propter pericula et mala quae secus subsequerentur) etiam matrimonium civile exigitur; sed, sicut intervenire possunt causae quae excusent ab illo celebrando, sic etiam intervenire possunt causae quae permittant ut dissolvatur. Si autem tali dissolutione coniux iniquus abutatur atque aliud matrimonium attentet, ipse viderit. Hoc autem confirmatur etiam a S. Poenitentiaria, quae *30 Iun. 1892* (teste Génicot *l. c.*) interrogata num maritus aliquis posset petere divortium ab uxore adultera, intendendo tantum abrumpere effectus mere civiles, cum nullum aliud medium suppeteret obtinendi repudiationem paternitatis circa filios adulterinos, horumque exclusionem a parte prolis legitimae, respondit: « Orator consulat probatos auctores ». Plures autem eosque probatos auctores (mox supra citatos) opinari ob gravissimas causas licere divortii petitionem, satis notum erat S. Poenitentiariae.

VI. *Poteruntne* ***iudices*** *divortii causas pertractare, atque ad tenorem legis civilis in loco vigentis sententiam ferre?*

Imprimis ad ferendam sententiam pro divortio nihil obstare posset, si matrimonium ecclesiasticum nullo modo aut non valide contractum fuisset. Attamen tunc etiam difficultas interveniret si contra divortium sententia ferenda esset.

Supponendo autem quod divortium petatur ab illis qui nedum civili, sed etiam ecclesiastico matrimonio iunguntur, oportebit certe quod iudex obtinuerit facultatem ab Episcopo; qui (si ageretur de sententia danda in favorem divortii) cautissime procedere deberet non solum si de pleno, sed etiam (speciatim propter circumstantiam *n. 1062 IV* indicatam) si de semipleno divortio res esset.

Aliquando tamen facultatem ipsam concedere posset atque deberet, ex una parte enim non agitur (ut dixi) de re intrinsece mala, et ex alia causae gravissimae occurrere possent; idque patet etiam ex praxi Episcoporum, qui (v. g. in Belgio, in Gallia etc.) huiusmodi facultates (non tamen indiscriminatim) concedunt (Cf. Gasparri *De Ma-*

trim. n. 1238); nec dissentit S. Sedes, ut patet speciatim ex responso S. Poenitentiariae, quae (*24 Sept. 1887*) dixit: « Episcopus in hoc casu particulari... tolerare posse etc. » Agebatur autem de pronuntianda sententia divortii quoad solos effectus civiles, ne magistratus catholicus officio spoliatus remaneret. Vide Ballerini-Palmieri *Tr. X Sect.* VIII *n. 825. 5°*, ubi notatur quod verbum *tolerare* significat veram permissionem, quae conscientiam quietet.

Tota difficultas reducitur ad determinandos casus, in quibus huiusmodi facultas iudicibus concedi possit. Sed in theoria id determinare difficile est. Dicam tamen quod circumstantiae quae concessioni favent, sunt speciatim sequentes: 1° Si persona divortium petens versetur in vera et gravissima necessitate illud obtinendi, nec profecto ullo modo habeat intentionem alias nuptias contrahendi. 2° Si etiam ab hoc casu praescindatur, sed viri probi et catholici, cum magno damno publico, cogerentur abstinere ab acceptando et exercendo officio iudicis, si huiusmodi sententias ferre non possent. 3° Si iam nullum scandalum interveniret, eo quod a tempore longissimo (v. g. a plus quam centum annis, ut in Belgio) lex divortii adesset, et iudices has sententias ferrent, iam scientibus catholicis quo sensu intelligi debeant; vel permitteretur ut textualiter in sententia adderetur quod coram Deo transitus ad alias nuptias interdictus remanet sicut antea etc. Specialissima autem (uti patet) difficultas interveniret si (prout alicubi contingit) lex exigeret ut in ipsa sententiae formula diceretur, personam iam esse liberam aliudque matrimonium contrahere posse. Utique de libertate solum coram lege civili hoc intelligi deberet; sed scandalum pusillorum valde difficilius tunc eliminari posset.

ARTICULUS V.

De matrimonii revalidatione.

1065. *Quid si, matrimonio iam celebrato, confessarius animadvertat illud esse nullum?*

In aliquo casu raro procurandum ut putativi coniuges separentur omnino, et per sententiam Episcopi statum libe-

rum obtineant; sed saepius vel eos relinquere in bona fide, vel ad matrimonii revalidationem procedere oportet.

Confessarius considerabit praecipue an sint in bona vel mala fide; an matrimonium revalidari possit vel non possit; an a brevi vel longo tempore matrimonium contraxerint; an prolem habeant vel non habeant; an vivant in pace vel non; an de re occulta vel notoria agatur; et ex his aliisve circumstantiis determinabit quid sit agendum.

1066. ***Quibus in casibus** potest habere locum **revalidatio?*** Interdum 1° Si possit obtineri dispensatio. 2° Si impedimentum, quod aderat ab initio, postea ex sese cessaverit. 3° Si matrimonium fuisset invalidum ex defectu consensus. 4° Si fuisset invalidum ex non servata forma Tridentini circa parochum et testes.

1067. ***Quotuplici modo** potest convalidari seu sanari matrimonium?* Resp. 1° *Modo ordinario* (renovando consensum certiorata parte). 2° *In radice*, atque adeo parte minime certiorata, et consensu (saltem ab utroque coniuge) minime renovato. Sed haec sunt explicanda.

PUNCTUM I.

De revalidatione matrimonii modo ordinario.

1068. *Quid de revalidatione matrimonii modo ordinario **in casu dispensationis obtentae** ab aliquo impedimento, v. g. consanguinitatis, aut affinitatis, aut publicae honestatis, aut criminis etc.?*

Vel impedimentum iam est aut facile reddi potest publicum (ut consanguinitas aut affinitas ex copula licita), vel est atque remansurum est occultum (prout ordinarie accidit in affinitate ex copula illicita).

Dispensatione obtenta, consensus in primo casu coram parocho et testibus (quamvis privatim), et in secundo sine iisdem et secreto renovari debet. Cf. Génicot (*n. 538*).

1069. *Quid notandum pro casu, in quo sufficit **renovare consensum secreto** sine parocho et testibus?*

Olim S. Poenitentiaria dicebat sic et simpliciter: *certiorata parte;* et lis erat inter theologos an haec certioratio exigeretur iure naturae, an vero solum iure positivo, et an pro valido; qua de re vide S. Lig. (*n. 1115 et sqq.*).

Nunc autem ex una parte iam certum est quod haec certioratio non exigitur iure naturae, ut patet ex tot sanationibus quae conceduntur in radice; et ex alia S. Poenitentiaria dicit: « Monito poenitente de necessaria secreta « renovatione consensus, sed ita caute ut ipsius poenitentis delictum nusquam detegatur. Et, quatenus haec certioratio absque gravi periculo fieri nequeat, renovato « consensu iuxta regulas a probatis auctoribus traditas ».

Inter regulas autem a probatis auctoribus traditas, certe est etiam regula quae traditur a S. Lig. (*n. 1117*) dicente quod, si alii modi non possent adhiberi vel essent periculosi, sufficit copula coniugalis affectu maritali habita. Hoc autem sanationi in radice fere aequivalet. Cf. Génicot (*n. 593. 2°*).

1070. *Quid de revalidatione matrimonii casu quo* ***impedimentum a seipso cessasset,*** *et proinde* ***dispensatione opus non esset?***

I. Casus contingere posset in impedimento aetatis (iam adventa pubertate), ligaminis (subsecuta morte prioris coniugis), disparitatis cultus (suscepto postea baptismo), raptus (data libertate), impotentiae (illa evanescente, iuxta dicta *n. 875* v. *Debet esse 3°*). etc.

II. Si factum esset publicum (prout ordinarie contingeret), tunc oporteret renovare consensum coram parocho et testibus; si vero esset occultum (prout contingere posset speciatim in impotentia), tunc consensum ipsum occulte (ut dixi *n. 866*) renovare sufficeret. Cf. Gasparri (*n. 1124-1140*) et Génicot (*n. 539. 3°*).

1071. *Quid de revalidatione matrimonii quod contractum fuisset (coram parocho et testibus)* ***invalide ex defectu consensus?***

I. Casus contingit si matrimonium contractum fuisset ex metu, vel ex errore substantiali, vel cum conditione non verificata, vel cum intentione contraria substantiae matrimonii, vel ficte et ludicre.

II. Tunc nulla exigitur dispensatio. Oportet solum renovare consensum; sed quomodo? Si casus esset publicus seu notorius, iterum adhiberi deberent parochus et testes. Si vero casus esset occultus, tunc sufficeret consensum

renovare privatim, a parte utriusque si defectus fuisset in utroque, et a parte unius si (prout ordinarie contingit) unus tantummodo sine vero consensu contraxisset; dummodo alter illum positive non revocasset (quod practice vix unquam contingere solet). Vide dicta (*n. 866 et 1042*).

1072. *Quid de revalidatione matrimonii, quod contractum fuisset invalide* ***ex defectu formae*** *Tridentinae?*

I. Casus contingeret si in ipsa forma Tridentina (quae adhiberi intenderetur) defectus substantialis intervenisset, vel si matrimonium mere civile contractum fuisset.

II. Si putativi coniuges parati essent remedium apponere, adhibendo formam Tridentinam legitimo modo, tunc nulla exigeretur dispensatio, et matrimonium coram parocho et testibus contrahi deberet sive publice sive occulte, secundum quod publicus vel occultus defectus fuisset.

Si autem, contracto matrimonio civili, una pars consentiret quidem sistere se coram parocho et testibus, sed non alia; tunc recurrendum esset ad dispensationem in radice, quae interdum conceditur quamvis tentari posset ut per litteras vel procuratorem matrimonium coram ipso parocho celebraretur. Génicot (*n. 536*).

Sed si neuter esset dispositus matrimonium contrahere in forma Tridentina, et ambo ab illo inique abhorrerent, tunc (ordinarie) nullum superesset remedium.

PUNCTUM II.

De dispensatione in radice.

1073. ***Quid est*** *dispensatio in radice, et* ***in quo differt*** *a dispensatione ordinaria?*

I. Est illa quae ad sanandum matrimonium invalide contractum, et cui nunc nullum impedimentum iuris naturalis vel divini obstet, ita conceditur ut consensum (qui tamen perduret) a parte utriusque renovare, atque adeo partem nullitatis ignaram aut non persuasam certiorare non oporteat; ipsum autem matrimonium quoad prolis legitimationem aliosque similes effectus perinde habeatur,

ac si validum fuisset iam inde ab initio vel ex tempore quo impedimentum iuris naturalis aut divini (si forte adfuisset) cessaverit.

II. Differt a dispensatione ordinaria, quia in ordinaria oportet ut ambo consensum renovent (saltem privatim), et quidem ita ut pars nullitatis ignara, de nullitate ipsa certioretur.

III. Per sanationem in radice matrimonium fit validum partim *ex tunc*, scilicet a tempore quo contractum fuit; et partim *ex nunc*, scilicet a tempore quo dispensatio applicatur seu fulminatur. Quoad legitimationem prolis valet *ex tunc;* sed in se ipso (quidquid in contrarium aliqui dicant) solum *ex nunc* valere potest. Scripsit Bened. XIV (Cost. *Etsi matrimonialis*) : « Per eam (sanationem in ra-
« dice) non fit ut matrimonium nulliter contractum non
« ita fuerit contractum, sed effectus de medio tolluntur,
« qui ob huiusmodi matrimonii nullitatem ante indultam
« dispensationem, atque etiam in ipso contrahendi actu,
« producti fuerunt ». Cf. Gasparri (*n. 1149*) et *Monitore* (*XII 75*).

1074. *Dispensatio in radice* ***a quonam conceditur?***

I. Conceditur a Summo Pontifice per S. C. S. Officii pro casibus publicis; et per S. Poenitentiariam pro occultis.

II. Si timeretur ne casus occultus evasurus esset publicus, tunc id in supplicatione ad S. Poenitentiariam directa exprimi deberet, ut dispensatio pro foro nedum interno sed etiam externo valere posset. (Scavini *IV. n. 554*).

III. Qui obtinuerunt facultatem dispensandi ab aliquo impedimento, non ideo dispensare possunt in radice, nisi expresse concessa fuisset haec quoque facultas, quae (ut ex praxi Ecclesiae patet) speciali mentione indiget. Qui autem habent facultates S. Poenitentiariae, ab impedimento affinitatis (ex copula illicita) et criminis (iuxta dicta *1019. 6°*) dispensare quidem poterunt, idque etiam (si aliter fieri nequiret) non certiorata parte et solum habendo copulam affectu coniugali (Cf. *n. 1066*); sed haec stricto sensu dispensatio in radice minime esset; quamvis ab illa parum differret.

IV. In locis ubi abundant matrimonia civilia, Episcopi habere solent facultatem delegatam dispensandi etiam in radice, sed nunc solum pro restricto casuum numero.

1075. *Quinam sunt* ***casus practici,*** *in quibus dispensatio in radice obtineri potest?*

I. Quando matrimonium contractum fuerit in faciem Ecclesiae, sed invalide: pars autem impedimenti inscia certiorari nequeat. Equidem tunc sufficere posset dispensatio ordinaria habendo copulam affectu coniugali (ut modo dicebam): sed nihilominus dispensatio quoque stricto sensu *in radice* concedi solet.

II. Quando in paroecia vel dioecesi, propter errores in petendis vel exequendis dispensationibus commissos, adsint multa matrimonia invalida; tunc enim sanantur in globo, ita tamen ut rescriptum in curia et in loco patenti servetur. *Monitore* (*XII 74*).

III. Interdum etiam quando neuter ex putativis coniugibus cognoscit impedimentum atque adeo ambo sunt in bona fide, S. Sedes concedit dispensationem in radice.

Sed tunc non raro potius respondet ut in bona fide relinquantur; idque non solum pro casu in quo neuter sine periculo certiorari possit, sed etiam pro casu in quo, attentis circumstantiis, videretur expedire, ut (quandoquidem usus matrimonii esset sine peccato formali) matrimonium ipsum remaneat invalidum, quia si forte infaustum futurum sit, ipsi putativi coniuges facilius separari et statum liberum obtinere possint. *Monitore* (*l. c.*).

IV. Hodie autem casus magis frequens, in quo obtinetur dispensatio in radice, est ad sananda matrimonia civilia, et maxime occasione sacrae missionis.

1076. ***Quid exigitur*** *ut dispensatio in radice valida esse possit?*

Exigitur I. ut subsistat forma matrimonii; certe enim unio mere fornicaria vel concubinaria radix sananda esse nequiret. Sufficit tamen forma civilis. Sufficeret etiam quaelibet alia forma matrimonialis; sed, apud nos si non adsit saltem forma matrimonii civilis, S. Sedes dispensationem non concedit. Oportet autem ut matrimonium sive ecclesiasticum sive civile exterius in suo genere validum fuerit,

1077. Dubium esse posset circa matrimonia civilia celebrata in locis, ubi iuxta leges civiles, divortium plenum (scilicet etiam quoad vinculum) permittitur.

Certe tunc sanari nequiret matrimonium 1° si uterque aut alteruter contrahens absolute et ad modum conditionis sine qua non, cum iure ad divortium illud celebrare intendisset; 2° si in formula celebrationis (ad similitudinem matrimoniorum, quae iuxta ritualia Calvinistica celebrantur) ius ipsum ad divortium exprimeretur. Vide Bened. XIV (*De Syn. L. XIII C.* XXII *n. 9*).

Sed, praescindendo ab his duobus casibus, propter praesumptam intentionem praedominantem contrahendi verum matrimonium (iuxta dicta *n. 1045 II*), radix sanabilis adhuc subsisteret; et de hoc iam nullum dubium haberi potest, quandoquidem S. Sedes in dictis quoque locis in radice dispensare solet. Exemplum prostat apud Génicot (*n. 541 in nota*).

1078. Alia difficultas esse posset pro casu quo matrimonium civile contractum fuisset solum tamquam mera caeremonia cum intentione contrahendi postea verum matrimonium ecclesiasticum, quod tamen reapse contractum non fuisset.

At vero radix sanabilis tunc etiam subsisteret, quia, cessante intentione celebrandi matrimonium ecclesiasticum, subintrasset intentio convivendi non iam in concubinatu sed in matrimonio civili. Et reapse S. Sedes tunc quoque in radice dispensat. *Monitore* (*XII 70 in not.*).

1079. Exigitur II. Ut, saltem actu quo dispensatio applicatur, subsistat consensus matrimonialis. Qua de re notanda sunt sequentia.

1°) Si consensus matrimonialis adfuit ab initio (prout ordinarie contingit), tunc sufficit (intellige nisi in rescripto aliud exigatur) quod consensus ipse habitualiter perduret, nec fuerit retractatus. Auctor operis *Istruzione per i novelli confessori* (*P. II C.* XV *n. 326*) innuit quod consensus non perduraret si matrimonii contracti coniugem poenituerit; sed hoc falsum est; talis enim animi dispositio non retractaret consensum, sed solum efficeret ut coniux illum retracturus esset si de matrimonii ipsius invaliditate notitiam haberet vel dubium conciperet; idque confirmatur quia dispensationes huiusmodi ex hoc ipso concedi solent, quod pars invaliditatis ignara a matrimonio recessura esset, si illam cognosceret. Consensus itaque retractari posset ab eo qui iam advertisset matrimonium suum (v. g. civile) fuisse invalidum, vel de matrimonii validitate dubium concepisset et diceret: *Si matrimonium fuit invalidum, volo liber remanere.* Sed, perseverante persuasione validitatis matrimonii, practice vix concipitur quomodo, praeter desiderium inefficax illud solvendi, quidquam ultra, et maxime positiva consensus matrimonialis retractatio, intervenire posset; ut bene notat Gasparri (*n. 1156*). Hinc non sufficeret si coniuges in discordia viverent, vel etiam a toro et habitatione divortium fecissent: imo nequidem sufficeret si status liberi declarationem postulassent, quam adhuc non obtinuissent.

2°) Non obstaret revocatio consensus, si ille postea denuo appositus fuisset. Gasparri (*l. c.*).

3°) Hinc non obstaret si consensus remansisset inefficax, prout iam semper (stante nullitate matrimonii) inefficax esset. Insuper non obstaret si alteruter nullitatem matrimonii cognovisset, et nihilominus affectu coniugali simul habitare perdurasset; et iam hic est casus practicus in quo dispensatio in radice concedi solet. Ratio est quia consensus in matrimo-

nium (per quantum est a parte solius iuris naturalis) in his casibus semper persisteret. Gasparri (*n. 1130. 1156*).

1080. Exigitur III. Ut actu dispensationis nullum iuris naturalis aut divini (a quo utique Ecclesia dispensare nequit) impedimentum subsistat.

Dixi *actu dispensationis;* non enim obstaret si aliquod huiusce generis impedimentum subsisteret quando matrimonium celebratum fuit, et postea evanuisset. Titius, v. g. contraxit matrimonium civile cum Bertha, vivente adhuc uxore sua Livia quacum ecclesiasticum tantummodo matrimonium contraxerat; Bertha autem, mortua Livia, sanationem in radice (scilicet a tempore mortis Liviae) petit. E contra autem obstaret si impedimentum iuris naturalis aut divini non adfuisset quidem actu celebrationis matrimonii, sed postea supervenisset. Caius, v. g. matrimonio contracto, operationem chirurgicam subiit, quo eunuchus evasit. Vide *Monitore* (*XII pag. 11 et 77*).

1081. Exigitur IV. Ut petitio non fuerit invalida; vitia enim subreptionis vel obreptionis, quae obstant validitati dispensationis ordinariae, obstant etiam validitati dispensationis in radice. Hinc si, obtenta dispensatione propter aliquod impedimentum, postea aliud impedimentum detegeretur, esset iterum recurrendum.

1082. Exigitur V (intellige pro casu matrimonii civilis) ut non solum una pars recurrat (secus enim S. Sedes responderet *oret pro iis*), sed etiam ut alia media omnia prius frustra tentata fuerint. Vide litteras encyclicas S. Poenitentiariae (*12 Aug. 1882*) quas retuli in opere *De Occasionariis* (*n. 147*).

1083. *Quid de dispensationibus in radice* ***quoad effectus?***

I. Producit duos effectus, nempe 1° sanat matrimonium; 2° legitimat prolem. Primum *ex nunc*, et secundum *ex tunc*, prout explicavi mox supra (*n. 1073 III*).

II. Quoad legitimationem prolis, notanda sunt sequentia.

1°) Haec legitimatio provenit ex sese, quin scilicet opus sit speciali indulto, aut expressa declaratione (quae subintelligitur, et nihilominus ad abundantiam, apponi potest et solet). *Monitore* (*XII 74*).

2°) Respicit prolem susceptam dum obstaret tantummodo impedimentum iuris ecclesiastici, non vero naturalis aut divini.

3°) Producit directe effectus canonicos, ut scilicet filius

habeatur legitimus quoad ordines sacros, professionem religiosam etc.

4º) An producat etiam effectus civiles, quaestio esset otiosa si matrimonium civile iam contractum fuisset. Illo autem non contracto, casus (meo sensu) resolvi deberet iuxta supra dicta (*Vol. III n. 1418 et seqq.*).

1084. *Estne aliquid aliud notandum* ***circa modum supplicationis, executionem rescripti, et memoriam authenticam?***

I. *Supplicatio* semper dirigitur ad Summum Pontificem (etsi per organum S. Poenitentiariae vel S. Officii, ut supra). In illa exprimi debet an consensus matrimonialis ab initio adfuerit, et perseveret ab utraque parte; an partes fuerint necne in bona fide: quaenam sint causae pro sanatione; praeter alia quae pro ipsa impedimenti dispensatione indicanda sunt. Gasparri (*n. 1161*).

II. *Executor* sedulo servet clausulas in rescripto appositas.

III. Pro fulminatione sanationis non est determinata formula specialis, sed posset esse sequens: *Ego auctoritate Apostolica mihi concessa matrimonium a te contractum cum N. in radice eius sano, prolemque susceptam et suscipiendam legitimam declaro. In nomine Patris, et Spiritus Sancti. Amen.*

IV. Sanationum pro solo foro conscientiae nulla *memoria* servatur; at sanationum pro foro externo memoria in forma authentica servari debet in Curia, vel in libro parochiali matrimoniorum. Gasparri (*l. c.*).

TRACTATUS V.

De censuris

Agendum est 1° De censuris in genere; 2° De tribus censurarum speciebus; 3° De censuris particularibus nunc vigentibus.

Sectio I.

DE CENSURIS IN GENERE.

Agendum est de censurarum 1° natura et divisione; 2° auctore; 3° subiecto; 4° conditionibus; 5° absolutione.

CAPUT I.

DE CENSURARUM NATURA ET DIVISIONE.

1085. ***Quid est** censura?* Est vinculum, quod secum fert poenam spiritualem medicinalem, qua homo baptizatus delinquens et contumax, per potestatem ecclesiasticam quorumdam spiritualium bonorum usu privatur. Huiusmodi sunt excommunicatio, suspensio et interdictum.

Poena itaque censurae est *medicinalis,* quatenus, etsi deservire possit ad punitionem (et sic participare de poena vindicativa), tamen principaliter tendit ad *praeservationem* (ut scilicet quis abstineat a delicto nondum commisso), vel (si illud iam commiserit) ad *emendationem* (quam adhuc non praestet) et *poenitentiam.* Hinc censura semper exigit *contumaciam,* nunquam scilicet incurritur nisi prius cognoscatur; et, subsecuta emendatione atque poenitentia, statim absolutio obtineri potest; quod non accidit in poenis mere vindicativis, quae possunt infligi quamvis prius non fuerint comminatae, et perdurare (sive perpetuo sive usque ad tempus definitum) quamvis emendatio subsecuta fuerit. Exemplum habes in *degradatione;*

et subinde etiam in suspensione, quae, etsi ordinarie ad modum censurae infligatur, interdum ad modum poenae mere vindicativae ad tempus definitum infligitur. Idem dic de interdicto.

1086. *Quaenam sunt principales censurarum* ***species?***

I. *Excommunicatio, suspensio* et *interdictum* (ut supra dicebam).

II. *Latae sententiae* (scilicet incurrendae ipso facto et actu delicti), et *ferendae sententiae* (scilicet incurrendae post sententiam iudicis).

Generatim censura erit *latae sententiae* 1° Si verba excludant alterius cuiuscumque ministerium, dicendo, v. g. *ipso facto, ipso iure, eo ipso, nunc pro tunc, sine alia sententia* etc. 2° Si verba sint temporis praesentis vel praeteriti, v. g. *excommunicamus, excommunicavimus* etc. 3° Si verba sint modi imperativi quin possint habere sensum interventus alterius v. g. *incidat in excommunicationem, remaneat suspensus, interdictus* etc.

Erit autem ferendae sententiae 1° Si verba alterius operam expostulent, v. g. *excommunicetur, suspendatur* (maxime si addatur: *per Episcopum*). 2° Si sint comminatoria tantum, v. g. *praecipimus sub interminatione anathematis*. 3° Si tempus futurum exprimant, v. g. *excommunicabitur*. Caeterum consideranda sunt adiuncta. Et in dubio benignior interpretatio (ordinarie) fieri debet.

III. *A iure* (scilicet inflictae in lege stabili quae etiam post mortem legislatoris perdurare debeat), et *ab homine* (scilicet inflictae a Superiore sive relate ad personas particulares, sive etiam relate ad subditos omnes; sed per dispositionem transitoriam aut saltem non duraturam post eius mortem).

V. *Notoriae* et *occultae. Iustae* vel *iniustae. Validae* vel *invalidae.*

CAPUT II.

DE CENSURARUM AUCTORE; SCILICET QUISNAM CENSURAS INFLIGERE POSSIT, ET CONTRA QUOSNAM.

1087. ***Quisnam*** *potest ferre censuras?*

I. *Iure ordinario*, quilibet superior ecclesiasticus qui habeat iurisdictionem in foro iudiciali; unde etiam Praelati Regulares, et Vicarii generales (nisi Episcopus exceptionem fecerit) censuras ferre possunt iure ordinario; non vero parochi. Cf. Gury (*n. 943*).

II. *Iure delegato*, omnes et soli clerici, quibus talis facultas ab Ordinario concessa fuerit. Ita profecto statutum fuit in iure canonico.

Attamen Summus Pontifex hanc facultatem in rigore laicis quoque (et fortasse etiam feminis, v. g. Abbatissis) concedere posset.

Delegatus autem, alium (seclusa speciali facultate) subdelegare nequiret: eiusque potestas morte delegantis, re integra, cessaret. Gury (*l. c.*).

1088. *Si Superior esset haereticus, vel excommunicatus, vel suspensus, possetne valide ferre censuras?* Affirmative si esset occultus, vel toleratus (etsi notorius). Negative si foret vitandus (scilicet talis nominatim denuntiatus). Gury (*n. 944*).

1089. *An possit ferre censuras* ***Episcopus extra dioecesim?*** In iudicio formali (seu, ut aiunt, cum strepitu iudiciali) sine licentia Episcopi loci, negative. In aliis casibus, affirmative. Gury (*n. 945*).

1090. *An* ***subditus degens extra dioecesim*** (*vel in loco exempto*) *censuris Episcopi sui ligetur?*

Quod dioecesani etiam extra dioecesim degentes, censuris Episcoporum suorum subiici *possint*, certum est; non enim cessant esse subditi.

An autem *de facto iis subiiciantur*, pendet ab Episcoporum ipsorum voluntate: et valent regulae sequentes.

I. Dioecesani qui *intra dioecesim* commiserint delictum censura mulctatum, si censura sit *latae sententiae*, illam statim incurrunt, secumque deferunt extra dioecesim migrantes; si vero sit *ferendae sententiae*, videndum an haec sententia feratur; quae utique ferri posset quamvis subditus extra dioecesim esset, nec obstat quod citatio extra territorium fieri nequeat; tunc enim sufficit quod reus in propria domo aut in loco publico citetur.

II. Si dioecesani *extra dioecesim* (vel in loco exempto) committant delictum censura mulctatum, videndum an censura lata fuerit per legem, an vero per praeceptum.

III. Si lata fuerit per legem vel statutum pro dioecesi generale; tunc *ordinarie* illam non incurrunt subditi extra dioecesim degentes atque illuc delinquentes.

Ratio est quia Episcopi praecipue de amovendis inordinationibus quae accidunt in dioecesi sua, et valde minus de illis quae alibi (etsi opera subditorum suorum) accidunt, solliciti esse tenentur. Adde quod in Iure canonico (*Cap. Ut animarum 2 de Const. in 6°*) legitur: « Statuto Epi-« scopi, quo in omnes qui furtum commiserint excommunicationis sententia « promulgatur, subditi eius furtum extra ipsius dioecesim committentes

« minime ligari noscuntur, cum extra territorium ius dicenti non paretur « impune ».

Dixi *ordinarie;* nam excipe 1° si ageretur de delicto *circa rem ad dioecesim spectantem* atque inordinationem in ipsa producentem (v. g. delinquendo contra residentiam vel interventum ad synodum). 2° Si subditus *in fraudem legis* extra migrasset. 3° Si non de dioecesano, sed *de Regulari* ageretur; Praelati Regulares enim de singulis subditis (ubicumque existant) multo magis quam Episcopi solliciti esse debent; unde dicitur quod leges Regularium magis personales quam territoriales esse censentur. (S. Lig. *VII 20*).

IV. Si censura lata fuerit *per praeceptum particulare,* tunc theologi non conveniunt. Equidem communius dicunt, praeceptum sequi personam sicut umbra corpus, et proinde censuram incurri etsi subditus extra dioecesim praeceptum violet; sed alii non pauci contra sentiunt. Cf. Ballerini (*Op. th. XI 100*). Ego dicerem iuxta praesumptam Episcopi mentem iudicium esse ferendum; et proinde censuram incurri si valde intersit ut subditus etiam extra dioecesim sic coerceatur, non vero secus. Quid enim si actio ab Episcopo sic sub censura prohibita, in dioecesi sua esset valde scandalosa, sed alibi nullum scandalum praeberet?

1091. *An Episcopus possit censuram infligere* ***peregrinis*** *intra eiusdem Episcopi dioecesim delinquentibus?* Affirmative, quia *omnis delinquens sortitur forum loci in quo delinquit;* sed hoc intelligendum est solum si agatur vel de censura *ferendae sententiae* statuta de iure communi (Lugo *Resp. mor. VI.* XXII), vel de casu in quo peregrini quoque legibus localibus (v. g. propter scandalum et perturbationem publicam) subiiciantur.

1092. *An Episcopus possit censuram infligere* ***Regularibus,*** *sive sint Regulares veri nominis, sive ad pias votorum simplicium congregationes pertineant?*

Negative, si a iurisdictione Episcoporum (sive propter vota solemnia, sive propter speciale decretum apostolicum) sint exempti, et quoad illa in quibus sunt exempti.

Dico: *quoad illa in quibus sunt exempti:* multae enim sunt differentiae. 1° In quibusdam rebus, scilicet quoad Episcopi assensum circa praedicationem et confessionum auditionem, nec non quoad sacrarum imaginum expositionem, Episcoporum iurisdictioni (nulla prorsus exceptione facta) ita subiiciuntur, ut censuris quoque (Bucceroni *Instit. De cens. 10*). plecti possint. 2° Religiosi Societatis Iesu, et Mendicantes omnes (etsi forte hodie non amplius mendicent) scilicet Dominicani, Augustiniani (eremitae), Carmelitae, Servi Mariae, Minimi, et Franciscani omnes, possunt quidem in pluribus rebus subiici iurisdictioni Episcoporum ab iisque puniri; sed aliis poenis, non vero censuris. 3° Alii, in rebus in quibus non sunt exempti, puniri possunt ab Episcopis etiam per censuras.

Loquendo autem de illis, qui (sive quia nec vota solemnia nec exemptionis decretum speciale habeant, sive quia sint moniales subiectae iurisdictioni Episcopi) in nihilo sunt exempti, hi profecto aliis subditis aequiparantur, et proinde censuris quoque puniri possunt.

1093. *An valida sit censura, si Superior* ***ex metu gravi*** *ad illam infligendam coactus fuerit?* Controvertitur (Cf. Bucceroni *n. 21*); sed verior est sententia affirmativa, quia talis censura nullo iure positivo irritatur.

CAPUT III.

DE CENSURARUM SUBIECTO.

1094. ***Quisnam*** *censuris subiici potest?* Ut quis censuris subiiciatur oportet ut sit 1° baptizatus; 2° rationis compos; 3° subditus (saltem ratione delicti, ut supra).

1095. *An censuris subiiciantur* ***impuberes?*** Hi censuris non subiiciuntur; nisi in lege aliud expresse cautum sit, prout accidit quoad violationem clausurae ingrediendo monasteria monialium.

1096. *An censuris subiiciantur* ***Episcopi*** *et* ***Cardinales?***

Subiiciuntur solis censuris papalibus.

Attamen quoad suspensionem et interdictum, oportet ut de illis expressa mentio fiat. Cf. Bucceroni (*De Censuris n. 8*).

1097. *An censurae subiecta possit esse* ***integra communitas?***

I. Negative, quoad *excommunicationem*, nisi peccaverint omnes.

II. Affirmative *quoad suspensionem*, ita tamen ut innocentes (si qui sint) suspendantur solum quoad functiones totius communitatis proprias.

III. Affirmative quoad *interdictum*, cui subiiciuntur absolute etiam innocentes. Cf. Gury (*n. 950 q. 7*).

1098. *An possit quis ligari* ***pluribus censuris simul?*** Affirmative; et quidem ita ut 1° iterum atque iterum contrahatur v. g. excommunicatio, si iterum atque iterum committatur peccatum cui illa adnectitur; 2° propter unicum peccatum contrahi possunt plures censurae, sive quia in illo adsint circumstantiae specie diversae (v. g. si alicubi excommunicatione plecteretur homicidium; et quis clericum occidisset), sive quia unum idemque delictum tum papali tum episcopali censurae subiiceretur. Nec mirum; censura enim est *vinculum* quod utique multiplicari potest. Tunc autem absolutio unius censurae absolutionem alterius non includeret; sicut, pluribus subsistentibus vinculis, uno soluto, aliud remaneret. Gury (*n. 950*) et Ballerini (*Op. th. XI 109*).

1099. *An censuris episcopalibus subiiciantur dioecesani, si sint extra dioecesim?* Vide mox supra dicta *n. 1090*.

1100. *An* ***appellatio*** *legitima excuset ab incurrenda censura?*

Negative, si sententia lata fuerit absolute, aut si lata fuisset quidem conditionaliter sed conditio ante appellationem iam fuerit verificata. Appellatio enim in casu non est *suspensiva* sed solum *devolutiva*.

Affirmative, si sententia fuisset conditionata, et ante conditionis adventum appellatio fieret. S. Lig. (*n. 63*).

CAPUT IV.

DE CONDITIONIBUS REQUISITIS A PARTE PECCATI UT CENSURAE SUBIICIATUR.

1101. Ut peccatum censurae (veri nominis) subiiciatur, debet esse mortale, externum, perpetratum iuxta strictum sensum legis, coniunctum cum contumacia, et (si agatur de censura a iudice inflicta) nedum vere commissum sed etiam legitime probatum.

1102. *Explica primas duas conditiones:* ***mortale et externum.***

Mortale: scilicet tum in se, tum attentis circumstantiis et conscientia subiecti. Attamen censura non veri nominis (v. g. brevis suspensio ad modum poenae) etiam ob culpam levem infligi posset. Gury-Baller. (*n. 934*).

Externum: ita scilicet ut nedum aliquo modo, sed ut grave, exterius apparuerit.

1103. *Explica tertiam conditionem:* ***perpetratum iuxta strictum sensum legis.***

I. Nisi lex censurâ feriat actus incompletos, v. g. percussionem, conatum, procurationem etc., intelligi debet de actu completo, in suo genere consummato, et suo naturali effectu secuto. Sic homicidium secuta morte, et incestus copula perfecta consummatus intelligitur.

II. Nisi lex censurâ expresse feriat mandantes, consulentes, favorem praestantes, auxilium ferentes, ratum habentes etc., hi comprehensi non censentur. Excipe casum in quo, ita legem intelligendo, absurda sequerentur. Cf. Ballerini (*l. c. 135 et seqq.*).

1104. *Explica quartam conditionem:* ***coniunctum cum contumacia.*** Ut quis censuram contrahat, oportet 1° ut ante lapsum in peccatum, censurae ipsius cognitionem habeat, ut supra innui: neque dubio aut ignorantia excusetur (quod hic clarius explicari debet); 2° ut metus vel incommodum ad excusandum sufficiens non interveniat.

1105. *Quid notandum circa cognitionem censurae?*

I. Si censura sit *a iure* vel *per dispositionem generalem et latae sententiae,* sufficit si delinquens illam simpliciter cognoscat; quod etiam melius declarabitur infra.

II. Si sit *ab homine contra personam particularem* (v. g. ut sacerdos in hac vel illa re Episcopo obediat, aut ad illum se praesentet), tunc exigitur ut *trina monitio* (vel saltem unica, in qua explicite vel implicite exprimatur valere pro triplici, concesso tempore saltem sex dierum) praecesserit, ut scilicet delinquens prius emendari et sic censuram declinare possit.

III. Si sit *a iure sed ferendae sententiae,* tunc etiam probabilius, si delictum habeat tractum successivum, monitio exigitur.

IV. Non tamen necessario exigitur ut monitio *in scriptis* peracta fuerit. Ita multi contra S. Lig.

De his omnibus vide Ballerini (ad Gury *n. 941 not. c et a*) et Bucceroni (*De censur. n. 17*).

1106. *Quid in dubio?*

I. Quoad censuras *ab homine*, dubia circa sententiae iustitiam aut potestatem superioris nihil considerari debent, quia in favorem iudicis vel superioris praesumptio stat.

II. Quoad censuras latae sententiae quae sunt a iure, in dubio *iuris* (si nempe lex sit obscura et vere dubitandum sit an, iuxta sensum legis, in tali vel tali casu censura adsit) pro libertate stari potest ordinarie, quia odia sunt restringenda.

Dico *ordinarie,* quia non deest aliqua censura (v. g. excommunicatio canonis contra clericorum percussores) quae censetur favorabilis (nempe potius in favorem status clericalis, quam in poenam delinquentis), et proinde in dubio latam interpretationem admittit.

III. In dubio *facti*, in dubio scilicet an commissum fuerit peccatum cum illis circumstantiis (malitiae, gravitatis etc.) quae de iure exiguntur ut censura incurratur; tunc quoque pro libertate stari poterit. Cf. Gury (*n. 947 q. 7*).

1107. *Quid si lex sit quidem clara, sed delinquens censuram ignoraverit? An scilicet* ***ignorantia*** *a censuris incurrendis excuset?*

I. Hoc in puncto regula sumitur a Cap. *Ut animarum* (*De Const. in VI*) dicente: « Ut animarum periculis « obvietur, sententiis per statuta quorumcumque Ordina- « riorum prolatis ligari nolumus ignorantes: dum tamen « eorum ignorantia crassa non fuerit aut supina ».

Communi sensu haec regula intelligitur de quibuslibet censuris sive episcopalibus sive papalibus, atque extenditur ad ignorantiam non solum *iuris*, an scilicet pro tali delicto (v. g. percussione clerici) adsit censura; sed etiam *facti*, an scilicet tale factum sit illud quod scitur censura mulctari (v. g. an talis homo, qui percutitur, sit clericus).

II. Non itaque excusat ignorantia si sit *crassa* et *supina* (nisi in lege adsit verbum *scienter vel consulto* etc., ut infra declarabitur); non scilicet excusat ignorantia *facile vincibilis et proveniens a magna negligentia vel pigritia* inquirendi; dum nempe dubium suboritur, simulque facile et commode cognosci posset quod agitur de facto censura mulctato, et nihilominus ad veritatem cognoscendam nihil aut fere nihil fit. Cf. Palmieri (apud Baller. *Op. th. XI 149 not. a*).

III. Excusat e contra quaelibet alia ignorantia, quae crassa et supina minime sit. Idque sequenti modo explicatur.

Excusat ignorantia prorsus *invincibilis*, si nempe quis de censura nullum dubium concepisset, vel dubium omnino spernendum esse bona fide credidisset; nec obstaret si forte contra legem naturalem aut positivam se graviter delinquere cognovisset.

Ignorantiae autem aequiparatur *oblivio* et *inadvertentia*; unde censuram ne ille quidem incurreret qui de illa oblitus fuisset, vel propter inconsiderationem et inadvertentiam ad illam non reflexisset.

Ratio est quia censura (ut supra vidimus) principaliter est poena medicinalis, quae ad retrahendum a peccato deservire debet; neque profecto in hunc finem deservire posset si non cognosceretur vel utcumque in mente non haberetur.

Idque verum est quamvis ignorantia esset *concomitans*: homo scilicet delictum commissurus fuisset quamvis censuram cognovisset. Cf. Ballerini (*Op. th. XI 146*).

Excusat quoque ignorantia *difficile vincibilis* (tunc enim etiam non est crassa et supina).

Hoc autem verum esset quamvis adhuc remaneret *graviter culpabilis*, quamvis scilicet, cum illa ad actum procedendo, mortale peccatum committeretur; prout posset contingere quando, stante periculo magnum malum (v. g. homicidium censura mulctatum) committendi, quis adhiberet diligentiam notabilem ne malum illud subsequeretur (v. g. ne pro fera hominem occideret), sed, propter difficultatem rem a re distinguendi, diligentia ipsa non esset sufficiens, et peccato mortali (v. g. sclopum cum periculo hominem occidendi explodendo) locum relinqueret. Cf. Salmant. *De Censur. 1 190. 196*) et D'Annibale (*Comment. n. 7*).

IV. Excusaret ignorantia etiam crassa et supina si in lege adessent verba *scienter*, vel *consulto*, vel *ausu temerario,* vel *temere,* vel *ausus fuerit,* vel *praesumpserit*, vel *ex contemptu* etc.; tunc enim lex voluntarium perfectum perfectamque, circa factum, ius et poenam, cognitionem exigeret; secus enim frustra haec verba ponerentur.

Notandum tamen quod interdum aliquod ex his verbis, iuxta regulas bonae interpretationis, alium sensum habere potest; ut puta, si verbum *scienter* pro plena cognitione non iam poenae sed delicti intelligi deberet, prout (iuxta *Comment. Rom. Vol. II pag. 47*) si censura ferretur contra mulieres quae in se ipsis abortum procurarent scienter.

V. Quando in lege adest aliquod ex praedictis verbis *scienter, consulto* etc., probabiliter (et proinde certe in praxi) excusat etiam *ignorantia affectata,* qua quis suborto dubio, negligit inquirere quia timet addiscere quod censura revera adsit, atque ideo mavult in sua ignorantia permanere. Vide Ballerini (*l. c. n. 154*).

An autem ignorantia affectata excuset etiam quando in lege non adsunt praedicta verba, dummodo tunc sit crassa et supina, in hac quaestione perpendenda non immoror.

1108. *Quid notandum circa* ***metum vel incommodum;*** *an scilicet et quando metus vel incommodum a censuris incurrendis excuset?*

I. Si metus vel incommodum a peccato prorsus, vel a peccato mortali excuset, tunc a censura quoque (ut manifestum est) excusaret.

Notissimum est autem quod, si agatur de rebus solo iure ecclesiastico praeceptis vel prohibitis, nedum incommodum gravissimum, sed etiam incommodum simpliciter grave, ordinarie excusat, iuxta effatum: *Ecclesia non obligat cum gravi incommodo.*

II. Saepe metus vel incommodum (prout accidit in omnibus rebus intrinsece malis, v. g. in homicidio, in falso testimonio etc.) a peccato mortali non excusat; sed, si

metus vel incommodum sit grave, quamvis non a peccato, tamen a censura ordinarie excusat, prout dicunt theologi communissime. (Cf. Ballerini *l. c. 159*).

Imo interdum posset excusare etiam metus non proprie gravis, si nempe in lege adsit verbum *sponte*.

Aliquando e contra metus, quamvis gravis, vel etiam gravissimus foret, a censura non excusat; quando nempe bonum publicum, maxime vero fidei et religionis, clamet ut, in illo quoque casu magnae vel summae difficultatis, praeter legem naturalem vel divinam, lex quoque ecclesiastica cum adnexa poena firma persistat. Casus huiusmodi determinare difficile est: exemplum tamen dari posset in confessione fidei coram tyranno non obstante periculo vitae praestanda. Ballerini (*l. c. n. 160*).

1109. *Explica quartam conditionem; quod scilicet,* ***si agatur de censura ferendae sententiae atque a iudice inflicta, peccatum debet esse vere commissum et legitime probatum?***

Si factum non subsisteret, vel sine culpa formali et gravi accidisset; aut si sententia fuisset *manifeste* iniusta, sive quia superior limites suae potestatis *certe* excessisset, sive quia formae legales et substantiales omissae fuissent; tunc condemnatus in conscientia tamquam censura ligatum se gerere non teneretur.

Dixi *manifeste iniusta;* aliud enim esset in dubio (ut dixi mox supra *n. 1106*).

Praeterea cavendum erit a periculo hallucinationis, quae in causa propria facilis esse solet.

Denique, si publice non constaret, censuram iniuste fuisse inflictam, illa, ratione scandali (si casus ita ferret), servari deberet.

CAPUT V.

DE CENSURARUM EFFECTIBUS ET INTERPRETATIONE.

1110. *Quinam sunt* ***effectus*** *censurarum?*

I. Censurae privant bonis spiritualibus non equidem internis (quae soli Deo reservantur, uti sunt gratia et virtutes), sed externis et visibilibus quae Ecclesiae subsunt potestati, uti sunt sacramenta, functiones sacrae, indulgentiae etc.

His autem, iuxta censurarum diversitatem, in toto vel in parte privant, et solum quoad usum, donec peccator resipiscat et absolvatur. Ad hanc autem rescipiscentiam obtinendam censurae interdum bonis quoque temporalibus, v. g. fructibus beneficiorum et communione fidelium etiam in civilibus, privant.

II. Censuratus veram et gravem habet obligationem se abstinendi a participatione bonorum, quae per censuram ei vetantur.

Attamen, si forte grave incommodum extrinsecum (v. g. infamia vel scandalum) ex tali abstinentia suboriturum esset, tunc excusaretur atque ad illum casum censurae obligatio non extenderetur.

III. Magna differentia est inter censuratum *vitandum* et *toleratum*.

Olim omnes censurati erant vitandi ; sed huiusmodi disciplina mutata fuit a Concilii Constantiensis constitutione *Ad evitanda* confirmata a Martino V., sequentis tenoris : « Ad evitanda scandala ac multa pericula, sub« veniendumque conscientiis timoratis, omnibus christifidelibus indulgemus « quod nemo deinceps a communione alicuius in sacramentorum admini« stratione vel receptione vel aliis quibuscumque divinis, vel extra, prae« textu cuiuscumque sententiae aut censurae a iure vel ab homine gene« raliter promulgatae, teneatur aliquem evitare, aut interdictum eccle« siasticum observare, nisi sententia vel censura huiusmodi fuerit contra « personam vel collegium etc. vel locum certum vel incertum a iudice « publicata et denunciata specialiter, salvo si quem pro sacrilega manuum « iniectione in clericum sententiam latam a canone adeo notorie constiterit « incurisse, quod factum non possit aliqua tergiversatione celari aut aliquo « suffragio excusari : nam a communione illius, licet denuntiatus non fue« rit, volumus abstineri, iuxta canonicas sanctiones.... Per hoc tamen, « huiusmodi excommunicatos, suspensos, et interdictos seu prohibitos non « intendimus in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari ».

Vitandus itaque hodie est solum in duobus casibus: scilicet 1° Si a Summo Pontifice vel ab Episcopo vel a iudice ecclesiastico (Cf. Génicot *581*), publico edicto aut alio modo ad res publicandas usitato, fuerit nominatim (aut aequivalenti designatione) denuntiatus nedum tamquam reus sed praecise tamquam excommunicatus, vel suspensus, vel interdictus. 2° Si fuerit notorius clerici percussor, ita ut factum non possit aliqua tergiversatione celari aut aliquo suffragio (rationabili) excusari.

Post constitutionem *Apostolicae Sedis* plures docuerunt percussorem huiusmodi non esse vitandum ; sed haec doctrina sustineri non potest, propter declarationem S. C. S. O. *9 Ian. 1884* (apud Acta *XXXI pag. 399*) a Leone XIII confirmatam.

Passim tamen observant, censuratum huiusmodi, solum ubi publice tamquam talis cognoscitur, vitandum esse ; non vero alibi. Cf. S. Lig. (*n. 136-145*).

Toleratus autem est in omnibus aliis casibus, in quibus censuram quis incurrerit.

Si quis sit vitandus, utique tunc, inter alios censurae

effectus, hic quoque est quod alii cum illo communicare non possunt; sed aliter et aliter secundum quod de excommunicatione, aut solum de suspensione vel interdicto agatur; dum enim excommunicatus vitandus declinari debet ab omnibus, speciatim in divinis (ut infra explicabitur), suspensus vel interdictus vitandus reiici quidem debebit *a clericis* in divinis; sed christifideles illum vitare non tenentur; unde, v. g. missam sacerdotis sic suspensi vel interdicti (ad differentiam excommunicati) audire possunt. Cf. Ballerini (*l. c. 558*).

Si autem quis sit toleratus, tunc cum eo *omnes* (etiam in divinis) communicare valent, etsi necessitatem non haberent (nisi tamen iure naturae, propter cooperationem, hoc vetitum esset); et ille, *si sit requisitus et non aliter*, absque peccato se praestare potest.

1111. *Potestne celebrari et applicari Missa pro excommunicatis?*

Pro vitandis (nisi forte ad obtinendam eorundem conversionem), negative.

Pro toleratis sive vivis sive defunctis, affirmative. Attamen excipiendi essent haeretici et schismatici ex secta; idque propter specialem et rigorosam Ecclesiae prohibitionem. Vide *Monitore* (*XIII 23*).

1112. Alter censurarum (veri nominis) effectus est, quod, si per exercitium ordinis sacri violentur, inducunt irregularitatem, ut vidimus supra (*n. 803*).

Effectus hucusque recensiti sunt censuris omnibus communes: alii autem sunt diversarum censurarum proprii, qui infra indicabuntur.

1113. *Quoad censurarum* ***interpretationem,*** *quomodo intelligenda est censura quae feriat mandantes, consulentes, auxilium aut favorem praebentes, ratum habentes et adhaerentes?*

Mandans est qui iubet aut rogat ut alter N. B. *vice sua* delictum exequatur.

Censura contra *facientes* non extenditur ad mandantes, nisi iuxta sensum communem mandans pro faciente haberetur, v. g. si censura plecteret vendentes, alienantes etc., et quis mandaret ut alter suo nomine venderet, alienaret etc.

Consulens est qui persuadet et impellit alium (per se non paratum) ut delictum committat, sed non vice sua.

Auxilium ferens est qui facto suo, sive necessario sive utili, alteri iam parato opem praestat, ut delictum exequatur.

Favorem praebens est qui (etiam secluso auxilio aut consilio), favore morali, v. g. suffragium dando, commendationem praebendo, praesentia et auctoritate propria adiuvando, instructiones suppeditando, et tandem non impediendo (dum ex officio impedire deberet) ad delictum concurrit.

N. B. Non est necesse ut auxilium aut favor praestetur *propter delictum* censura punitum (nempe ex animo ipsi propenso); bene vero oportet ut praestetur *in delicto*, scilicet auxilium vel favor ad rem delictuosam ex alio fine (v. g. ex fine lucri) concurrat, attamen proxime et cum peccato mortali. Imo ad decernendum an talis vel talis favor censura plectatur, observandae sunt circumstantiae: si enim censura, iis attentis, v. g. propter nimiam extensionem, non esset in aedificationem sed in destructionem, tunc non subsisteret. Vide Lugo (*XXV 13. 17*), et declarationem datam per Card. Vicarium a Leone XIII *12 Iul. 1878* (apud Acta *XI 168*) circa illos qui Protestantibus auxilium aut favorem praestant, ex qua patet favorem valde proximum et valde religioni perniciosum esse debere.

Denique ut causae istae (nempe mandatum, consilium, auxilium et favor) censurae subiiciantur, oportet ut delictum principale reapse acciderit, nisi lex (prout in casu duelli) aliud disposuerit.

Ratum habens est qui approbat delictum nomine suo (N. B.) perpetratum.

Denique **adhaerens,** est qui sequitur partes ab aliis praestabilitas, nempe, delicto (v. g. rebellione) nondum perpetrato, palam facit se exoptare et approbare ut executioni demandetur. Attamen Filliuccius (*VI.* IV *69*) exigit insuper ut paratus sit ad concurrendum. Vide *Comment. Rom.* (*pag. 401-404*).

CAPUT VI.

DE ABSOLUTIONE A CENSURIS.

1114. *Haec absolutio* ***estne necessaria?*** Utique quia 1° censurae non cessant a se ipsis (nisi latae fuerint sub conditione resolutiva, vel nisi ageretur de suspensione vel interdicto temporaneo ad modum merae poenae); nec sufficit emendatio; 2° nequit obtineri absolutio a peccatis,

nisi prius obtineatur absolutio a censuris (quod tamen intellige pro solo licito).

1115. ***Quotuplex est absolutio a censuris?***

I. Potest esse pro *foro interno* seu *conscientiae*, et sic potest dari etiam extra confessionem; si autem dari deberet in confessione, tunc diceretur *in foro sacramentali*. Sive autem intra sive extra confessionem detur, adhibentur verba quae in formula absolutionis sacramentalis ad censuras referuntur.

II. Pro *foro exteriori;* et tunc in casibus gravioribus, vel si superior dixerit absolutionem esse dandam *in forma Ecclesiae consueta*, adhibendus erit ritus solemnis; sin minus, adhibenda erit *forma brevior;* quae omnia in Rituali declarantur.

III. *Absoluta;* vel *conditionata* (et sic pendens in futurum, v. g. si parti laesae satisfeceris).

IV. *Ad reincidentiam*, nempe sub poena reincidentiae in eandem censuram si talis vel talis conditio post iam datam absolutionem, non praestetur. (Haec tamen reincidentiae poena apponi nequit nisi sit *de iure,* vel nisi apponatur voluntate Superioris qui censuras ferre possit).

V. *Ad cautelam*, si nempe ignoretur vel dubium sit an subiectus censuris ligetur.

VI. *Ad effectum* (prout apponi solet in rescriptis pontificiis), ut scilicet censura non impediat effectum obtinendi licite gratiam, dum de caetero censura ipsa in aliis suis effectibus perseverat.

1116. ***Quis possit absolvere a censuris?***

I. Si censura sit *ab homine atque ad modum praecepti particularis*, vel si sit quidem a iure vel lata per statutum generale sed *reservata*, vel denique si inflicta fuerit non ad modum censurae sed *ad modum poenae;* tunc solum qui illam inflixit, vel eius successor, aut superior, aut delegatus, ab ea absolvere valet.

II. Non est necesse ut qui absolvit a censuris (sive pro foro externo, sive etiam pro foro conscientiae) sit sacerdos, nisi *in foro sacramentali* absolutio danda esset.

III. De absolutione a censuris *reservatis* in foro sacramentali, sive in articulo mortis, sive stante impedimento

adeundi Superiorem, sive ex speciali delegatione etc.; iam egi supra *n. 205. 224. 207.* De facultatibus autem Episcoporum pro casibus occultis ex Cap. *Liceat* vide *n. 192.*

IV. A censuris *a iure* vel *per statutum generale* (sive papales sive episcopales sint) *si non sint reservatae*, quilibet confessarius pro foro tam interno quam externo absolvere potest; ita tamen ut satisfactiones quae forte necessariae sint, et scandali reparationem (si censura sit notoria) exigere debeat.

V. Inter conditiones, quae a censuratis exiguntur ut absolvi possint, praecipua esse solet reparatio scandali; sed quomodo fiet si sit difficilis et periculosa? S. Poenitentiaria (*20 Mart. 1885*) respondit: « Reparationem « scandali esse necessariam de iure divino, eamque facien- « dam esse meliori modo quo potest, prudenti iudicio « Ordinarii seu confessarii ». Qua de re vide dicta *Vol. II n. 200 et seqq.*

Sectio II.

DE TRIBUS CENSURARUM SPECIEBUS.

Species istae sunt excommunicatio, suspensio et interdictum.

CAPUT I.

DE EXCOMMUNICATIONE

1117. *Quid est excommunicatio?*

Non loquor de excommunicatione *minori*, quae post bullam *Apostolicae sedis* non amplius viget (S. C. S. O. *15 Dec. 1883*), et olim contrahebatur in quibusdam casibus propter communicationem cum excommunicato vitando, atque privabat solum receptione sacramentorum, beneficiorum et dignitatum ecclesiasticarum; nec erat reservata.

Loquendo itaque de excommunicatione *maiori*, haec definiri potest censura, qua quis privatur communione Ecclesiae, privatur scilicet (exceptis quibusdam casibus) bonis spiritualibus, quae in Ecclesiae potestate sunt, atque insuper a communicatione forensi et civili cum fidelibus

(recolendo distinctionem mox supra *n. 1110 III* expositam inter excommunicatos vitandos et toleratos) sunt explicanda.

1118. *Quaenam in particulari sunt* ***bona, quibus excommunicati privantur?*** Sunt 1° Receptio (seu usus passivus) sacramentorum. 2° Communia Ecclesiae suffragia, preces et indulgentiae. 3° Iurisdictio ecclesiastica. 4° Administratio (seu usus activus) sacramentorum. 5° Divina officia. 6° Receptio beneficiorum vel gratiarum ecclesiasticarum. 7° Sepultura ecclesiastica. 8° Communicatio forensis. 9° Communicatio civilis. Sed haec etiam ulteriori explicatione indigent.

1119. *Quid de privatione usus passivi, scilicet* ***receptionis, sacramentorum,*** *nisi absolutio ab excommunicatione prius obtineatur?*

Hoc intelligi debet etiam de toleratis, sed solum quoad licitum (attamen sub gravi); non vero (etsi de vitandis ageretur) quoad validum, excepto sacramento poenitentiae quod invalide reciperetur, nisi bona fides excusaret.

Huiusmodi autem sacramentorum receptio, licita evaderet, si ex una parte urgeret necessitas, et ex alia absolutio ab excommunicatione prius recipi nequiret.

Recolendum 1° quod receptio huius absolutionis hodie valde facilius quam antea locum habere potest ex decreto S. C. S. O. quod retuli supra (*n. 230*). 2° Quum tamen decretum ipsum restringat licentiam ad casus vere urgentiores gravis scandali vel infamiae, iam ad casus solius necessitatis satisfaciendi praecepto paschali (S. Lig. *VI 584*), vel ne quis remaneat in statu peccati per notabile tempus (et aliqui dicunt per biduum, aut etiam unicam noctem Cf. S. Lig. *VII 81*), certe (nisi alicui hoc valde durum foret; Cf. *n. 240*) non est extendendum. 3° Quamvis excommunicati sacramenta recipere nequeant, tamen sacerdotes sacramenta ipsa illis (dummodo non sit vitandi) administrare possunt. Hoc tamen intellige si petant, nec (attentis circumstantiis) expediat vel oporteat ut repellantur. 4° Excommunicati debent resipiscere et saltem tempore paschatis absolutionem, sicut a peccatis ita etiam ab excommunicatione, sibi comparare, ut praecepto paschali satisfacere possint. Cf. Ballerini (*l. c. 338. 401*).

Quomodo autem se gerere debeant sacerdotes et parochi si excommunicati tolerati, sive occulti sive notorii, sacramenta, sive occulte sive publice, petant, (quomodo scilicet distinguere possint an repellendi vel non repellendi sint) iam alibi declaratum est; et speciatim circa matrimonium, vide dicta *n. 1001*; et circa patrinos in Baptismo et Confirmatione *Vol. IV n. 921.*

1120. *Quid de privatione communium Ecclesiae* ***suffragiorum, precum, et indulgentiarum?*** His certe (non vero orationibus et suffragiis privatis, scilicet nomine non Ecclesiae sed proprio peractis) privantur excommunicati sive viventes sive defuncti, si sint vitandi. Sed, si sint tolerati, certe tunc quoque privantur indulgentiis, sed non item suffragiis iuxta mox dicta *n. 1111.*

1121. *Quid de privatione* ***iurisdictionis ecclesiasticae?*** Actus iurisdictionis ecclesiasticae, actus scilicet (Cf. D'Annibale *I 67*) potestatis gubernativae (nempe legislativae, iudicialis atque administrativae, et proinde, v. g. dispensationes, absolutiones, collationes beneficiorum etc.) sunt invalidi si exerceantur ab excommunicato *vitando;* excepto tamen casu extremae necessitatis seu periculi mortis, in quo ille etiam valide absolvere posset. Si autem exerceantur ab excommunicato *tolerato* (etsi notorio), sunt solum illiciti. Imo liciti evaderent si requisitus vel ex gravi causa illos exerceret.

1122. *Quid de privatione usus activi sacramentorum,* ***seu facultatis sacramenta administrandi?***

Vitandus (propter defectum iurisdictionis, ut supra) invalide ministrat sacramentum poenitentiae, excepto articulo mortis, et casu erroris communis, attamen (ut ego censeo) si adsit etiam titulus coloratus. Alia autem sacramenta (non excepta assistentia matrimonii) valide quidem administrat; sed, praeter casum moribundi (cui, deficiente alio sacerdote, nedum baptismum et poenitentiam, sed verius etiam alia sacramenta administrare potest), item praeter casum gravissimi incommodi proprii, illicite prorsus et cum mortali peccato. Qui autem peterent aut reciperent ab illo sacramentum, ipsi quoque mortaliter delinquerent (olim, ut supra innui, incurrebant excommunicationem mi-

norem), et, si ageretur de ordine sacro, suspensionem ab ordine ipso incurrerent.

Toleratus valide administrat sacramenta omnia; sed illa administrando, graviter peccat (et incurrit irregularitatem). Excipe 1° si esset expresse aut tacite requisitus; 2° si adesset necessitas proximi; 3° si absque gravi incommodo proprio (v. g. infamia) a tali administratione abstinere nequiret.

1123. *Quid de privatione* ***divinorum officiorum?***

I. Divina officia sunt Missa, et omnes functiones quae cum sacris paramentis a clericis peraguntur, v. g. psalmodiae in choro, benedictiones, processiones etc.; non tamen sacrae conciones, nec horae canonicae extra chorum recitatae, ad quas proinde tenentur etiam excommunicati si sint in sacris, etc.

II. Excommunicati 1° non participiant de divinorum officiorum fructu; 2° nequeunt ea celebrare, nisi sint tolerati sive requisiti sive gravi ratione excusati; 3° nequeunt iis assistere; quod tamen hodie aliqui censent ad solos vitandos restringi, et quoad toleratos non vigere. Si hoc verum esset, tunc tolerati diebus festis Missam audire tenerentur; sed, quum res sit dubia, haec obligatio (ad differentiam communionis paschalis: ut mox supra *n. 1119* innuebam) imponi non posset. Cf. Ballerini (*n. 397. 301*) et Lehmkuhl (*n. 892*). Certe assistere possent si invitarentur et rogarentur a fidelibus.

III. Si forte *vitandus*, dum aliquod divinum officium celebratur, eidem assisteret (aliud esset si ex alio fine ad ecclesiam eo tempore se conferret, vel in illa seorsim oraret), nec clerici nec alii assistentes cum illo communicare licite possent (ut iam alias innui). Haec communicatio clericis certe sub gravi, aliis autem forsan solum sub levi (Cf. Bucceroni *n. 29*) interdiceretur. Clerici itaque rogare deberent excommunicatum ut abiret; quod si obtineri nequiret, tunc ipsum divinum officium esset interrumpendum: attamen, quoad Missam, recole dicta (*Vol. IV n. 496*). Si autem divinum officium perduraret, fideles (vitando non recedente) abire deberent.

1124. *Quid de* ***privatione beneficiorum ?***

I. Excommunicatus inhabilis certe est *ad beneficia* valide obtinenda, si sit vitandus. Si vero sit toleratus, non una est auctorum sententia.

Plures dicunt toleratum quoque esse inhabilem, quia beneficium datur propter officia adnexa, et excommunicatus nequit illa praestare; et Ecclesia concedit quidem ut fideles possint communicare cum toleratis, sed hoc non importat ut beneficia quoque eis conferri possint. Alii dicunt non esse vetitum communicare cum toleratis etiam conferendo illis beneficium; nec quodlibet beneficium exigere officia quae ab excommunicatis praestari nequeant; eos insuper posse facile absolutionem obtinere : et denique officia ab eis praestanda esse posse in commodum fidelium. Cf. S. Lig. (*180. 181*) et D' Annibale (*I 328*).

Quidquid sit de hoc, certe, si beneficium a Pontifice conferatur, semper adesse solet in bulla absolutio *ad effectum*.

Sed haec absolutio valetne etiam pro censuris speciali vel specialissimo modo reservatis, quae indigent speciali mentione? Negat S. Lig. (*l. c. 180*); sed, quum agatur solum de absolutione *ad effectum* et Bullae loqui soleant *de quibuscis censuris quomodolibet incursis,* videant alii an S. Doctoris sententia vere admitti debeat.

Supposita nullitate collationis, fructus restitui deberent; si tamen provisus (ne infamia et scandalum sequeretur) defectum servavisset occultum, et operam suam praestitisset, pro rata servitii praestiti fructus sibi applicare posset. S. Lig. (*n. 180*).

II. Si quis, *beneficio iam obtento,* in excommunicationem incideret; non ideo amitteret beneficium ante iudicis sententiam, idque verum est quamvis esset vitandus.

Quoad fructus tamen restituendos, videndum an per se vel per alios officia omnia praestet, necne. Cf. Lehmkuhl (*n. 885*).

1125. *Quid de privatione* ***sepulturae ecclesiasticae?***

I. Prohibita sepultura ecclesiastica, duo prohibentur: 1° Humatio corporis in loco sacro. 2° Funus, exequiae, associatio cadaveris, sonitus campanarum etc.

II Privatio sepulturae ecclesiasticae non solum ad *vitandos*, sed etiam ad *toleratos* (*notorios*) refertur, attamen diverso modo.

Si *vitandus* absque poenitentiae signis decesserit, nequit sepeliri in loco sacro; si autem ibi sepultus fuisset, caemeterium pollutum (atque adeo dissacratum et nova benedictione indigens) evasisset, et (si fieri posset) cadaver extrahendum foret. Si vero cum signis poenitentiae

obiisset, posset sepeliri in loco sacro, sed prius corpori applicanda esset absolutio (prout in Rituali): at, quamvis sine hac absolutione sepultus fuisset, non ideo caemeterium pollutum remansisset.

Si *toleratus* notorie absque poenitentiae signis esset defunctus, nequiret sepeliri in loco sacro, qui tamen (propter talem sepulturam) pollutus non evaderet. Si vero cum poenitentiae signis decessisset, in loco sacro sepeliri posset, nec cadaveris absolutione opus esset. Cf. Ballerini (*l. c. 410*).

Hisce iuris dispositionibus contrafacientes incurrunt poenas in quibusdam casibus (caeteroquin rarissimis et vix unquam contingentibus), ut videre est in Bulla *Apostolicae Sedis* (*Ser. IV. n. 1 et Ser. VI n. 2*).

Caeterum (propter speciales difficultates his temporibus facile occurrentes) circa praxim hodie de facto tenendam, vide dicta *Vol. IV n. 429.*

1126. *Quid de privatione* ***communicationis forensis et civilis?*** De re ista quae practice (excepto foro ecclesiastico) ad fere nihil, speciatim quoad toleratos, hodie reducitur, vide (si placet) Ballerini (*l. c. 408. 411*), et Bucceroni (*l. c. 34*) qui dicit S. Poenitentiariam (*2 Iul. 1867*) declarasse *toleratos* non amplius peccare si *in civilibus* communicent cum fidelibus, etsi ab illis non requisiti.

1127. *An sit peccatum mortale communicare cum excommunicato vitando?*

Affirmative si communicetur cum illo 1° *in divinis solemniter.* 2° *In crimine criminoso,* scilicet in illo crimine propter quod fuit excommunicatus (si fuisset sic excommunicatus a Papa, tunc excommunicatione R. P. reservata plecteretur. Const. *Apostolicae Sedis Ser. 2ª Art. 16. 17*). 3° In quibusdam aliis casibus, in quibus communicatio censura plectitur; qua de re vide const. cit. *Ser. 4ª A. 1 Ser. 5ª A. 6, Ser. 6ª A. 2.*

De caetero culpa nonnisi venialis erit. Cf. Ballerini (*l. c. n. 413*).

1128. *Producitne excommunicatio aliquem alium effectum, praeter effectus supra recensitos?* Qui per annum in excommunicatione insordescit, fit *suspectus de haeresi;* et, si habeat beneficia, iisdem a iudice privari potest. Cf. Lehmkuhl (*n. 899*).

CAPUT II.

DE SUSPENSIONE.

1129. ***Quid est*** *suspensio?* Suspensio definiri potest: *Poenalis et solemnis, sed non in perpetuum, ablatio potestatis ordinariae, quae clerico ratione sive ordinis, sive iurisdictionis, sive beneficii, competeret.*

Dixi *poenalis, solemnis*, quia si facultas clerico adimeretur non propter delictum, sed propter infirmitatem vel defectum inculpabilem; aut si adimeretur sine lege praevia vel formali decreto, tunc suspensio veri nominis (quamvis in conscientia esset servanda) locum non haberet.

Dixi *sed non in perpetuum,* quia tunc depositio vel degradatio interveniret.

Dixi *potestatis ordinariae, quae clerico competeret ratione ordinis, iurisdictionis etc.;* si enim de potestate mere delegata ageretur (v. g. si simplex confessarius, vel parochus amovibilis, suspenderetur), tunc non proprie suspensio, sed facultatis revocatio locum haberet. Cf. Scavini (*I 858*), D' Annibale, Bouvier etc.

1130. ***Quotuplex*** *esse potest suspensio?*

I. Potest esse *totalis* vel *partialis*. Totalis esset si tum ordines omnes, tum iurisdictionem omnem, tum denique beneficia omnia a suspenso possessa respiceret. Secus partialis foret; idque multipliciter contingere potest. Hinc, v. g. habemus suspensionem a pontificalibus, a presbyteratu, a diaconatu, a subdiaconatu, ab officio, a divinis, a beneficio etc.

Verbum *suspensio* suspensionem totalem vi propria significaret, sed in communi loquendi modo solam suspensionem a celebratione missae significare solet. In casu particulari observanda est causa suspensionis et contextus sermonis.

Suspensio *ab officio* suspensionem ab exercitio tum ordinum tum iurisdictionis significat.

Idem dicunt canonistae communius de suspensione *a divinis,* sed Fagnanus credit quod suspensionem solum ab ordine, nempe a sola missa aliisque sacris functionibus, seu divinis officiis, significet. Cf. Scavini (*I 956*).

Suspensio *a pontificalibus* significat suspensionem non ab omnibus Praelati officiis, sed solum ab illis functionibus, quae cum mitra, baculo aliisque episcopalibus ornamentis peragi debent.

II. Suspensio potest esse *ad tempus indefinitum*, vel *determinatum*. Est ad tempus determinatum quando fertur, v. g. per annum. Est ad tempus indefinitum, quando nullus terminus designatur eritque duratura usquedum

suspensus in pertinacia perseverabit et absolutionem non obtinebit.

Adsunt etiam suspensiones *ad beneplacitum* superioris vel personae laesae (quae etiam de indefinitis participant), atque usquedum fiat restitutio, reparatio etc.

III. Suspensio alia est *a iure*, et alia *ab homine*.

A iure quae in lege sive Pontificia sive Dioecesana comminatur; et ista in *latae* et *ferendae sententiae* subdistinguitur. *Latae*, quando, delicto perpetrato, statim et ipso facto in conscientia incurritur; *ferendae*, quando, ut incurratur, iudicis sententia adhuc exigitur.

Ab homine est quae in lege non adest, sed a superiore infligitur; quod tribus modis fieri potest; nempe 1° Praevia trina admonitione *ad modum censurae*. 2° Sine tali admonitione et ob delictum praeteritum, sed cum formali decreto *ad modum poenae*. 3° Ob delictum praeteritum sive certum sive praesumptum, sed sine formali decreto, et *ad modum cautelae*.

IV. Porro suspensio interdum est vera censura, et interdum non. Est vera censura si sit a iure; aut si trina monitio praecesserit. Monitione non praemissa, suspensio poena vel cautela quidem, non vero censura erit.

Aliqui dicunt, nequidem esse censuras suspensiones illas, quae sunt ad tempus determinatum, quamvis sint a iure: quia censura est poena medicinalis, quae, secuta poenitentia, per absolutionem cessare debet; medicina enim non ad tempus determinatum sed solum durante morbo danda est. Sed observatio ista, meo sensu, pro praxi et quoad effectus, nullius momenti est, ut infra videbimus.

V. Suspensus potest esse *toleratus* et non *toleratus*.

Erit *toleratus*, si suspensionem a iure latam, nulla subsecuta sententia, incurrisset, neque obstaret si id notorium foret.

Erit *non toleratus*, si tamquam suspensus nominatim a Pontifice vel Ordinario publice denunciatus fuisset.

Ad hoc autem sufficere si per sententiam vel decretum a Superiore ipso consueto modo divulgatum nominatim suspensus fuerit (quandoquidem hoc pro denunciatione sufficienti in casu isto haberetur) censet Bouvier (*De censuris VI*).

1131. *Pro praxi quid praecipue notandum circa suspensiones?*

I. Suspensiones particulares latae sententiae de iure

communi hodie paucissimae et parum practicae sunt. (Vide supra *n. 188*).

Casus magis practicus itaque esse potest, si adsint suspensiones dioecesanae, aut si sacerdos a proprio Episcopo nominatim suspensus fuerit.

II. Suspensio a proprio superiore inflicta simpliciter, si dioecesis deseratur, non cessat; est enim personalis et sequitur personam sicut lepra leprosum. Durat etiam mortuo superiore. Si tamen comminata fuisset ab Episcopo tamquam ipso facto incurrenda pro delicto futuro, et Episcopus, delicto adhuc non commisso, mortuus fuisset; tunc non amplius incurreretur, iuxta Gousset (*II 919*).

III. Si suspensus eos actus exerceret, in quibus est suspensus, mortaliter peccaret. Excipe casus necessitatis, ut supra declaravi, vel si suspensus esset toleratus (quamvis forte notorius) et sive expresse sive tacite esset requisitus. S. Lig. (*VII 314. 4*).

Dixi *actus in quibus est suspensus*. Hinc suspensus a presbyteratu, officia quae diaconis, subdiaconis, vel minoristis competunt, licite exercet. Suspensus a pontificalibus, missam celebrare et confessiones audire potest. Suspensus ab ordine, actus iurisdictionis, imo et eos etiam actus ordinum, qui a laicis quoque praestari solent, exercere valet. Suspensus ab officio, beneficium (dummodo per alios suppleat) retinere potest. Nihil demum vetat quominus suspensus poenitentiae et eucharistiae sacramenta recipiat; excommunicatio enim (non vero suspensio) sacramentorum receptione privat.

IV. Suspensus ab officio vel a iurisdictione, actus iurisdictionis valide exercet, si sit toleratus. S. Ligorius (*VII 314. 4*). Invalide vero si esset vitandus, nisi error communis, cum (ut ego sentio) titulo colorato, interveniret. Hinc invalide absolveret. Valide tamen parochus sic suspensus assisteret matrimonio; quia adhuc parochus esset.

V. Suspensus a beneficio (intellige per suspensionem latae sententiae), administratione et fructibus beneficii ipsius, durante suspensione, privatur. Attamen, si sit pauper, congrua sustentatio (taxanda a iudice, vel, si de re occulta agatur, a confessario aut viro prudenti) ei relinqui debet,

ne cum nimio status ecclesiastici dedecore mendicare cogatur. Reiff. (*V.* XXXIX *170*).

VI. Suspensio, si lata fuerit ad tempus determinatum, vel sub aliqua conditione, tempore illo transacto vel ea conditione impleta, cessat per se.

Si fuerit a iure inflicta, ipso facto incurrenda, absque ulla temporis determinatione, et nemini reservata; tunc cessante contumacia, a quolibet confessario (adhibita forma consueta) absolvi poterit.

Si fuerit ab homine, aut reservata, vel si tempus designatum nondum transactum fuerit, vel conditio nondum adimpleta; tunc absolutio vel dispensatio a solo superiore obtineri poterit. Superior tamen alium sacerdotem delegare potest; et pro casu isto forma absolutionis vel dispensationis habetur in Rituali (*De Sacram. Poenit. in fine*).

1132. *Quaenam sint facultates Episcoporum quoad suspensiones* ***ab homine*** *infligendas?* In praxi distinguendum est inter casum occultum et notorium.

Si casus sit occultus, possunt Episcopi suspensionem infligere *ex informata conscientia*, scilicet absque iudiciali processu, nullaque monitione praemissa.

Patet ex Trid. (*XIV.* I) dicente: « Ei cui ascensus, ad sacros ordi-« nes a suo Praelato, ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen quo-« modolibet etiam extraiudicialiter fuerit interdictus: *aut qui a suis Ordi-« nibus, seu gradibus, vel dignitatibus ecclesiasticis fuerit suspensus;* « nulla contra ipsius Praelati voluntatem concessa licentia de se promo-« veri faciendo, aut ad priores ordines, gradus et dignitates, sive honores « restitutio suffragatur ». Quod reapse Tridentinum intelligi debeat de potestate iam ordinatos suspendendi, quamvis crimen sit occultum, patet etiam ex responso S. C. C. apud Bened. XIV (*De Syn. XII.* VII *3*); et de hac re dubitari nequit.

Sedulo notari debet quod haec suspensio, quamvis nec monitionem praeviam nec processum exigat, tamen (hodie) debet esse ad tempus determinatum; si enim esset ad tempus indefinitum, Romae non approbaretur. S. C. C. id expresse declaravit (*8 April. 1858 in Lucionen.*) ut videre est apud Lucidi (*I.* III *267*).

Qui autem ex informata conscientia suspensus fuit, non potest appellare ad Metropolitanum. Poterit quidem suas querelas S. Sedi exponere (cui soli Episcopus suspensionis motiva significare tenebitur): sed interim suspensionem servare debebit. Cf. Bened. XIV (*l. c.*).

Dixi Episcopos infligere posse suspensionem ex informata conscientia, *si casus sit occultus*; magna enim lis est, utrum suspensio huiusmodi etiam propter delictum publicum ferri possit. Bouix (cui favet D'Annibale *I 358*) affirmat; sed alii valde communius negant; et sententia ista a Canonistis Romanis hodie pro aris et focis sustinetur; ipsaque S. C. C. eiusdem sententiae esse videtur. Vide Lucidi (*l. c. 263*) et *Monitore* (*II.* III *pag. 3. 5. 6. 113*). Hoc tamen intellige, nisi simul cum publicis occulta etiam delicta suspensione digna adsint. (*Monitore l. c. pag. 113*).

Caeterum ex informata conscientia ferri quidem suspensio ab officio, non vero a beneficio, prout (contra alios) sentiunt plurimi, v. g. Bouix, Vecchiotti, et D' Annibale (*I 358*), qui etiam (*not. 14*) haec notatu dignissima habet: « Dubitandum non est, suspensiones huiusmodi ferri non « posse, nisi ferenti delictum liqueat, et penitus liqueat « (quippe inauditam partem condemnat)....; quod ea verba « *ex informata conscientia* satis demonstrant ».

Si itaque casus sit notorius, Episcopi ordinarie procedere debebunt iuxta formam *Cap. VI Sess. XXI* Tridentini dicentis: « Eos vero (parochos), qui turpiter et « scandalose vivunt, *postquam praemoniti fuerint*, coer- « ceant ac castigent; et, si adhuc incorregibiles in sua « nequitia perseverent, eos beneficiis, iuxta sacrorum cano- « num constitutiones, exemptione et appellatione quacum- « que remota, privandi facultatem habeant ». Verbis *coerceant ac castigent* intelliguntur speciatim suspensiones; quae, in tali casu, propter monitionem praemissam, verae censurae rationem habent.

Dixi *ordinarie;* interdum enim Episcopi pro huiusmodi casibus notoriis procedere possunt etiam ad suspensionem, nulla monitione praemissa; et tunc suspensio non censura, sed mera poena seu punitio erit. Ut tamen suspensio hoc modo inflicta sustineri possit, « ordo iudi- « ciarius foret servandus, vel saltem de imputationum « capitibus cum reo communicandum, ne gravissima poena « indefensus afficeretur, quod profecto ab omni aequitate « quam maxime alienum videretur ». Ita S. C. C. in causa

Lucionen. (*8 Apr. 1848*). Praeterea in tali etiam casu tutius erit si suspensio feratur ad tempus determinatum; si enim esset ad tempus indefinitum, et maxime si excessiva videri posset, a S. Sede forsan non approbaretur. Vide Lucidi (*l. c. 263*).

Denique datur (ut dixi) suspensio *ad cautelam;* idque contingit quando ex una parte magna infamia suborta est, et ex alia processus tam cito expleri nequit; quo casu Episcopus pro interim interdicere potest diffamato Missae celebrationem, vel accessum ad suam paroeciam. Sed suspensio huiusce generis (quamvis sub gravi servanda sit) per sententiam vel decretum ferri non solet, et proinde suspensio proprie dicta non erit. Scavini (*I 860*) De huiusmodi suspensione in Decretalibus (*V.* XXXIV *5*) exemplum habemus.

1133. *Quum ex violatione censurae per exercitium Ordinis incurratur* ***irregularitas*** *(ut suo loco explicatum est), debetne aliquid notari quoad hanc irregularitatem pro casu illius, qui non obstante suspensione ordinem sacrum exercuerit?*

Perillustris nostris temporibus theologus dicit, non incurri irregularitatem si suspensio ad tempus, seu ad beneplacitum, aut *ex informata conscientia*, aut quomodolibet ad modum merae poenae lata fuerit; tunc enim de censura veri nominis non agitur.

At vero haec doctrina (meo sensu) sustineri nequit. Porro quoad suspensionem ad tempus, in Sexto Decretal. (*Cap. I De Sent. et re iudic. Fit. XIV*) statuitur quaedam suspensio *ad annum*, et postea dicitur: « Si, « suspensione durante, damnabiliter ingesserit se divinis, irregularitatis « laqueo se involvet ». Et quoad suspensionem *ex informata conscientia* Benedictus XIV (*De Syn. XII.* VIII *5*) refert sequentem decisionem S. C. C. (*21 Iul. 1625*): « Episcopus Sagonensis ex facultate sibi tributa decreto « Concilii (*Cap. I Sess. XIV*) ex causis sibi notis (*nempe ex informata « conscientia*) suspendit parochum ab exercitio curae. Sed ille appellavit, « et, praecepto Episcopi contempto, celebravit et curam exercuit. Quaeri- « tur an a dicta suspensione detur appellatio, ita ut parochus, non ob- « stante appellatione interposita, per exercitium curae effectus fuerit irre- « gularis? S. C. Concilii censuit, ab huiusmodi suspensione non dari « appellationem, et parochum, qui sacramenta ut supra ministravit, irre- « gularitatem contraxisse ». Eadem decisio data fuit ab eadem S. C. C. *die 8 Maii 1848*) ut videre est apud *Monitore* (*II.* III *pag. 115*). Et Bonacina (*De suspensione IV 6*) ad quaestionem: Utrum irregularitas incurratur..., etiam quando violatur suspensio, quae est pura poena? Absolute respondet: « Affirmative, tum quia sic colligitur ex *Cap. I de Sent. et*

re iudic., tum quia huiusmodi suspensio privat sacro ministerio, sicut « privat suspensio quae est proprie censura ; ergo sicut per violationem « istius incurritur irregularitas, ita etiam incurritur per violationem illius. « Indecentia enim in utroque casu eadem est ». Quae cum ita sint, opinio contraria (meo sensu) probabilis iam esse nequit.

1134. *Quid si quis* ***suspensionem levem*** *(v. g. ad tres dies latam) violaret?*

Dicendum videtur quod irregularitas (quae poena gravissima et per se perpetua est) ex hac violatione non contrahatur.

Profecto ex una parte poena huiusmodi non videretur proportionata, et ex alia Superior, ex hoc ipso quod suspensionem levem imposuit, non multum gravare voluisse censendus est. Hinc solum pro casu isto speciali (et non pro aliis) valere poterit sententia excusans ab irregularitate, si suspensio ad tempus determinatum lata fuerit. Vide S. Lig. (*VII 314*) et D'Annibale (*Comment. n. 16*).

CAPUT III.

DE INTERDICTO.

1135. Cum agatur de re hodie vix practica, sufficiat delibare sequentia.

I. Interdictum est poena ecclesiastica, qua aliquae res sacrae, *pronti a clericis* ***solemniter*** *praestantur*, interdicuntur. Huiusmodi sunt 1° divina officia (interdicitur scilicet ea celebrare, iisque assistere); 2° quaedam sacramenta (quae nec administrari nec recipi possunt): 3° sepultura ecclesiastica.

Interdictum itaque 1° non privat iurisdictione, unde Episcopus interdictus (etsi nominatim) conferre beneficia, largiri indulgentias, condere leges, censuras ferre et ab illis absolvere, et dispensationes concedere posset. Valide etiam absolveret a peccatis, non tamen (propter functionem sacram) licite. 2° Non privat communione fidelium, unde fideles non interdicti missam sacerdotis interdicti audire possunt, ut alibi notavi. 3° Non vetat sacras conciones, nec preces populi piarumque confraternitatum etc. prohibet.

II. Interdictum potest esse 1° *locale* vel *personale*, vel *mixtum* secundum quod directe afficit locum, vel personas, vel tam locum quam personas ; 2° *generale* vel *particulare*.

Locale generale contingit quando interdicitur locus in quo populus adest v. g. regnum, provincia, dioecesis, ci-

vitas, oppidum. *Locale particulare*, quando haec vel illa Ecclesia interdicitur.

Personale generale contingit quando persona moralis, v. g. talis vel talis populus, aut clerus, aut societas (non exclusis innocentibus) interdicitur. *Personale particulare* contingit duobus modis. 1° Quando per sententiam tales vel tales personae specialiter interdicuntur (propter delictum proprium). 2° Quando persona particularis commisit delictum cui iure ipso interdicti poena infligitur.

Ut autem personae morales aut particulares sint *vitandae*, et proinde ab aliis tamquam interdictae haberi debeant, oportet ut (iuxta regulam generalem) tamquam tales publice denuntiatae fuerint.

Denique interdictum potest esse *totale* vel *partiale*, secundum quod praedicta (scilicet divina officia, sacramenta vetita, et sepulturam ecclesiasticam) ex toto vel non ex toto prohibet.

III. In interdicto generali (quod nedum propter crimen omnium, sed etiam propter crimen Gubernantium vel civium principalium tantummodo, infligi potest) innocentes quoque comprehenduntur.

IV. Interdicto populo, non censetur interdictus clerus, nec censentur interdictae Ecclesiae. Interdicto autem clero, non censetur interdictus Episcopus, nisi expresse nominetur.

V. Interdicta urbe, interdicuntur etiam suburbia et territorium usque ad unum milliare, necnon omnes prorsus eiusdem urbis Ecclesiae atque etiam oratoria privata. Interdictis autem ecclesiis, nec cathedralis nec oratoria privata interdicuntur. Baller. (*n. 555. 556*).

VI. Quum interdictum *mere locale* directe locum; indirecte autem tantummodo et ratione loci, personas afficiat; hinc in loco interdicto nemo, et nequidem alienigenae vel peregrini vel religiosi exempti (secluso privilegio) divinis officiis participare et sacramenta vetita recipere valent; bene vero id possunt qui ex loco interdicto alibi se conferunt.

VII. Interdictum *mere personale generale* alicuius societatis (dum, v. g. talis vel talis civitatis populus interdicitur) afficit pertinentes ad eandem societatem, etiam absentes, etiam in posterum (durante interdicto) stabiliter adventuros; qui proinde alibi quoque interdicto subiiciuntur; sed peregrinos non comprehendit et ne quidem (quia odia sunt restringenda) illos qui in loco quasi-domicilium tantummodo habent. Ballerini (*n. 554*).

VIII. Ante Bonifacium VIII (circa *an. 1300*) tempore interdicti permittebantur solum baptismus et confirmatio pro parvulis, poenitentia et eucharistia pro moribundis, celebratio Missae semel in hebdomada ad renovandum SS.mum Sacramentum pro viaticis, et denique matrimonium. Caeterum omnia alia prohibebantur; unde interdum contingebat quod alicubi per triginta aut quadraginta annos Ecclesiae clausae remanerent et missa aliaque divina officia nunquam celebrarentur. Sed, quum res huiusmodi potius in malum quam in bonum vergere inciperet, dictus Pontifex (celebri Cap. *Alma mater in 6° De sent. excomm.*) quoad interdictum *locale generale* sequentia statuit.

1°) Administrari posse sacramentum poenitentiae etiam sanis,

2°) Celebrari posse missas et divina officia quotidie in ecclesiis et monasteriis, sed submissa voce, ianuis clausis, et campanis non pulsatis, semperque exclusis excommunicatis atque interdictis personaliter.

3°) In maioribus anni solemnitatibus (Cf. Ballerini *l. c. 521. 2°*) missas et divina officia esse celebranda ianuis apertis, et alta voce, perinde ac si interdictum non adesset, et personaliter quoque interdictis admissis.

1136. Haec autem Bonifacii VIII moderatio valet etiam pro interdicto *personali generali populi* (dummodo eaedem serventur conditiones); idque a fortiori, tunc enim Ecclesiae non sunt interdictae. Sed non valet pro interdicto *locali particulari;* quum enim tunc aliae Ecclesiae non interdictae praesto sint, non licebit in ecclesia interdicta divina officia et missas ullatenus celebrare, nisi forte ad renovandum sacramentum pro viaticis, aut pro alia fortuita necessitate, id necessarium foret.

IX. Tempore interdicti ministrari quidem possunt quaedam sacramenta (ut supra), sed ordinarie non a personis particulariter interdictis. Dixi *ordinarie;* clerici enim particulariter interdicti, si sint tamquam tales publice denuntiati (scilicet vitandi), solum in casibus extremae necessitatis; et, si sint tolerati, solum quando sint requisiti, ea administrare possunt.

X. Eadem sacramenta personis particulariter interdictis administrari nequeunt, nisi eos poeniteat, et satisfacere parati sint.

XI. Baptismus, confirmatio et viaticum administrari possunt etiam solemniter. Sed matrimonium sine benedictione nuptiali celebrari debet. Extrema unctio nequit administrari, nisi forte moribundus confessionem facere nequiverit. Denique ordines sacri solum in loco non interdicto et personis particulariter non interdictis conferri possunt.

XII. Quoad sepulturam ecclesiasticam, si interdictum sit locale generale, in illo loco dari nequit talis sepultura laicis; bene vero dari potest clericis qui interdicto personali non subiaceant. Dixi *in eo loco;* extra enim sepultura ecclesiastica quotquot personaliter non sint interdicti donari possunt. Si vero interdictum sit personale generale (intellige publice denuntiatum), tunc, omnia illius communitatis membra (etiam infantes, etiam innocentes) privantur sepultura ecclesiastica, quocumque loco existant vel transferantur. Si denique interdictum sit personale particulare, tunc taliter interdictus si fuerit vitandus et absque signis poenitentiae decesserit, sepultura ecclesiastica privari debebit; secus, si secus. Cf. Lehmkuhl (*II 911*).

XIII. Interdictum *ab ingressu ecclesiae* est quoddam interdictum partiale, quo quis in ecclesia celebrare divina officia, iisque assistere; sacramenta ministrare, atque in loco sacro sepeliri prohibetur. Qui itaque huic interdicto subiicitur potest praedicta praestare extra ecclesiam scilicet in oratorio privato; item recipere domi etiam extremam unctionem, imo (iuxta plures contra alios) etiam recipere sacramenta in ecclesia, dummodo privatim, maxime vero in illa concionem audire, et privatim orare. Cf. D'Annibale (*I 350*).

Appendix

De quibusdam aliis poenis ecclesiasticis et de cessatione a divinis.

1137. Praeter censuras, adsunt quaedam aliae poenae ecclesiasticae, v. g. depositio, degradatio, privatio vocis activae et passivae in capitulis, privatio officiorum vel graduum vel dignitatum, et privatio sepulturae ecclesiasticae.

1138. **Depositio** est poena, qua clericus *in perpetuum* removetur a suscepti Ordinis exercitio, aut ab officio et ecclesiasticae iurisdictionis usu, aut a beneficio, aut ab his omnibus simul.

1139. **Degradatio** comprehendit depositionem, eique addit privationem privilegii fori et canonis si sit *realis;* et sic reiicit clericum ad statum quasi laicalem. Dixi *quasi*; character enim ex ordine sacro proveniens non deletur, et insuper clericus suis obligationibus, v. g. caelibatus, horarum canonicarum etc. non liberatur. Si autem degradatio sit solum *verbalis* (quin ad realem et solemnem processum fuerit), tunc, sublato privilegio *fori,* privilegium *canonis* remanet. Cf. Lehmkuhl (*II 916*).

1140. **Privatio vocis activae et passivae** est poena, qua quis in capitulo ita votum amittit, ut nec eligere nec eligi possit. Cf. Ballerini (*l. c. n. 587*).

1141. **Privatio officiorum, graduum vel dignitatum.** Haec poena intelligitur de muneribus habentibus administrationem rerum vel personarum ecclesiasticarum *cum superioritate ;* non vero de officiis lectoris, consultoris, sacristae, oeconomi etc. Ballerini (*l. c. 588*).

1142. De **privatione sepulturae ecclesiasticae,** iam egi supra (*Vol. IV n. 429 et seqq.*).

1143. Denique **cessatio a divinis** non tam poena est quam publicus luctus impositus propter gravissimum scelus in loco commissum. Tunc *totaliter* a divinis officiis, a sepultura ecclesiastica, et a sacramentis (exceptis necessariis) abstinendum est.

Sectio III.

DE CENSURIS PARTICULARIBUS quae vigent post Const. APOSTOLICAE SEDIS.

1144. Excommunicationes, suspensiones et interdicta, quae hodie Summo Pontifici (sive simpliciter, sive speciali sive specialissimo modo), aut Episcopis aut Praelatis Regularibus reservantur, exposui supra (*n. 179-197*).

Heic exponendae sunt censurae nemini reservatae; quod faciam infra *Cap. IV.* Addendum esset quoque commentarium de censuris omnibus sive reservatis sive non reservatis; sed, quum innumera et optima ab aliis iam facta fuerint commentaria, ego, solum circa censuras magis practicas, explicationes, et decreta novissima, adiiciam.

CAPUT I.

EXPLICATIONES CIRCA NONNULLAS EXCOMMUNICATIONES ROMANO PONTIFICI SPECIALI MODO RESERTATAS.

(A)

1145. *Omnes a christiana fide apostatae, ac omnes ac singuli haeretici, quocumque nomine censeantur, et cuiuscumque sectae existant, eisque credentes, eorumque receptores, fautores, ac generaliter quilibet illorum defensores.*

I. **Apostata** est qui totaliter nomini christiano renuntiat, fidem christianam abnegat, et non vult amplius inter christifideles connumerari.

Hinc apostatae sunt nedum qui transeunt ad Thurcas etc., sed etiam qui valedicendo religioni christianae nullam aliam profitentur religionem supernaturalem, atque increduli, vel athei, vel deistae, vel materialistae, vel indifferentistae, vel *liberi cogitatores* evadunt.

Cum his tamen non sunt confundendi qui (ut vulgo dicitur) non sunt practicantes, hi enim inter christianos adhuc connumerari volunt. Piat (*Commentarius Const. Ap. Sedis*).

II. **Haereticus** est qui, retento nomine christiano, in parte dumtaxat a fide deficit, unde, quamvis christianus, a fide catholica aberrat.

Non est necesse ut articuli, in quibus haereticus deficit, fuerint definiti ab aliquo Concilio, vel Pontifice; sed sufficit quod ab omnibus catholicis credantur esse de fide absque ulla controversia, quatenus clare sive in S. Scriptura sive in traditione contineantur. (Cf. Lugo *De Fide XX 66*).

Ad haereticum constituendum sufficit quod dubitet, iuxta adagium: « Dubius in fide infidelis est ». Aliqui tamen censent, hanc constitutionem loqui de haeresi *perfecta*, qualis non est in dubitante tantummodo. (Cf. Bucceroni *n. 8*). Certe exigeretur dubium positivum, pertinaciter affirmando rem esse dubiam. (Schmalzgr. *L. V tit. VII n. 5*).

Ad pertinaciam tamen (quae ad haeresim exigitur) constituendam, non oportet ut quis tractu temporis obstinate in suo errore permanserit; sed sufficit ut, perspiciendo suam sententiam esse contra fidem, nihilominus illam animo tenuerit atque externe expresserit, quamvis statim eum poenituerit, et quamvis nemo illum audierit.

III. Uno verbo sub nomine apostatae et haeretici quilibet a fide devius (*interne simul et externe*) intelligitur.

IV. Prima fronte plurimi in hanc censuram incurrere, et nostrae civitates excommunitatis plenae esse viderentur; sed non est ita; sequentia enim verificari deberent.

Oportet scilicet 1°) Ut qui a fide aberrat, prius persuasus fuerit gravem adesse obligationem credendi illa quae nunc non credit: si enim quis, etiam ex propria culpa et negligentia gravi didicendi doctrinam christianam, talem obligationem nunquam didicisset, apostata vel haereticus formalis esse nequiret. Lugo (*l. c. 171*).

Oportet 2°) ut recessus a fide non ex mero et inculpabili intellectus errore provenerit, sed exigitur ut talis error a passionibus seu prava voluntate ita provocatus fuerit, ut a formali et mortali peccato excusari nequeat.

Oportet 3°) ut error fuerit exterius expressus, et quidem talibus verbis, aut scriptis, aut factis (1), ut quis si auditus fuisset, tamquam haereticus formalis existimari omnino debuisset; secus enim non haereticus externus, sed ad summum suspectus de haeresi foret; Ecclesia autem

(1) Haeresis manifestaretur facto, v. g. si quis abdita cordis scire vel futuras hominum liberas actiones, quae soli Deo patent, divinare per tabulas rotantes, hypnotismum etc. conatus fuerit; dummodo haeresim facto implicitam adverterit. Génicot (*n. 586*).

non iudicat de internis. Cf. Lehmkuhl (*I. De fid. et II. 920. 921*).

Oportet 4°) ut haeresim proferens excommunicationem incurrere sciat atque advertat.

Oportet denique 5°) ab apostatis et haereticis distinguere illos (utique innumeros), qui, non ex defectu fidei, sed ex respectu humano vel negligentia, non sunt *practicantes*, ut supra dicebam.

V. Quoad **fautores haereticorum,** pro praxi sufficit observare declarationem datam per Card. Vicarium a Leone XIII die *12 Iul. 1878* (apud Acta *XI pag. 172*), iuxta quam excommunicationi speciali modo R. P. reservatae subiiciuntur sequentes.

1°) Qui etiam ex solo respectu humano sectae haereticae nomen dant.

2°) Qui haereticorum functionibus participant (intellige *formaliter*, vel saltem stricte in divinis, v. g. participando Protestantium *coenae*. Cf. *Monitore II.* II *pag. 107*), aut illos praedicantes audiunt cum animo eis credendi, si (ut aiunt) persuasi reddantur.

3°) Qui ad conferentias haereticorum alios ducunt.

4°) (Saltem apud nos) qui invitationes ad ipsas conferentias earumque themata typis publicant.

Non vero (etsi peccent) excommunicationem incurrunt qui ex mera curiositate easdem conferentias audiunt aut eorum functionibus assistunt; item qui ex solo fine lucri in eorum templis cantant aut sonant; et qui eorum templa fabricant vel ornant; item qui ipsorum scholas adeunt aut filios ad easdem mittunt.

Adde 5°) illos qui matrimonium ineunt coram ministro haeretico sacris addicto. S. C. S. O. (*22 Mart. 1879* apud *Monitore VII.* II *222*). Vide dicta (*n. 1113 N. B.*).

(B)

1146. *Omnes et singuli scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicae libros eorundem apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes; nec non libros cuiusvis auctoris per apostolicas litteras nominatim pro-*

hibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes.

I. Si liber in forma consueta (idest a S. Congr. Indicis) prohibitus fuerit, tunc (ut censura locum habeat) oportet ut haeresim nedum contineat sed vere propugnet; atque etiam ut illius auctor sit apostata vel haereticus, quamvis non oporteat ut talis sit ex secta, sed sufficiat ut talis praesumi debeat ex doctrina, quatenus (si v. g. liber esset anonymus) ex circumstantiis credendum sit quod non ex ignorantia, sed cum cognitione agendi contra Fidem ita scripserit. Non tamen sufficeret, si esset solum de haeresi suspectus.

Si autem liber per litteras apostolicas (v. g. per Breve pontificium) prohibitus fuisset, tunc, quidquid esset de auctore et de rebus in illo contentis, censura semper subsisteret.

II. Diaria (atque etiam ephemerides, si forte non in fasciculis sed in foliis dispensarentur) censurae non subiicerentur. De hoc olim disputabatur, sed hodie certum est ex Decreto S. C. S. O. (*27 Apr. 1880*). Si autem in fasciculis iam sint ligata, tunc iam veri libri essent, et proinde, si haeresim propugnarent atque auctorem apostatam vel haereticum haberent, sub censura prohiberentur; ut patet ex alio decreto S. O. (*13 Ianuarii 1892* apud De Siena).

III. Censura afficit legentes, retinentes, imprimentes et defendentes; sed oportet ut haec omnia fiant *scienter;* et proinde ignorantia (etiam crassa et supina) a censura excusaret.

IV. De licentia, quae a S. Sede obtineri potest ad libros prohibitos sive legendos sive retinendos, vide *De occasionariis* (*Ed. V n. 234*).

V. Quomodo excusare possit parvitas materiae, vide ibid. *n. 232;* et nota quod prohibitio refertur ad totum librum et non ad partes infectas tantummodo; etsi quoad partes non infectas ad culpam gravem et proinde etiam excommunicationem incurrendam lectio protractior exigatur.

VI. De typographis et librariis plures explicationes dedi supra (*Vol. II n. 272 et seqq.*).

(C)

1147. *Schismatici et ii qui a Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt vel recedunt.*

Hic intelligitur non iam inobedientia aliqua propter incommodum obediendi (v. g. in abstinentiis et ieiuniis) sed inobedientia ita qualificata ut Pontifex credatur nec iuste nec bene procedere talem vel talem rem praecipiendo aut vetando (v. g. apud nos vetando retentionem supremae iurisdictionis in Ditione Pontificia). Cf. Ballerini (*Op. th. XI 426*).

1148. N. B. Liberales, ut plurimum, per se loquendo (nisi scilicet ignorantia excusarentur), sunt apostatae vel haeretici (Cf. *Vol. II n. 68*); illi autem, qui dicuntur catholici-liberales, tamquam recedentes ab obedientia Romani Pontificis (pariter per se loquendo) haberi deberent.

(D)

1149. *Impedientes directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, et* (scilicet *vel*) *ad hoc recurrentes ad forum saeculare, eiusque mandata procurantes, edentes, aut auxilium, consilium vel favorem praestantes.*

Iurisdictio consistit in potestate legislativa, iudiciaria, et administrativa. *Legislativa,* ad quam leges vel decreta condere; censuras adiicere, et dispensationes concedere; *iudiciaria,* ad quam sententias proferre et executioni demandare vel a censuris et peccatis absolvere; *administrativa,* ad quam beneficia et officia distribuere, delegare, dioecesim visitare etc., spectat.

Impedientes hanc iurisdictionem, sive quoad Summum Pontificem, sive quoad sacras congregationes, sive quoad Episcopos, contrahunt praesentem excommunicationem, *effecto secuto*; idque sive per se (v. g. coactione, minis etc.) sive ope fori (nempe tribunalis) saecularis (recurrendo v. g. prout aiunt, *propter abusum*) iurisdictionis exercitium impediant. Exemplum habes etiam in negantibus *Exequatur*. Depeder (*n. 883*).

(E)

1150. *Cogentes sive directe sive indirecte iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones.*

Haec censura non ferit iudices, neque illos qui contra virum ecclesiasticum iudici laico talia deferunt, ut ille ad normam legis eum tamquam reum aut debitorem ad suum tribunal trahere cogatur: imo ne illos quidem qui vi aut metu iudicem ad id cogerent.

Quomodo itaque res ista intelligi debet? Responsum habetur in litteris encyclicis S. C. S. O. (*23 Ian. 1866*), quae dicunt: « Caput *Cogentes* « non afficere nisi legislatores et alias auctoritates ». Cf. Génicot (*n. 590*).

Etsi tamen non incurratur excommunicatio, tamen subsisteret peccatum etc.

(F)

1151. *Edentes leges vel decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae.*

Huiusmodi edentes sunt etiam qui suis suffragiis (sive tamquam deputati, sive tamquam senatores, sive tamquam consiliarii municipales) ad tales leges vel decreta concurrunt. Decreta tamen debent esse generalia, non vero restricta ad personam vel casum particularem.

Censura itaque locum habet in legibus quae relate ad Ecclesiam intercipiunt, restringunt, vel perturbunt, v. g. ius docendi, promovendi ad ordines, publicas supplicationes (v. g. extra templa) obeundi, templa, beneficia, ordines religiosos et pia sodalitia instituendi et conservandi, beneficia conferendi sine *exequatur*, acquirendi et possidendi bona temporalia, administrandi bona locorum piorum, habendi immunitatem a servitio militari (quoad clericos) etc.

Patet autem hanc excommunicationem ad illos qui dictas leges vel decreta applicant non extendi. Génicot (*n. 590*).

(G)

1152. *Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica vel ab eiusdem Legatis aut Delegatis quibuscumque profecta, eorumque promulgationem vel executionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive ipsas partes, sive alios laedentes vel perterrefacientes.*

Hic quoque veniunt illi qui (efficaciter et cum effectu) recurrunt ad laicam potestatem, ut aliquis, post obtentam pro beneficio ecclesiastico Bullam Pontificiam, *exequatur* non obtineat. Notandum quod S. C. S. O. (*13 Ian. 1892*) apud Acta (*XXIV 625*) decrevit per acta a Sede Apostolica profecta designari non tantum acta quae immediate a S. Pontifice proficiscuntur, sed etiam quae mediate, et quae a SS. RR. Congregationibus proveniunt.

(H)

1153. *Absolventes complicem in peccato turpi....*

Haec censura nedum speciali sed specialissimo modo S. P. reservata contrahitur a confessario qui absolvat aut fingat absolvere complicem in peccato turpi, quo nomine

veniunt etiam turpiloquia. Sed de hoc argumento egi ex professo in alio opere quod inscribitur *De sollicitatione et de absolutione complicis.*

Hic adde quod S. C. S. O. (*13 Ian. 1892*) interrogata an absolventes complicem in re turpi cum ignorantia crassa et supina hanc excommunicationem incurrant, an non? Respondit: *In casu, incurrere.*

(I)

1154. *Usurpantes vel sequestrantes inrisdictionem, bona, redditus ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes.*

I. Haec excommunicatio respicit usurpationem bonorum beneficialium (etiam iuris patronatus laicalis), aut capellaniarum *collativarum* (sunt enim vera beneficia. Bonacina *l.* XVIII. II *25*), aut spectantium ad canonicos in globo (haec enim pertinent ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum); sed huc non spectant alia bona ecclesiastica, v. g. locorum piorum, vel quae dicuntur bona *fabricae* aut *sacristiae*, vel quae ad puellas dotandas destinata fuerunt; haec enim non pertinent *ad personas ecclesiasticas;* nec refert si forte a beneficiatis administrarentur.

II. Haec praecise excommunicatio non respicit (secus ac olim in Bulla *Coenae*) bona monasteriorum. Idem dic de beneficiis vacantibus; secus enim quomodo ablatio accideret contra personas ratione *suorum* beneficiorum? Ita aliqui (contra plures) apud Bonacinam (*l. c. 31*) et D'Annibale (*n. 85 not. 8*).

III. Haec excommunicatio ferit usurpatores stricte sumptos, eos nempe qui *primitus* dicta bona auferunt; idque per iniuriam quidem, sed ita ut non fures sed dominos se (saltem externe) authument, quasi ius suum prosequerentur. Imo (ut observat De Luca *Adnot.* ad Concil. Trid. *D. 23*) haec censura non respicit usurpationes privatas, contra quas mediis legalibus Ecclesia se tueri potest (ut puta, si quis in confiniis terram Ecclesiae usurparet etc.), sed illas solas auctoritativas et potentiales percutit, contra quas extremum dumtaxat censurarum medium deservire possit.

IV. Ferit etiam sequestrantes, iudices nempe qui auctoritate publica auferunt dicta bona a legitimis possessoribus, eaque sequestro subiiciunt. Hoc certe verum est si per iniquam sententiam, aut dum ad hoc non cogerentur, ita se gererent, Piat.

V. Caeterum qui praesentem censuram effugiunt, facile incidunt in excommunicationem circa idem argumentum simpliciter R. P. reservatam, de qua infra (*n. 1170*).

(K)

1155. *Invadentes, destruentes, detinentes, per se vel alios, civitates, terras, loca aut iura ad ecclesiam romanam pertinentia; vel usurpantes, perturbantes, retinentes*

supremam iurisdictionem in iis, nec non ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes.

I. Haec censura ferit omnes qui concurrerunt ad usurpationem, invasionem, et occupationem dominii temporalis Romani Pontificis, vel ad rebelliones contra illud. Extenditur etiam ad favorem praebentes (imo Pius IX, Const. *Respicientes, 1 Nov. 1870*, adiecit etiam *adhaerentes*); sed circa istos omnes oportet ut participatio gravitatem etiam externam praesetulerit; unde concursus ipsius gravitas, efficacia, diuturnitas, maxime vero quo animo praestitus fuerit, considerari debet. Cives plurimi ex metu et ignorantia suffragium dederunt; milites plurimi non voluntarie sed coacte invasionis participes fuerunt; plurimi denique momentaneo aestu adhaeserunt, aut ex respectu humano vel metu signa laetitiae seu adaesionis adhibuerunt. Isti omnes excommunicationem non incurrerunt. Cf. Del Vecchio (*I 588*) et Commentatores Rom. apud Acta (*pag. 339 et seqq.*).

II. Haec censura ferit etiam retinentes iurisdictionem, nempe imperium et regimen, non solum absolute supremum sed etiam in civitatibus, terris, locis etc.

Retinentes intelliguntur quoque ii qui usurpationem non perpetraverint, sed usurpata haereditaverint.

Oportet tamen ut haec retentio sit graviter culpabilis (quatenus vel restitutio fieri posset, vel ex animo usurpationi propenso in retentione persistatur); si enim quis in retentione quidem persisteret, sed ex una parte restitutionem in favorem Pontificis (quin maiora mala provocarentur) exequi statim nequiret, et ex alia dispositus esset non solum ad procurandum bonum societatis, sed etiam ad tuenda iura Pontificis quantum poterit, ita ut proinde complicitas formalis evanesceret, et Pontifex ipse optare deberet ut pro interim nihil immutaretur, vel ut talis persona in officio permaneret; tunc excommunicatio adesse nequiret.

III. Caeterum, descendendo magis ad particularia, an et quae officia sub gubernio invasore hodie retineri possint necne, vide dicta *Vol. II n. 265 et seqq.*. Circa autem concursum ad urnas politicas vide *l. c. n. 263.*

Et notandum quod in re adeo momentosa simulque difficili (ut nihil fiat invito domino), standum est semper iudicio Summi Pontificis, qui utique sive pro exercendis officiis gubernativis (etiam supremis) sive pro concursu ad urnas politicas (ad avertenda mala maiora) facultates particulares hoc vel illo modo determinatas concedere potest, et (sive expresse sive tacite) reapse concedit.

CAPUT II.

EXPLICATIONES CIRCA NONNULLAS EXCOMMUNICATIONES ROM. PONT. RESERVATAS SIMPLICITER

(A)

1156. *Docentes vel defendentes sive publice sive privatim propositiones ab Ap. Sede damnatas sub excommunicationis poena latae sententiae; item docentes vel defendentes tamquam licitam praxim inquirendi a poenitentibus nomen complicis, prouti damnata est a Benedicto XIV etc.*

Oportet itaque ut damnatio facta fuerit a Pontifice ex cathedra sub poena excommunicationis latae sententiae, prout accidit in prop. damnatis ab Innocentio XI, Alexandro VII, Alexandro VIII etc.

Sedulo notandum quod propositionibus damnatis in Syllabo excommunicatio non adiicitur. Videndum tamen semper ne forte agatur de propositione damnata tamquam haeretica, et ne quavis de causa defensio propositionis haeresim includat; tunc enim excommunicatio contra haereticos lata et speciali modo reservata locum haberet. Vide Baller. (*ad n. 975*).

Quoad inquisitionem de nomine complicis, vide dicta (*a. 310 IV*).

(B)

1157. *Violentas manus, suadente diabolo, iniicientes in clericos vel utriusque sexus monachos, exceptis (quoad reservationem) casibus et personis, de quibus iure vel privilegio permittitur ut Episcopus aut alius absolvat.*

I. Loquendo itaque solum de excommunicatione cum reservatione papali, oportet ut agatur de violentia graviter iniuriosa, et, quatenus res sit de laesione, haec fuerit vel 1° enormis (v. g. magnum vulnus, mutilatio, excaecatio etc.), vel 2° gravis (v. g. magna percussio, et respici debent quoque circumstantiae personae et loci) simulque non ab aliquo ex iis qui collegialiter vivunt perpetrata.

II. Si autem laesio fuisset in se levis (etsi graviter culpabilis) vel si fuisset quidem gravis sed perpetrata inter viventes collegialiter, tunc excommunicatio solum Episcopo reservata esset. D'Annibale (*n. 101*) aliique censent quod hodie (secus ac olim) impuberes hanc excommunica-

tionem non contrahant, quia Bulla *Apostolicae Sedis* illos non amplius indicat. Vide dicta *n. 1095*.

III. Nomine clerici venit quisquis prima tonsura sit insignitus, quamvis forte excommunicatus vel suspensus; attamen oportet ut vestes clericales non deposuerit si sit *in minoribus* (Cf. Decr. S. C. immunitatis *20 Sept. 1860* apud Acta *XXIX 627*); secus si clericus esset *in sacris*, nisi insuper matrimonium contraxisset vel delictis aut artibus ignominiosis se dedisset (Salmant. *X.* IV *21*, D'Annibale *I 100* et Bucceroni *n. 49*). Aliqui sub hoc capite includunt etiam seminaristas, quamvis non tonsuratos; sed hoc nullo certo argumento probatur. Génicot (*n. 594*).

IV. Nomine monachi veniunt etiam moniales, et intelliguntur non solum quae solemnem et veri nominis professionem emiserint sed etiam quae monasticum habitum induerint tamquam novitiae, quae cum habitu religioso pertinent ad pias societates ab Ecclesia approbatas, in quibus vota simplicia dumtaxat emittuntur. Hoc ultimum admittitur valde communius, sed aliqui contra sentiunt.

V. Ad censuram incurrendam, oportet ut violentia physica circa personam interveniat; unde si clericus moreretur propter minas, terrores, privationes etc., censura non adesset.

VI. Oportet etiam ut violentia sit graviter culpabilis, et in genere sacrilegii, nempe contra statum clericalem formaliter iniuriosa.

Hinc si accidisset ex ioco, inadvertentia, iusta correctione, iusta expulsione, vel ex actu primo-primo, vel ex errore (dum clericus pro laico occisus fuisset), censura non subsisteret.

Idem dicunt apud Acta Commentatores Rom. (*pag. 495*) de militibus quaesturae addictis et de carcerum custodibus, qui iussu Gubernii clericum in carcere detinere cogerentur.

Iura excipiunt etiam casum in quo manus violentas quis in clericum cum propria uxore, aut matre, aut filia (non vero cum aliis) turpiter inventum ipso facto (non vero postea) iniecisset.

VII. Caeterum non exigitur ut laesio corporalis acciderit, sed violentia physica sufficit (ut dixi), v. g. si quis aliquam ex dictis personis violenter detineret, aut vinculis obstringeret, aut in carcerem detruderet, aut libidinose (intellige semper per vim) cognosceret.

Idem dic si quis sputa vel lutum ei in faciem con-

iiceret; aut violenter vestes ei abscinderet; pileum vel baculum (cum gravi iniuria) auferret; rhedam, qua veheretur, per vim sistere faceret etc. Sed in his casibus (nisi aliud superadderetur) violentia censeretur levis et soli Episcopo reservaretur. Scavini (*I 954*).

Denique nihil refert sive violentia per immediatam manuum iniectionem sive per aliquod obiectum intermedium acciderit; ut puta, si quis clericum veneno interimeret, telo aut lapide vulneraret, sclopo extenso consistere cogeret vel in fugam coniiceret, aut canem belluamve ferocem contra illum incitaret etc.

VIII. Dicunt non excusare ignorantiam crassam, ut puta, si quis occidisset clericum cum dubio an clericus esset.

IX. Olim hanc excommunicationem incurrebant etiam mandantes et consulentes; sed Const. *Apostolicae Sedis* illos recensuit quidem in censura lata contra percutientes Episcopos, sed non in ista; unde D'Annibale, Ballerini aliique (contra alios) censent quod mandantes (v. g. iudices ad carcerem condemnantes) et consulentes hic non amplius comprehendantur, et rationes quas adducunt spernendae non videntur.

V. Quid de eo qui, volens occidere clericum Petrum, ex errore occideret clericum Paulum? Communiter dicunt excommunicationem incurri quia homicida iam cognoscebat se occidere clericum. Aliqui tamen (inter quos D'Annibale *in Summ. I 334*) contra sentiunt.

XI. Hac censura ligari ipsum clericum qui ex ira vel desperatione in seipsum manus violentes iniiciat, docent plures; sed alii valde plures (et meo sensu recte) contradicunt. Cf. Piat.

1158. An percussor clerici sit vitandus, vide dicta *n. 1110 III.*

(C)

1159. *Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel illud acceptantes, et quilibet complices, vel qualemcumque operam aut favorem praebentes; nec non de industria spectantes, illudque permittentes, vel*

quantum in illis est non prohibentes, cuiuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis.

Pro explicatione sufficiunt dicta *Vol. II* (*n. 698 et sqq.*).

(D)

1160. *Nomen dantes sectae massonicae aut carbonariae, aut aliis eiusdem generis sectis, quae contra ecclesiam vel legitimas potestates seu palam seu clandestine machinantur; nec non iisdem sectis favorem qualemcumque praestantes; earumve occultos coryphaeos ac duces non denunciantes, donec non denunciaverint.*

I. Praescindendo itaque a sectis massonicis et carbonariis, quae hic expresse comprehenduntur, quoad alias, si agatur de secta contra ecclesiam, ut puta, si eius asseclae debeant abstinere a cultu catholico, vel conspirare contra iura (v. g. dominium temporale) Ecclesiae, tunc censura semper aderit. Si vero agatur de secta contra gubernia saecularia, tunc censura viget si secta respiciat gubernia legitima, vel gubernia omnia tam illegitima quam legitima (prout accidit in internationalismo). Certe comprehenduntur etiam sectae Fenianorum, Nihilistarum et Anarchistarum. Ut tamen quis censuram incurrat eo quod sectae nomen det, oportet ut cognoscatur quod vere sit de supradictis, quin tamen oporteat ut sit secreta, vel iuramentum secreti in ipsa exigatur, vel finis perversus in propatulo sit. Quoad alias vero sectas quam maxime suspectas (eo quod, v. g. huiusmodi iuramentum de secreto, vel obedientia illimitata exigatur) peccatum mortale aderit. Vide Instruct. S. C. S. O. (*10 Maii 1884*) relatam *De occasionariis* (*n. 186 IV*) et Génicot (*n. 596*).

Quid de *Socialistis?* Valde communius theologi docent, sectam quoque socialisticam sub hac censura comprehendi; sed Vermeesch, *Moniore* (*XX 368*) aliique contra sentiunt. His ego quoque adstipulor. Socialismus enim non videtur esse eiusdem generis cuius est secta massonica. Est potius factio confusa, quam secta organizata; estque similis liberalismo, qui pariter non censetur sicut massonismus et excommunicationi subiectus. Inter socialistas multi quidem

contra Religionem et actualia Gubernia pessimas habent intentiones; sed alii plurimi intendunt solum ut operariorum aliorumque indigentium conditio melior reddatur, utendo quidem etiam mediis turbulentis (it. *scioperi*), sed non proprie contra Religionem vel Gubernium coniurando, prout ad censuram incurrendam exigeretur. Adde quod sensu communi nemo censetur excommunicatus hoc solo titulo quod *alle camere di lavoro* od *alle leghe* (idque solum ex intentione assequendi maiorem mercedem aut percipiendi subsidia a sociis) adscriptus fuerit.

III. Theologi dicunt, quod inter favorem praestantes recenseri debent etiam qui modo indirecto et praeter intentionem favent vel auxilium praebent, ut puta, si domus sectariis locetur. Attamen semper necessarium erit ut hic favor indirectus gravem reatum constituat iure naturae (ut puta, si nullus alius domum eis locaturus vel venditurus esset), secus enim qui etiam panem et vinum eis vendunt excommunicarentur. Certe tamquam fautores haberi deberent qui huiusmodi societates propagare satagunt, aut illis (nulla necessitate cogente) potestatem faciunt caetus suos habendi; aut iis in suis aedibus receptaculum praebent; aut earundem caetibus ita intersunt, ut talis interventus approbationi et commendationi aequivaleat etc.

III. Denuntiatio respicit coryphaeos, et duces (nempe directores non solum primarios sed etiam secundarios) *occultos;* et peragenda esset quamvis forent noti tamquam sectarii, sed occulti tamquam coryphaei et duces; imo et quamvis sectarii a Guberniis tolerarentur, et ab ecclesiastica potestate puniri non possent nec ullo modo cohiberi, ut patet ex Decreto S. O. (*19 Apr. 1893* apud Acta *XXV 749*). Haec autem denuntiatio (nisi ab illa facienda obtineretur dispensatio) peragi deberet apud Ordinarium (sive viva voce, sive per epistolam, sive per confessarium) intra mensem a die cognitae obligationis, iuxta regulam generalem, et nisi magnum incommodum dilationem excusaret. Mense autem elapso, et sic, ex capite omissae denuntiationis, contracta excommunicatione, si postea denuntiatio perageretur, excommunicatio ipsa non cessaret per se (ut fere omnes docent contra aliquos), sed cessaret esse reser-

vata et a quolibet confessario absolvi posset. Cf. Génicot (*l. c.*).

IV. Caeterum sive a denuntiandis coryphaeis, sive a recessu formali atque totali a secta, excusare possunt incommoda gravia vel gravissima; quod tamen cum mica salis est intelligendum: qua de re vide dicta *De occasionariis* (*l. c.*). Haec doctrina confirmatur novissimo responso S. C. S. O. (*18 Ian. 1896* apud Acta *Vol. 27 n. 690*), quo dicitur, sub certis conditionibus tolerari posse ut fideles, ad gravem damnum vitandum, permaneant adscripti quibusdam societatibus Americanis a S. Sede reprobatis.

V. Episcopi solent habere facultatem delegatam et subdelegabilem absolvendi etiam ab hac censura. In illa adsunt clausulae separationis totalis a secta et denuntiationis coryphaeorum etc. Sed pro iis haberi posse rationem excusationum praedictarum docet Génicot (*n. 597*).

(E)

1161. *Immunitatem asyli ecclesiastici ausu temerario violare iubentes aut violantes.*

Haec immunitas, non obstante consuetudine contraria, in eo sita est ut delinquentes (exceptis quibusdam casibus) nequeant extrahi a loco sacro, si ad illum confugerint. Quum tamen exigatur *ausus temerarius*, excusantur milites qui a suis ducibus, et duces qui a suis superioribus ad id cogantur; et proinde in praxi censura ista rarissime locum habebit. Cf. Decreta S. C. S. O. apud Bucceroni (*Comment. n. 56*) et Génicot (*n. 579*).

(F)

1162. *Violantes clausuram monialium, cuiuscumque generis aut conditionis, sexus aut aetatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo: pariterque eos introducentes vel admittentes; itemque moniales ab illa exeuntes extra casus ac formam a S. Pio V (Const.* Decori) *praescriptam.*

In hac censura (quae respicit clausuram papalem tan-

tummodo) impuberes quoque (uti patet) et foeminae comprehenduntur.

Introducentes vel admittentes sunt moniales ipsae, quae v. g. aperiendo ianuam, invitando etc. introducunt; vel quae ingressum non impediunt, dum ex officio (v. g. abbatissae vel ostiariae) illum impedire deberent. Piat. Alias explicationes iam dedi supra (*Vol. IV 691 et sqq.*).

Quoad egressum monialium (cum sola licentia Episcopi) nulla consuetudo in contrarium legitima esse potest. Decr. S. O. (*22 Dec. 1880*) apud Bucceroni (*Comment. n. 59*).

(G)

1163. *Mulieres violantes Regularium virorum clausuram, et Superiores aliique eas admittentes.*

Intellige si agatur de clausura Regularium veri nominis; et excipe 1° si pro ingressu obtenta fuisset licentia a S. Sede; 2° si adesset consuetudo legitima, cuiusmodi esse posset in variis casibus (v. g. foeminarum nobilium sub certis conditionibus); 3° puellas impuberes, et maxime septennio minores (peccatum tamen superesse posset); 4° casum necessitatis, si nempe mortis vitandae causa mulier illuc confugisset.

Censuram incurrerent non solum superiores mulierem admittentes, sed etiam alii; scilicet illi religiosi ad quos specialiter spectat clausurae custodia, si non impedirent; atque etiam caeteri religiosi si positive procurarent ingressum (et maxime si ad malum finem) aut ad illum concurrerent. Aliud esset si solum comitarentur iam ingressas vel cum illis confabularentur, quamvis diuturnioris morae causa sic essent. Vide Piat, Génicot (*n. 600*), et D'Annibale (*n. 117*).

(H)

1164. *Rei simoniae realis in beneficiis quibuslibet, eorumque complices.*

Rei simoniae confidentialis in beneficiis quibuslibet, cuiuscumque sint dignitatis.

Rei simoniae realis ob ingressum in Religionem.

Ad dictam simoniam realem constituendam, oportet ut quis beneficium, vel ipsius collationem, vel electionem seu praesentationem, vel facultatem procedendi ad religiosam professionem, emerit aut vendiderit, facto consummato ex utraque parte. Quoad simoniam confidentialem vero sufficit si, pacto inito, beneficium datum fuerit. Vide *Vol. II* (*n. 428 et seqq*).

(I)

1165. *Omnes, qui, quaestum facientes ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus, excommunicationis censura plectuntur Constitutione S. Pii V* Quam plenum.

Haec censura non ferit Episcopos. Oportet ut quaestum (seu lucrum pecuniarium) non solum attentatum sed obtentum fuerit revera; idque sive ex indulgentiis, sive ex quibusdam aliis gratiis spiritualibus indicatis in praedicta Bulla S. Pii V; inter quas recensetur gratia pro usu ciborum vetitorum, et absolutio propter simoniam realem *n. prace.* indicatam.

(K)

1166. *Colligentes eleemosynas maioris pretii pro missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis ubi missarum stipendia minoris pretii esse solent.*

Ad hanc censuram incurrendam oportet 1° Ut verificetur collectio (quae fiat ex industria et in magno missarum numero, ita ut quaedam *mercatura* constituatur); nec sufficeret si quis ab uno vel altero tantum missas peteret (Cf. Génicot *n. 602*). 2° Ut collector partem stipendii motivo lucri, non vero alio fine, sibi retineat. 3° Ut lucrum inde perceptum materiam gravem (imo valde notabilem) constituat.

Oportetne ut missae celebrari fiant non in loco collectionis sed alio, et praecise tali in quo minori stipendio celebrari soleant? Negative; verba enim praedicta id significantia sunt solum ad indicandum communem modum. Ita dicit S. C. S. O. (*13 Ian. 1882* apud Acta *XXIV 625*).

Contra colligentes huiusmodi eleemosynas adsunt etiam aliae censurae, de quibus vide dicta *Vol. IV n. 945 et sqq.*

(L)

1167. *Omnes qui excommunicatione mulctantur in Constitutionibus... alienationem et infeudationem Civitatum et Locorum S. R. Ecclesiae respicientibus.*

Censuram istam incurri a modernis conciliatoribus, dummodo sive personaliter, sive per internuncios, sive per litteras aut libros, sive per subscriptiones (*indirizzi*), de alienatione totali aut partiali dominii temporalis cum R. Pontifice revera agant, quamvis irrito conatu, censent aliqui; sed plures contra opinantur; unde practice censura non esset urgenda. Vide Bucceroni (*l. c. n. 69*) et Génicot (*n. 603*).

(M)

1168. *Religiosi praesumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis sacramentum extremae unctionis, aut eucharistiae per viaticum ministrare absque parochi licentia* (intellige expressa aut praesumpta).

Haec censura imprimis supponit quod administratio mala fide peragatur.

Non extenditur ad religiosos novitios aut quomodolibet non solemniter professos, vel extra claustra ad modum presbyterorum saecularium degentes.

Oportet autem ut dicta sacramenta ministrentur clericis aut laicis; unde si Regularis viaticum ministraret monacho (etiam diversi ordinis et extra monasterium) censuram non incurreret.

Quando vero agitur de clericis aut laicis, censura contraheretur quamvis forte intra monasterium degerent, exceptis monasterii ipsius famulis, et excluso etiam speciali privilegio, quod adesse posset si haberent hospitale vel tertiariatum etc.

Excluditur casus necessitatis, et proinde lex non extenditur ad casum in quo parochus acciri nequiret.

Nomine autem parochi plures (nempe D'Annibale, Bucceroni, Génicot etc.) intelligunt tantummodo parochum proprium infirmi, cuius scilicet sit parochianus ratione domicilii aut quasi-domicilii; ita ut parochus in cuius paroecia adest monasterium, si in illo moribundus esset solum peregrinus, non comprehenderetur; sed rem istam ego non percipio; lex enim non dicit agi debere de parocho proprio, et, quia illius ratio est coercendi usurpatae potestatis abusus (ut bene advertit D'Annibale), intelligenda est de parocho ad quem spectat administratio sacramentorum, qui profecto in casu (quoad peregrinum moribundum) est parochus loci.

(N)

1169. *Absolvere praesumentes sine debita facultate, etiam quovis praetextu, ab excommunicationibus Rom. Pont. reservatis speciali modo.*

In casu tamen necessitatis et quoad impeditos, vide dicta *n. 230 et seqq.*).

(O)

1170. *Qui extra casus expressos in censura speciali modo reservata* (et exposita mox supra *n. 1154 I)* ***usurpant*** *bona ecclesiastica cuiuslibet speciei, aut* ***usurpata acquirunt,*** *iuxta decretum Concil. Trid. (XXII.* XI) *a Const.* Apostolicae Sedis *confirmatum.*

In hoc casu, hodie apud nos adeo practico, paullisper immorandum est.

Ante decretum Tridentini in celebri Const *Ambitiosae* (in 6°) aderat alia excommunicatio (sed nemini reservata), quae infra explicabitur et respicit solum casum, in quo legitimi bonorum ecclesiasticorum administratores bona alienent.

1171. Decretum Tridentini aliter se habet, et contra casum usurpationis severius procedit, excommunicationem Romano Pontifici reservando et praecipue illam statuendo quamvis etiam legitimi administratores usurpationis ipsius complices non forent. En verba decreti : « Si quem cleri- « corum vel laicorum, quacumque is dignitate, etiam imperiali aut regali, « praefulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut « alicuius ecclesiae, seu cuiusvis saecularis aut regularis beneficii, mon- « tium pietatis, aliorumque locorum piorum iurisdictiones, bona, census « ac iura, etiam feudalia et emphyteutica, fructus, emolumenta, seu quas- « cumque obventiones, quae in ministrorum et pauperum necessitates con- « verti debent, per se vel alios, vi vel timore incusso, seu etiam per « suppositas personas clericorum aut laicorum, seu quacumque arte aut « quocumque quaesito colore, in proprios usus convertere illosque usurpare « praesumpserit, seu impedire ne ab iis, ad quos de iure pertinent, per- « cipiantur, is anathemati tamdiu subiaceat, quamdiu iurisdictiones, bona, « res, iura, fructus et redditus, quos occupaverit, vel qui ad eum quo- « modocumque, etiam ex donatione suppositae personae, pervenerint, ec- « clesiae eiusque administratori sive beneficiato integre restituerit, ac « deinde a Rom. Pont. absolutionem obtinuerit. Quod si eiusdem ecclesiae « patronus fuerit (1), etiam iure patronatus.... privatus existat. Clericus « vero, qui nefandae fraudis et usurpationis huiusmodi fabricator seu con- « sentiens fuerit, eisdem poenis subiaceat etc. ».

1172. Hoc decretum non tantum ad litteram, quantum iuxtam communem interpretationem, maxime vero iuxta authenticas Ecclesiae declarationes, intelligi debet. Puncta principalia sunt sequentia.

Extenditur latissime, nempe 1° ad omnia bona stricto sensu ecclesiastica, quae nempe ab Ecclesia possideri aut administrari debent, cuiusmodi sunt bona seminariorum, monasteriorum, piarumque confraternitatum auctoritate Episcopi erectarum ; nec non Congregationum vota simplicia habentium, si sint ab Ecclesia approbatae (Lucidi *II n. 440)* ; item bona Ecclesiarum fabricis aut sacristiis addicta (*fabbricerie*), montes pietatis, hospitalia, aliaque pia loca *Ecclesiae* (scilicet *Episcopi*) *auctoritate erecta*, tum quoad bona tum quoad iurisdictionem et regimen eorum, et beneficia omnia vacantia. Dico *vacantia ;* recolendum est enim quod usurpantes vel sequestrantes bona beneficiorum non vacantium incidunt non in hanc, sed in aliam excommunicationem quae est 11ª inter reservatas speciali modo ; ut mox supra vidimus (*n. 1154*). 2° Extenditur etiam ad bona non stricte ecclesiastica, cuiusmodi sunt dotes capellaniarum laicalium; hae enim etiam in ministrorum necessitates converti debent. Cf. D' Annibale (*Summula III n. 101*), Del Vecchio, De Varceno etc. Unde hoc in puncto decretum Tridentini tum ab excomm. 11ª reservata speciali modo, tum a Constit. *Ambitiosae* differt.

(1) Qui, ut explicat De Luca (*Adnot. ad Trid. XXIII*), se ingerat in perceptione fructuum ac administratione bonorum Ecclesiae vel Beneficii, cuius ipse patronus sit.

1173. Oportet tamen ut agatur de bonis, quae magni momenti sint, videlicet immobilia aut mobilia pretiosa; idque patet tum a solemni ratione quo hoc Tridentini caput inchoatur, tum a severitate poenae. D'Annibale, Génicot (*n. 606*) aliique. Vide rationes et explicationes apud Bucceroni (*n. 73*).

1174. Hæc Concilii Tridentini censura ferit sequentes sive clericos sive laicos (non itaque etiam Regulares; Cf. Bucceroni *l. c.*).

Ferit I. *Usurpantes,* eos nempe qui primitus contra legitimos administratores spolium exequuntur; idque intellige de spolio auctoritativo et potentiali (iuxta explicationem datam *n. 1154 III*), ut patet etiam ex declaratione C. S. Officii (*9 Mart. 1870*), ubi decernitur, fures heic non comprehendi, et ex Trident. (*XXV.* XII) circa subtrahentes decimas.

Non exigitur ut usurpantes in proprios usus *personales* eadem bona convertere velint; quando enim verificatur usurpatio auctoritativa, id satis est; sufficit scilicet quod quis ad usus qui quomodolibet sibi intersint illa usurpet.

Ferit II. *Mandantes* (dicente decreto *sive per se sive per alios*), intellige tamen si mandatum habeat effectum.

Ferit III. *Executores* (eos nempe qui usurpatorum nomine bona occupant *aut* venduut), ut patet ex declaratione S. Poenit. (*13 Nov. 1863*) dicente: « Attentis oc« cupationibus.... quibus regius oeconomatus operam suam « praestare tenetur, quaeque absque ecclesiasticarum cen« surarum incursu fieri nequeunt etc. ».

Ferit IV. *Legitimos administratores, si forte ad lucrum proprium illegitime et cum pseuda-auctoritate alienarent,* et sic usurpatores evaderent; si vero usurpationis ab aliis perpetratae complices aut consentientes essent, tunc censuram incurrerent solum si essent clerici, ut Tridentinum expresse dicit.

Ephemeris *Il Monitore* (*1 pag. 207*) opportune notat, talem consensum debere esse efficacem, nec sufficere si clericus solum post factum consentiret, aut si ab oppositione facienda se abstineret, dum oppositio nihil valeret.

Si demum legitimi administratores, *sine usurpationis malitia,* praeter casus in iure expressos ad alienationes procederent, inciderent solum in censuram *Ambitiosae,* de qua infra verba faciam.

Ferit etiam V. *Emptores,* illos scilicet qui (sine venia

apostolica) bona usurpata (quae per indultum S. Sedis legitima non evaserint) emunt.

C. S. O. (*8 Iul. 1884*) dixit : « Minime dubitandum, quin ementes « bona ecclesiastica ab usurpatoribus usurpata incidant in Excomm. Pont. « Rom. reservatam (1) », et declarat tali modo intelligendum esse decretum Tridentini.

Attamen, ut censura propter emptionem incurratur, D'Annibale (*n. 88 not. 40*) recte docet oportere semper ut de immobilibus aut mobilibus pretiosis res sit.

Exigitur ut emptor nomine proprio, non vero (per mandatum procurationis) pro aliis emat.

Insuper nec tenor decreti Tridentini nec quidquid aliud cogit ut, quoad horum bonorum emptionem, cooperatores (quales sunt etiam tabelliones, testes, advocati. Cf. *Monitore II.* II *pag. 60*) in censura comprehendantur.

Exigitur etiam ut emptio non solum attentata, sed vere peracta fuerit ; unde licitantes, si *adiudicatarii* non remanserint, censuram non incurrunt. S. Poenitent. (*15 April. 1873*).

1175. *Quid de illis ad quos nec per usurpationem praecise, nec per emptionem, sed aliis modis (venia Apostolica non obtenta) dicta bona pervenerint ?*

Emptores censurae subiiciuntur non a lege nova, sed a decreto Tridentini ; quandoquidem declaratio C. S. Officii ad illud se refert. Quum autem decretum istud de emptoribus explicite non loquatur, reliquum est ut isti comprehendantur in illis generalibus verbis *quos occupaverit, vel qui ad eum quomodocumque pervenerint ;* unde concludi debet quod censura Tridentina extenditur ad omnes illos, qui, absque indulto apostolico, bona aut iura usurpata possident, quidquid sit de modo quo ad eosdem pervenerint.

Hinc qui bona ipsa usurpata per haereditatem vel legatum acquirunt ab iis qui absque compositione cum S. Sede illa retinebant ; item qui bona beneficiorum iuris patronatus redimunt ut illa sibi applicent ; item qui bona emphyteutica (quorum dominium directum penes Ecclesiam sit) vel alia iura Ecclesiae ex indole propria irredimibilia (utendo facultate a lege civili concessa) redimunt ; item qui in emphyteusim perpetuam a Demanio bona ecclesiastica accipiunt etc. ; isti omnes subiiciuntur censurae Tridentinae, nisi forte ratione gravis incommodi et bonae intentionis excusentur.

Dixi *nisi forte ratione gravis incommodi et bonae intentionis excusentur*. Casus contingere potest si fundus Ecclesiae usurpatus cum aliis

(1). Nempe simpliciter ; idque quamvis bona empta ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum aut beneficiorum spectarent : censura enim speciali modo reservata ferit solum istorum bonorum usurpatores stricte sumptos, non vero emptores, ut supra vidimus.

bonis sive haereditariis, sive dotalibus, sive etiam emptis in globo, commixtus inveniretur. Attamen compositio cum Ecclesia semper exigeretur; illa enim non amitteret iura sua. Ita docent Comment. Romani (*Vol. II pag. 318*) et Génicot (*II n. 606*).

1176. *Quid de illis qui post primos usurpatores, locorum piorum, sine venia apostolica, regimen tenent?*

Stando in puncto iuris, deberent certe exposcere veniam apostolicam, qua non petita utique censuram incurrerent. (Vide *Monitore VI.* II *pag. 65*).

Caeterum hodie Episcopi habere solent facultatem hos administratores habilitandi nedum ut huiusmodi officium acceptare, sed etiam ut ad alienationes procedere possint. Vide *Vol. III 891.*

1177. *Quid de iis qui bona usurpata conducunt (it. prendono in affitto)?*

Plerique dicunt, ab illis censuram incurri; Tridentinum enim comprehendit etiam usurpationem seu illegitimam occupationem fructuum et reddituum; et si, iuxta Const. *Ambitiosae* (quae nunc quoque viget), excommunicationem incurrunt qui sine beneplacito Apostolico conducunt ultra triennium bona ecclesiastica a legitimis administratoribus eis locata, cur qui eadem bona ab usurpatoribus accipiunt, illam effugient?

Sed D' Annibale (*Comment. n. 88 not. 40*) aperte supponit illam non adesse, idemque sentiunt Commentatores Rom. (*II pag. 320-326*). Ratio esse potest quia, usurpatione iam peracta bonisque usurpatis minime restitutis, nihil damni ulterioris patitur Ecclesia si ipsa bona locentur et conducantur. Adde quod necessitas accipiendi fundos (non solum urbanos sed etiam rusticos) ad locationem est frequentissima et continua atque omnino exigitur a bono publico; unde prorsus necesse est ut Ecclesia contractibus huiusmodi saltem in substantia consentiat. Equidem in rigore aliquam dependentiam, imo et aliquam restitutionem pro lucro exigere posset. Sed heu quam saepe conscientiis laquea iniicerentur! Et proinde credendum est quod pia Mater Ecclesia sub peccato, maxime vero sub censura, haec non exigat. Profecto censura notissima quidem est quoad emptionem, sed quoad conductionem sive domuum sive fundorum vix aliquis de illa dubitat, imo ne de pe-

tenda quidem ab Episcopo licentia (maxime quoad domos) vix aliquis cogitat. Haec omnia simul sumpta suadere possunt, quod gravissima excommunicationis poena ad conductores minime extendatur.

1178. *Quomodo practice consulendum conscientiae eorum, qui bona Ecclesiae usurpata emerunt illegitime, vel redemerunt vel affrancaverunt etc.?*

De re ista satis et abunde egi supra *Vol. III* in Appendice (*n. 1451 et seqq.*).

CAPUT III.

EXPLICATIONES CIRCA EXCOMMUNICATIONES EPISCOPO SEU ORDINARIO RESERVATAS.

(A)

1179. *Clerici in sacris constituti, vel Regulares, aut Moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere praesumentes; nec non omnes cum aliqua ex praedictis porsonis matrimonium contrahere praesumentes.*

Commentatores fere omnes censent hic agi de matrimonio, quod, si non obstaret impedimentum ordinis aut voti, validum esset; et proinde actum civilem (quod matrimonii nomen non meretur) hanc censuram parere non posse. Cf. D' Annibale (*n. 149*). Sed interpretatio ista admitti nequit. Sacra enim S. Off. Congreg. decrevit, hanc censuram incurri 1° quamvis *de solo matrimonio civili* ageretur (*22 Dec. 1880* apud Acta *XV 536*); 2° quamvis adessent quoque alia impedimenta, v. g. affinitatis vel consanguinitatis (*13 Ian. 1892*).

(B)

1180. *Procurantes abortum effectu secuto.*

Hac censura plectuntur dumtaxat procurantes, qui scilicet nomine proprio, sive personaliter sive ope tertiae personae, mulierem (sive minis, sive persuasionibus, indu-

cunt ad abortiendum, aut directe in hunc finem percutiunt, terrent, ad onera nimis gravia portanda cogunt etc.

Haec censura ad cooperatores seu executores alieno nomine probabiliter non extenditur, et nequidem ad medicos qui rogati media indicant. (Comment. Patavin. Lehmkuhl *n. 980*).

Distinctio inter foetum animatum et inanimatum hic locum non habet. Supponitur tamen quod abortus sit talis ut gravem reatum sine ulla controversia implicet, qua de re vide dicta *Vol. II* (*n. 671*).

Oportet etiam ut abortus (quo nomine craniotomia non venit; Cf. *l. c. n. 675*) effective atque certe acciderit; et quidem certe ex causis ad illum directis, non vero aliis.

An *foemina quae in se ipsa abortum procuret,* iuxta Bullam *Effraenatam* Sixti V., excommunicationem incurreret, olim disceptabatur; et hodie quoque interpretes non conveniunt. Cf. D'Annibale (*l. c. 153*), Lehmkuhl (*n. 970*) et Commentatores Rom. (*II pag. 42*). Hinc practice quoad matrem censura adesse non videtur.

De his omnibus vide Génicot (*n. 608*).

(C)

1181. *Ob percussionem levem clerici vel monachi; aut gravem quidem sed perpetratam ab eis qui collegialiter vivunt, dummodo non fuerit enormis.*

Levis hoc loco dicitur, quae gravem quidem iniuriam infert, sed citra laesionem physice gravem, v. g. pugno, calce, lapide, fuste. Cf. Baller. (*II 675 II c*) et Scavini (*I n. 954*).

(D)

1182. *Ob collectionem missarum ad finem commercii.*

De hoc vide dicta *Vol. IV* (*n. 545*).

CAPUT IV.

EXPONUNTUR EXCOMMUNICATIONES NEMINI RESERVATAE.

(A)

1183. *Mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticae sepulturae haereticos notorios, aut nominatim excommunicatos vel interdictos.*

(B)

1184. *Laedentes aut perterrefacientes Inquisitores, denuntiantes, testes aliosque ministros S. Officii; eiusque sacri tribunalis scripturas diripientes aut comburentes; vel praedictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem praestantes.*

Casus practicus contingere posset in confessario sollicitante, qui poenitentem denuntiare volentem perterrefaceret.

(C)

1185. *Alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque beneplacito Apostolico ad formam Extravagantis* Ambitiosae.

Hoc in puncto, quod valde practicum esse potest, diffusiori sermone immorari oportet.

1186. *In genere loquendo,* ***quot sunt bonorum ecclesiasticorum species?*** Comprehendendo etiam illa bona, quorum hic non vetatur alienatio, species bonorum Ecclesiae, vel ad quae Ecclesia ius habet, sunt speciatim sequentes.

I. Bona Ecclesiae *immobilia* (v. g. agri, domus).

II. Bona *mobilia* (v. g. supellectiles ecclesiae).

III. *Iura*, v. g. ad decimas, vel ad talem aut talem pecuniae summam quotannis recipiendam etc.

IV. Bona *stricte ecclesiastica*, scilicet bona et iura incorporata in patrimonio Ecclesiae vel locorum piorum.

V. Bona *non stricte ecclesiastica*, scilicet quae, etsi subiiciantur vinculo erga Ecclesiam, tamen sunt in dominio debitorum; cuiusmodi essent, v. g. fundi ex quorum fructibus solvi debeant decimae, pensiones censuum, legata pia etc.

VI. Bona *conservanda*, v. g. dotes beneficiorum, templa, vasa sacra etc.

VII. Bona *eroganda vel in quotidianos usus expendenda*.

1187. ***Quid est alienatio*** *de qua hic agitur?*

Est contractus quo *legitimus administrator* cedit aliis aliquod bonum *stricte ecclesiasticum* et *conservandum*.

Alienatio itaque tum ab usurpationibus, tum a fraudibus debitorum contra Ecclesiam, tum denique ab erogationibus sive bene sive male peractis, distinguenda est.

1188. *Quid exigitur* ***ut alienatio sit licita?***

Imprimis exigitur semper (et quidem iure naturae) ut non sit Ecclesiae damnosa; unde oportet ut Ecclesia pro re alienata saltem aequivalens recipiat. Leges positivae id confirmant; imo exigunt ut nulla alienatio nisi *cum evidenti Ecclesiarum utilitate* (sunt verba Pauli II in extravaganti *Ambitiosae*) peragatur.

Insuper in casibus gravioribus (mox explicandis) beneplacitum apostolicum; et in aliis consensus expressus Episcopi exigitur.

Solum in aliquibus rebus levissimis (v. g. si ageretur de commutanda planeta detrita in aliam meliorem) poterunt parochi aliive administratores, ex praesumpto Episcopi consensu, et iuxta consuetudinem, ad alienationes procedere. Idem dic de locationibus domorum ad sex menses.

1189. *Quandonam praecise* ***beneplacitum apostolicum*** *exigitur?*

Ut hoc bene intelligatur, praemittenda est notitia legum quae hac de re ab Ecclesia latae fuerunt.

Prima lex fuit ut soli Episcopi de bonis ecclesiasticis disponere possent. Deinde statutum fuit ut Episcopi (circa alienationes) cleri approbationem obtinere deberent. (Vide Comment. Rom. Const. *Apostolicae Sedis V.* II *Append. XXXVI*). Postea Paulus II (*an. 1467*) in celebri Const.

Ambitiosae, statuit ut quoad immobilia aut mobilia pretiosa beneplacitum apostolicum peti deberet; et quoad alia facultatem Episcopis reliquit. Ex hac Const. sequentia excribo.

« Omnium rerum et bonorum ecclesiasticorum alienationem, omne« que pactum per quod ipsorum dominium transfertur, concessionem, hy« pothecam, locationem et conductionem ultra triennium, necnon infeuda« tionem vel contractum emphyteuticum, praeterquam in casibus a iure « permissis,.... (et tunc cum Ecclesiarum evidenti utilitate), ac de fructi« bus et bonis quae servando servari non possunt,.... fieri prohibemus... « Si quis autem.... quidquam alienare praesumpserit, alienatio, hypotheca, « concessio, locatio, conductio et infeudatio huiusmodi nullius omnino sit « roboris vel momenti: et tam qui alienat, quam is qui alienatas res « receperit, sententiam excommunicationis incurrat ». Et haec est lex et censura quae confirmata fuit in Const. *Apostolicae Sedis* in terminis supra expositis.

1190. *An contra legem istam* ***consuetudines*** *(prout in Gallia, Belgio et Germania)* ***valere posssint?*** Negative. Patet 1° ex Const. *Apostolicae Sedis* derogante quibuslibet consuetudinibus easque abusus declarante; 2° ex decreto S. C. S. Officii (*22 Dec. 1880*) apud dictum Comment. Rom. (*l. c.*).

1191. *Explica enucleatius cuiusnam naturae debeant esse* ***bona, quae necessitati beneplaciti apostolici (si alienari velint) subiiciuntur?***

I. Debent esse *bona stricte ecclesiastica*, scilicet (ut supra innui) incorporata in patrimonio Ecclesiae, cuiusmodi sunt bona, v. g. 1° Beneficiorum. 2° Capellaniarum ecclesiasticarum (habentium erectionem et institutionem canonicam cum Bullis etc. Lucidi *III Doc. LXI 14*). 3° Monasteriorum atque etiam piarum Congregationum habentium sola vota simplicia, dummodo ab Ecclesia aut ab Episcopo approbatae fuerint (Lucidi *II n. 463* et *Monitore XV 69*). 4° Seminariorum et quorumcumque locorum piorum Episcopi auctoritate erectorum. 5° Confraternitatum, si ab Episcopo aliisve superioribus ecclesiasticis canonice erectae fuerint (Ferraris v. *Confraternitates a. VI n. 1*). 6° Templa et oratoria publica (Acta *VIII 52*).

Nomine *bonorum* veniunt etiam *iura,* v. g. census, servitutes activae, credita etc.

Attamen lex de qua agimus ferit solum alienationes, quatenus legitimi administratores Ecclesiae vel loci pii iura

ipsa alienarent; non vero quatenus debitores erga Ecclesiam debita solvere recusarent aut fundos suos oneribus piis gravatos, tamquam a quovis onere liberos venderent etc.; sic enim delinquerent quidem, sed Constitutio *Ambitiosae* eos non respiceret.

Hinc alienatio fundorum qui dotem capellaniae laicalis (quae legato pio assimilatur), aut patrimonium sacrum constituerent, huc non spectaret. Lucidi (*III Doc. LXI 16*) et Comment. Rom. (*l. c. pag. 139*).

Ex eo autem quod bona debeant esse in patrimonio Ecclesiae incorporata, hoc etiam sequitur oportere ut iam sint ab Ecclesia acceptata et possessa; non vero sufficiat ut oblata tantummodo ei fuerint; tunc enim de repudiatione quidem (de qua lex non loquitur), sed non de alienatione ageretur. Cf. Comment. Rom. (*Vol. II pag. 135*).

1192. *Alienationes quae sine beneplacito apostolico fiunt a consuetis legitimis administratoribus, differuntne (quoad poenam) ab alienationibus bonorum Ecclesiae ereptorum, quae ab actualibus eorum possessoribus fierent?* Differunt sine dubio. Actuales possessores enim possunt bona illa possidere 1° sine ulla venia Ecclesiae; 2° cum venia quidem sed sine facultate procedendi ad alienationes (qui casus hodie est rarus); 3° cum hac etiam alienandi facultate (Vide *Vol. III n. 1451*). In primo casu nulla nova censura interveniret, subsistente prima (Tridentini) iam contracta. In secundo casu, haec ipsa Tridentini censura contraheretur. In tertio demum casu (uti patet) de re prorsus licita ageretur.

II. Debent esse *bona immobilia vel mobilia pretiosa;* sed hoc diffusiorem exigi explicationem, quae exponetur mox infra (*n. 1197 et sqq.*).

1193. *Dixisti quod nomine alienationis venit contractus quo bona Ecclesiae aliis ceduntur. Hoc etiam explica enucleatius.*

I. Debet intervenire *contractus;* non enim alienatio veri nominis contingeret 1° in expropriationibus coactis (v. g. vi legis aut voluntate Principis); 2° in executione contractus iam antea legitime celebrati; et casum habes in acceptatione affrancationis census redimibilis (iuxta dicta *Vol III n. 885*); 3° si ex mera incuria administratoris res Ecclesiae in alios transferrentur (prout accidere posset si in damnum Ecclesiae hypothecae non renovarentur, aut servitutes efformarentur, aut praescriptiones complerentur, aut res sub custodia non bene servatas fures raperent etc.); culpa tamen (et quidem cum obligatione restitutionis) tunc (uti patet) locum haberet.

II. Debet intervenire *cessio in alios;* alienatio enim non verificaretur si mutatio quidem aut destructio acci-

deret; sed nihil in alios transiret; ut puta, si vinea destrueretur, aut pluviale in casulam transmutaretur.

1194. *Quid si bona non iam laicis darentur, sed ab uno ente ecclesiastico* ***ad alium entem pariter ecclesiasticum transferrentur?*** Tunc etiam (quidquid dicant plures) vera alienatio censurae subiecta interveniret. Patet ex pluribus declarationibus authenticis S. C. C. apud Comment. Rom. (*App. XXXVI pag. 121*) et Ferraris (v. *Alienatio n. 32*).

1195. *Extravagans* Ambitiosae *praeter contractus quibus dominium transfertur (quales sunt* ***donatio, venditio, permutatio, mutuum*** *etc.), indicat solum* ***concessionem, hypothecam, infeudationem, emphyteusim, et locationem ultra triennium.*** *Quaeritur itaque an hi contractus indicentur taxative, an vero solum exemplificative; an scilicet alienationes, quae aliis contractibus (v. g. pignore, usufructu, commodato etc.) peragantur, comprehensae censeri debeant?* Equidem nonnemo (v. g. cl. D'Annibale *Comment. 167*) stat pro sensu restricto; sed alii interpretes communiter (v. g. Bonacina *p. XI 3*, Reiffenstuel *III.* XIII *9*, Ferraris v. *Alienare I. 2 a*, Benedictus XIV *Notif. LXIX*, Vecchiotti *IV* § *49*) censent legem istam habendam esse uti favorabilem, et proinde in hoc dubio intelligendam esse late, imo latissime; unde dicit Schmalsgrueber (*3 t. I.* VIII *7*): « Nomen alienationis sumitur *latissime*, « quia rerum ecclesiasticarum alienatio in tantum est prohibita, in quan« tum id exigit favor et utilitas Ecclesiae », et proinde (*n. 9*) dicit, *pignus quoque, transactionem, compromissum, et gravamen quodlibet cui bona ecclesiastica subiiciantur*, hac lege comprehendi.

1196. *Quid si contractus alienationis* ***celebretur sub conditione obtinendi beneplacitum apostolicum?*** Equidem si conditio sit *suspensiva* ita ut nulla executio et nulla possessio detur antequam beneplacitum obtineatur; tunc contractus cel bratio licita erit; si vero conditio esset *resolutiva* ita ut contractus executioni demandaretur et res traderetur, tunc pactum rescindendi contractum et rem traditam restituendi si beneplacitum obtineri non poterit, non impediret quominus illicite procederetur et censura contraheretur. Cf. Comment. Rom. (*l. c. pag. 133*) et *Monitore* (*Vol. XIV 222*).

1197. *Quum necessitas beneplaciti apostolici respiciat bona immobilia aut mobilia pretiosa, explica enucleatius imprimis,* ***quo sensu hic intelligenda sint bona immobilia.*** *Nunquid sunt solum domus et praedia?* D' Annibale (*Comment. n. 166*) censet intelligenda esse solum praedia et domus. At vero haec doctrina est contra communissimam sententiam aliorum, qui tamquam immobilia habent etiam *iura ad immobilia, servitutes activas, census, ususfructus, annuos redditus, iura venandi, piscandi, decimandi, retinendi hypothecas* et denique *pecuniam servandam ad emenda immobilia* etc. Ratio est quia

leges haec quoque recensent inter immobilia, et praesens lex non tamquam odiosa sed tamquam favorabilis haberi debet. Cf. Comment. Rom. (*l. c.* v. *Triplicem*).

Immobilia tamen (sicut et mobilia), *si sint parvi momenti*, excipiuntur ; sed de hoc infra (*n. 1119*).

1198. *Quid sunt* ***mobilia pretiosa?***

Sunt mobilia quae aut magnam utilitatem (propter fructus vel usum) aut spectabile ornamentum Ecclesiae afferunt.

Exempla dantur in grege ovium, in copiosa bibliotheca, in vasis aureis vel argenteis, in gemmis, in apparatibus pretiosis, in rebus quae propter artificium vel antiquitatem valde aestimandae sint etc. Ita Vecchiotti (*II* § *42*), Ferraris aliique communissime.

Ciolli autem (*n. 164*) optime dicit, obiectum habendum esse tamquam pretiosum vel non pretiosum secundum quod magni vel exigui valoris sit.

An autem reliquiae insignes inter mobilia pretiosa recenseri debeant, disputatur. Vide Comment. Rom. (*l. c.*).

1199. *Quaenam sunt res* ***parvi momenti,*** *pro quibus beneplacitum apostolicum non exigitur: sed sola licentia Episcopi sufficit?*

Quoad immobilia, sumenda est regula ex Can. *Terrulas* (*58 Caus. 12 q. 2*) sequentis tenoris : « Terrulas « aut vineolas exiguas, et Ecclesiae minus utiles, aut « longe positas et parvas, Episcopus..., si necessitas fue- « rit, distrahendi facultatem habeat ». Et profecto canon iste, non obstantibus Const. *Ambitiosae* aliisque legibus posterioribus, in suo robore permanet, ut declaravit S. C. Concilii apud Fagnanum (Cf. Comment. Rom. *App. XXXVI pag. 147*).

Circa hunc canonem sedulo notandum quod non potest intelligi de parte fundi maioris quae studiose et mala fide iterum atque iterum a suo toto separetur, ut sic absque beneplacito apostolico paullatim quantitas magna alienari possit. Et idem dic si non iam ex nova necessitate superveniente, sed ex malitia praedicta paullatim parvae summae distraherentur, aut parvae arborum caesiones fierent etc. Cf. *Monitore* (*XII 269*) et declarationem Clementis VIII apud Ferraris (*h. t. IV 19*).

Quoad mobilia, ex communi interpretatione dispositio praedicta extenditur etiam ad mobilia (quamvis, attenta materia, essent pretiosa) dummodo sint modica.

1200. Tota difficultas reducitur ad determinandam magis praecise (sive quoad mobilia sive quoad immobilia) istam modicitatem.

Regula magis principalis et ordinaria est quae sumitur a rei valore intrinseco, et S. C. Epp. et RR. (*22 Mart. 1611*), necnon S. C. C. (*12 Apr. 1698*) declararunt res modicas illas esse quae tunc non valebant plus quam 25 scutata aurea de camera, quae summa (teste ipsa S. C. C. *22 Mart. 1711*) **scutatis argenteis romanis 41** et obolis 25 (scilicet Fr. 219) aequivalebat. (Cf. Comment. Rom. *l. c.* et Patav. *n. 432*).

Ballerini (*II 977*) censet summam istam, propter pecuniae valoris subsecutum decrementum, esse adaugendam; quod innuit etiam Vecchiotti (§ *44*); et sic sentit etiam Lehmkuhl, qui (*II 974*) docet illam duplicari, imo ad Fr. 500 elevari posse; illae enim ipsae res, quae sine beneplacito apostolico saeculis anteactis alienari poterant eo quod solum 25 scutata aurea valerent, nunc plus quam 50 scutata aurea (quae valde minus quam olim aestimantur) certe valent.

Haec ratio utique est valde urgens; sed in contrarium habemus quod (non obstante pecuniae valoris decremento) praxis nedum fere omnium episcopatuum, sed etiam S. Sedis (ut patet ex Decr. S. C. Epp. et Reg. *1 Maii 1840* apud Comment. Rom. *l. c. pag. 149*), in taxa antiqua firma immanet; sicut se gerit etiam quoad determinationem congruae parochialis; quae, sicut olim, est quoque nunc centum scutatorum argenteorum. Nec immerito; secus enim, nisi nova taxa a S. Sede determinetur (quae determinatio, ni fallor, expediret) confusioni et abusibus ianuam latissimam aperiret.

1201. *Quid de illis dioecesibus, in quibus adsit consuetudo ultra praedictam taxam licentias concedendi?*

Lucidi (*II 276*) docet consuetudines huiusmodi, si sint legitime praescriptae, valere.

Mihi distinguendum esse videtur. Imprimis S. C. C. (*21 Iul. 1827* apud Comm. Rom. *l. c.*) decrevit probandam asse consuetudinem concedendi licentias pro summa 50 scutatorum romanorum (Fr. 266). Scavini (*III 637*) dicit in quibusdam dioecesibus ultra Fr. 400 consuetudinem extendi; et Del Vecchio (*I 625 not.*) subdit quod in dioecesi Navariensi usque ad Fr. 600 licentiae conceduntur. Ego itaque dicerem quod consuetudo legitime praescripta usque ad circiter Fr. 500 et 600 (qui, propter decrementum pecuniae valoris, antiqua illa 25 scutata aurea repraesentant, ut dixi) tolerari possit; non vero si adhuc ultra multum procederetur; consuetudinem enim concedendi licentias valde excessivas non esse tolerandam decrevit S. C. C. *an. 1665* (apud Comment. Rom. *l. c. pag. 148*).

1202. *An Episcopus nonnihil excedere possit taxam consuetam si de Ecclesia ditissima ageretur?* Affirmat Reiffenst. (*h. t. 38*); quod enim multum est pro paupere, modicum pro divite esse potest. Sed mihi videtur quod practice a taxa consueta (fundata in valore intrinseco) non sit recedendum. Ad quid insuper distinctio inter ecclesiam pauperem et divitem? Nunquid lex ista det facultatem donandi? Quomodo tunc evidens Ecclesiae utilitas verificaretur?

1203. *An regula non superandi valorem 41 scutatorum romanorum vere valeat etiam aequaliter quoad bona immobilia?* Quoad immobilia interdum libertas aliquantulum maior dari poterit; videtur enim sufficere quod, arbitrio iudicis aut viri prudentis, agautr de terrulis aut vineolis exiguis, ecclesiae minus utilibus, aut longe positis et parvis etc. ut dicit Canon. *Terrulas*. Notandum autem, si sint longe positae, contingere posse quod fere plus incommodi quam commodi afferant; et tunc, iuxta doctores, Episcopus facilius licentiam dare poterit. Cf. D' Annibale (Comment. *n. 168*).

1204. *Praeter casus in quibus agatur de rebus parvi momenti, ut hucusque explicatum est, adsuntne* ***alii casus in quibus*** *beneplacitum apostolicum non exigatur, et* ***licentia Episcopi sufficiat?*** Affirmative; et sunt praecipue sequentes.

I. *Si casus urgeat;* si nempe opportuna occasio faciendi contractum *necessarium aut valde utilem* se praesentet, nec adsit tempus implorandi beneplacitum apostolicum; tunc enim contractus fieri posset cum sola licentia Episcopi, et etiam sine ista si ne Episcopum quidem interpellandi tempus suppeteret, et de re evidenti ageretur. Attamen postea confirmatio peti deberet. Cf. S. Ligorius (*IV n. 187* VI), Ballerini (*n. 977*) et Comment. Patav. (*n. 432. 435. 439*).

Cavendum semper ne ex huiusmodi contractibus damnum ecclesiae obveniat: quod facile contingeret si ageretur de rebus antiquitate vel artificio pretiosis, nec in alienante peritia sufficiens adesset, quo casu alienandi licentia praesumi nequiret.

II. *Si alienatio fieri omnino debeat ex iuris necessitate.* Exemplum dant si bona relicta fuissent ecclesiae cum pacto illa restituendi post certum tempus; vel ei vendita fuissent cum pacto retrovenditionis etc. De Luca (*h. t. 126*).

Huc spectare videtur casus *expropriationis coactae;* nempe, lege civili cogente, ut pars fundi (v. g. pro via publica construenda) ad Statum vel Municipium cedat (huiusmodi enim expropriatio coacta, confundi nequit cum alienatione, de qua loquitur Ecclesia, et voluntaria esset).

Utcumque curandum foret ut summa recepta (quo citius fieri posset), investiretur; et quidquid pro novis plantationibus, vel restaurationibus datum fuisset, in tuto ad finem suum collocaretur.

III. *Si* (ut patet in terminis ab ipsa Constit. *Ambitiosae*) *agatur de rebus (etsi pretiosis), quae servando servari nequeant*; nempe (ut explicant) si infra triennium notabilem deteriorationem verisimiliter subiturae essent; prout contingeret, v. g. in fructibus naturalibus, vel si apparatus serici antiqui et pretiosi iam notabiliter scindi inciperent. (Bonacina *n. 2*, Reiffenstuel *n. 47*, S. Lig. *IV n. 187* VI etc.).

S. Lig. (*IV 187 Not. 6*) docet idem esse dicendum 1° de rebus ad quas asservandas earundem redditus non sufficerent; et de rebus sterilibus. At vero, supposito quod magnus valor nihilominus subsistat (v. g. in quercubus annosis et iam infructuosis etc.); non video quo iuris fundamento excipi debeant; verba enim legis hanc exceptionem non indicant; sed neque finis legis, quando enim agitur de contractibus magni momenti et res servando servari valent. Ecclesia examen et iudicium sibi reservare vult.

IV. *Si quid donatum vel legatum fuerit Ecclesiae cum onere illud alienandi ad determinatum effectum;* v. g. si praedium datum fuerit ut ex eiusdem pretio fabricetur templum, vel emantur suppellectiles, vel dotentur puellae etc. Ferraris (*h. t. IV 26*).

V. *Si fiat* ***locatio non ultra triennium;*** ut patet expresse ab Extrav. *Ambitiosae*. Hoc in puncto notanda sunt sequentia.

1205. 1°) *Triennium istud quomodo intelligendum?* R. Intelligendum pro tribus annis si res locata singulis annis fructificet; quae enim solum quovis biennio vel triennio (ut sylvae) fructificarent, ad sex vel novem annos sine beneplacito apostolico et cum sola licentia Episcopi locari possunt. Hinc Canonistae dicunt hanc legem intelligendam esse de triennio fructifero.

1206. 2°) *Quid de locatione quae fiat quidem ad triennium, sed cum pacto ut continuet aliis trienniis, nisi versus finem triennii alterutter ex contrahentibus protestetur nolle continuare, seu (ut aiunt)* disdictam *faciat?*

Canonistae passim dicunt, Episcopos in hac quoque facti specie licentiam dare posse. Sed quo fundamento? Lex concedit Episcopis facultatem solum pro triennio et

non ultra; sed nonne hic haberemus facultatem continuandi (si partibus placebit) etiam ultra triennium? Equidem, si id quoque cautum esset, ut versus finem triennii, ad continuandum, Episcopus de nova licentia rogari deberet, difficultas non adesset. Si vero id in pactum non deducatur, non video cur facultatem huiusmodi Episcopi habere debeant. Contractus itaque sic celebratus ad summam valere poterit pro primo triennio. Ita reapse pluries edixit S. C. Epp. et RR., ut videre est apud De Angelis (*III.* XIII *6*).

Hoc autem a fortiori decidendum esset, si partes, dum contrahunt ad triennium, simul promittant disdictam non facere, atque declarent quod, illa non facta, contractus ad aliud triennum confirmatus censebitur. Porro Episcopus licentiam concederet locationis ultra triennium in primo casu liberae et in secundo obligatoriae; quae omnia contra legem, aut saltem in fraudem legis intolerabilem, manifeste forent.

1207. 3°) *Quid de locatione facta cum pacto anticipatae solutionis, in praeiudicium successoris?*

Locatio nunquam valide fieri potest anticipatis solutionibus in praeiudicium successorum, ut patet ex Trid. (*XXV.* XI); unde conductor, si beneficiatus moreretur, non obstante solutione ei anticipatim facta, successori vel ecclesiae pensionem pro rata solvere deberet. (Comment. Rom. *l. c. pag. 137*).

1208. 4°) *Quid de beneficiato, qui* ***ad modum vitalitii*** *vel ad longum tempus, venderet redditus sui beneficii, recipiendo ab emptore pretium integrum per unam vel plures solutiones?*

Contractum istum (qui in ruinam non solum beneficiati, sed etiam beneficii, redundare solet) Benedictus XIV (Const. *Universalis Ecclesiae*) prorsus annullavit, et severissime sub poena excommunicationis interdixit. Aliqui dicunt excommunicationem istam hodie non vigere, quia Pius IX in Const. *Apostolicae Sedis* illam non renovavit. Sed in dicto contractu celebrato sine beneplacito apostolico, alienationem bonorum ecclesiasticorum contra Const. *Ambitiosae*, et proinde etiam excommunicationem ego video, prout iam significat ipse Benedictus XIV, dum dicit se *rursus renovare* poenas iam statutas contra clericos sic contrahentes. Nonne enim fructus beneficii sunt bona ecclesiastica, ut notat De Angelis (*l. c.*)? Equidem bene-

ficiati facere possunt fructus suos; sed hoc verum est si procedant more solito, non vero si illos sic vendere velint.

Quod autem dicitur de venditione fructuum, de venditione quoque pensionis ecclesiasticae repraesentata (seu anticipata) pecunia, dicendum esse decrevit. S. C. Epp. et RR. (*12 Mart. 1840*).

1209. 5°) *Quid de locatione ad solum annum vel triennium,* ***cum pacto anticipatae solutionis?*** Dummodo hoc pactum non gravet successorem vel ecclesiam, et dummodo Episcopus id approbet ex iusta causa (prout facilius contingere posset si de annali tantummodo antipatione ageretur), nihil in contrarium adesset. Scavini (*n. 639 in not.*)

1210. 6°) *Quid* ***de locatione quae vili pretio fiat?***

Hoc in successorum praeiudicium esse, et aliquando inquisissimam fraudem includere posset. Fraus ista interveniret si beneficiatus, praevidendo beneficium proxime esse vacaturum, alicui consanguineo vel alteri fraudis complice fundos vili pretio locaret.

Vigilent itaque Episcopi, antequam approbent.

Quomodo autem locationes per licitationem publicam fieri deberent, vide Lucidi (*II.* VII *277*).

1211. 7°) *Quid de locatione domorum?*

Haec ad sex menses, etiam sine licentia Episcopi, ex consuetudine apud nos licet. Oportet tamen ut domus personis honestis, et vetita sublocatione libera, locentur.

Hic adiiciendae sunt nonnullae aliae quaestiones.

1212. Quaer. I. *Quid de* ***caesione arborum*** *in fundis ecclesiae?*

Loquendo non de periodicis et consuetis nemorum aut ramorum caesionibus, sed de avulsione (it. *atterramento*) arborum alti trunci (vel de caesione ramorum non consueta, ut puta, si caederentur in quercubus); haec certe beneficiatis non licet, nisi licentiam obtineant.

Ratio est quia ipsi sunt ad instar usufructuariorum, qui arbores huiusmodi caedendi ius non habent; arbores enim pars fundi considerantur, et proinde sine domini licentia avelli nequeunt.

Interdum autem beneplacitum apostolicum exigitur et interdum licentia Episcopi sufficit, secundum quod plantarum caedendarum valor 25 aureos de camera excedat, necne.

Haec vera sunt non solum si arbores ipsae essent fructiferae (ut nuces, mali, pyri, olivae, ulmi, castanei etc.), sed etiam si essent infructiferae (ut populi, et subinde quercus, cerri etc.), imo et quamvis ad maturitatem perventae iam caedi deberent, aut fundo (propter nimiam densitatem) noxiae forent.

Patet ex communi sententia Canonistarum, et ex responso S. C. Epp. et RR. misso ad Episcopum nostrum (*22 Mart. 1836*) (1). Idem dic quamvis pro beneficii fabricis adhiberi vellent.

Tres exceptiones tantummodo fieri possunt: scilicet 1° quoad arbores manu hominis plantatas (v. g. ulmos) si forte desiccatae aut casu fractae fuerint, dummodo loco avulsarum aliae plantentur; 2° quoad arbores sponte sua enatas (v. g. quercus), dummodo ex una parte, ut supra, desiccatae aut casu fractae fuerint, et ex alia pro dictis fabricis adhibeantur; 3° quoad arbores quae solum ad ignem deserviunt, dummodo beneficiatus pro sua et coloni necessitate tantummodo iisdem utatur, et dummodo insuper arbores dessicatae aut casu fractae non adsint vel non sufficiant. Notandum quod apud nos duae primae exceptiones admittuntur etiam a codice civili (*A. 488. 490*); sed tertia solum coram Ecclesia ex consuetudine valere potest.

(1) Ecco tenor rescripti: « Circa il quesito da V. S. proposto, se gli « alberi *quantunque maturi*, come i pioppi, spettanti alle chiese ed ai « luoghi pii, si possono tagliare ed atterrare senza licenza della S. C. dei « Vescovi e Regolari, non cade dubbio, essere in facoltà dei rettori delle « chiese recidere ed atterrare le macchie, che diconsi cedue, ed usare « delle potazioni, ossia dei prodotti degli alberi, nelle loro scadenze. Di- « versamente devesi opinare dei tronchi degli alberi, *inclusivamente ai* « *pioppi*, i quali si reputano *ut capitalia fundi*, per il taglio dei quali è « necessario il superiore permesso, *quantunque siano infruttiferi*, e sovente « sia necessario il loro diradamento per rendere più fruttifero il fondo. « Verun dubbio poi non cade sugli alberi fruttiferi, pel taglio dei quali « è necessaria una particolare facoltà della S. Congregazione. Su tali per- « messi si regolerà V. S. a norma del capitolo *Terrulas et vineolas*, non « volendo la S. Congregazione derogare alle ordinarie sue facoltà ». Roma *22 Marzo 1836*. G. A. Card. Sala Pref.

Vide Pallottini v. *Incisio arborum,* et v. *Alienatio § 1 n. 36.*

Quomodo autem arborum aliarumve rerum venditio per publicam licitationem fieri debeat, patet ex Lucidi dicto *Cap. II.* VII *§ 3 Append.* v. *Ad octavum.*

Notandum quod ad arborum caesionem efficiendam hodie apud nos exigitur etiam licentia Gubernii, a quo, licitatione publica indicta, pretium retinetur donec opera omnia (v. g. fabricae, restaurationes, novae plantationes etc.) fuerint a beneficiato peracta.

1213. Quaer. II. *Quid de* ***alienatione pecuniae?***

Distinguendum inter pecuniam quae fundum vel rem servandam non repraesentat (cuiusmodi esset illa quae ad usus quotidianos, v. g. ad victum, ad ministrorum mercedem, ad tributa solvenda, ad restitutiones faciendas, ad sustentationem beneficiatorum etc. ex fructibus, vel locationibus, vel pensionibus comparatur); et pecuniam quae fundum vel rem servandam repraesentat (cuiusmodi esset illa quae haberetur sive ex fundo rustico vel urbano divendito, sive ex censu extincto, sive ex donatione vel utcumque ex capitali ita dato ut quoad sortem perpetuo servaretur).

Pecunia primi generis alienari seu expendi poterit iuxta suos fines absque ulla dependentia, et solum accidere poterit (in quibusdam casibus) ut Superioribus ratio reddi debeat.

Pecunia autem secundi generis servari debet ut suo tempore investiatur.

Investimentum consistere potest in emptione rei mobilis si destinatio talis sit (ut puta, si, apparatu divendito, alius apparatus emi debeat); sed, si pecunia destinata sit ad constituendum fundum stabilem perpetuum; tunc (ut bene scribit Lucidi *II.* VII *3 App.* v. *Septimum*) « inve« stimentum (canonicum) non consistit in censuum vel « debiti extinctione, nec in meliorationibus fundorum, et « multo minus in eorundem restaurationibus; nec est ve« rum investimentum domum construere in fundo, quem « iam antea Ecclesia possideat; sed investimentum (cano« nicum) fieri debet (*intellige si in loco per leges civi« les possibile esset*) in fundis stabilibus, tutis atque fru« ctiferis... » Ad huiusmodi investimenta canonica exequenda, beneplacidum apostolicum non exigeretur (Comm.

Rom. *l. c.* v. Reiffenstuel *pag. 128*). An autem necessaria esset licentia Episcopi, negandum est quoad Capitula et administratores locorum piorum, ex consuetudine et S. C. decisionibus, qua de re vide Lucidi (*l. c. n. 294*); affirmandum autem quoad parochos aliosque beneficiatos; et in quovis casu Episcopo reposcenti, certe reddenda est ratio.

Sed quid si neque fundi stabiles neque census emi possint; quid scilicet si investimentum canonicum (prout hodie apud nos contingit) iuxta regulas antiquas fieri nequeat? Scripsit Lucidi (*l. c. App. v. cit.*): « Investimen- « tum fieri nequit sine apostolica venia in emptione sche- « dularum super debito publico vulgo *Consolidato;* mul- « toque minus in aliis publicis capsis, praesertim in « parsimoniali (*Cassa di risparmio*) ». Sed hodie a S. Sede pro capsis ecclesiasticis ut in fundiariis, et generatim etiam permittitur ut in schedulis debiti publici investimenta fiant. Pro aliis autem investimentis (nisi alicubi speciales concessae fuerint facultates) beneplacitum apostolicum (ut nempe capitalia ecclesiastica personis particularibus ad mutuum dari possint) semper exigitur.

1214. *Quid hodie apud nos* ***de redemptione censuum?*** Hac de re ex professo iam egi supra *Vol. III* (*n. 883 et sqq.*).

1215. *Quid de pacto imminuendi in posterum fructum census?* De hoc vide supra *Vol. III* (*n. 870*).

1216. *Potestne beneficiatus aliquod sacrae supellectilis obiectum, v. g. apud montem pietatis, in pignus collocare?* Auctoritate propria, negative. (Vide Bened. XIV *Notif. LXIX*). Exigitur licentia Episcopi. Imo beneplacitum apostolicum exigeretur, si obiectum magni valoris esset. Regulam autem pro huiusmodi quoque casibus sumendam esse ex 25 aureis *de camera*, docet Lucidi (*II.* VII *295 Append. in fin.*).

(D)

1217. *Negligentes, sive culpabiliter omittentes, denunciare infra mensem confessarios sive sacerdotes, a quibus sollicitati fuerint ad turpia, in quibuslibet casibus ex-*

pressis a Gregorio XV et Benedicto XIV Const. Sacramentum Poenitentiae.

Hac de re ex professo egi in opere cui titulus *De sollicitatione*; sed etiam in opere isto, quantum satis pro praxi, verba feci supra *n. 647.*

(E)

1218. *Qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt aut imprimi faciunt, iuxta decretum Trid. (Sess. IV de edit. et de usu sacrorum librorum).*

Haec censura restringenda est ad libros Sacrarum Scripturarum, nec non ad earundem adnotationes et commentarios; minime vero extendenda ad libros quoscumque de rebus sacris in genere, idest ad religionem pertinentibus, tractantes. Patet nedum ex verbis Tridentini et ex communi constitutionis *Apostolicae Sedis* interpretum sensu, sed etiam ex decreto S. C. S. O. (*22 Dec. 1880*) apud Acta (*VI 536*).

(F)

1219. *Raptores mulierum ad finem matrimonii, ac omnes iisdem consilium, auxilium et favorem praebentes.* Ex Tridentino (*De reform. matr.* (*XXIV.* VI) confirmato a Const. *Apostolicae Sedis.*

De hoc vide supra dicta (*n. 869 et sqq.*).

(G)

1220. *Domini temporales ac magistratus qui directe vel indirecte subditos suos vel quoscumque alios (sive viros sive mulieres) cogant quominus libere matrimonia contrahant.* Ex Trid. (*l. c. IX*).

Non pauci existimant quod sub hac censura comprehendantur non solum domini temporales et magistratus (scilicet habentes temporale dominium, seu saecularem iurisdictionem), sed etiam quicumque alii privati; at vero Bonacina (*De Excomm. extr. Bull.* Coenae *II.* II *punct. VI n. 5*) dixit: « Sententia quae mihi probabilior videtur, asserit, istam excommu-« nicationem eos solum afficere qui temporale dominium et iurisdictionem « in foro externo habent ». Idem dicunt Sanchez, Coninch aliique; unde Comment. Patav. (*n. 472*) ait: « Numerus et gravitas doctorum, qui « (huic sententiae) patrocinantur, probabilitatem extrinsecam satis soli-« dam eidem praebent ».

Hodie itaque censura ista in praxi vix locum habebit. Oporteret insuper ut coactio vera (quamvis sufficiat indirecta, ut si quis magni debiti solutionem alicui denegaret, nisi matrimoninm contraheret) nempe cum vera iniuria, interveniret; nec sufficeret si quis solum alliceretur, etsi gravissime; aut si metus levis dumtaxat adhiberetur. Oporteret demum ut coactio matrimonii celebrationem respiceret; ut scilicet talis vel talis persona, et non alia, in matrimonium ducatur; sensus enim decreti non respicit casum, in quo (seclusa hac ipsa malitia) quis impediret ne tale vel tale matrimonium concluderetur. Vide Bonacinam (*l. c.*), et Piat.

(H)

1221. *Personae, cuiuscumque conditionis aut dignitatis, quae quomodocumque coegerint foeminam invitam (praeter quam in casibus in iure expressis) ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum cuiuscumque Religionis, vel ad emittendam professionem; quique consilium, auxilium vel favorem (cogentibus) dederint; quique, scientes eam non sponte (nempe ob aliis coactam) ingredi monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quoquo modo eidem actui vel praesentiam vel consensum vel auctoritatem interposuerint.* Ex Trid. (*XXV.* XVIII).

Quoad coactionem recolenda sunt mox dicta in censura antecedenti. Casus in iure excepti sunt 1° Si uxor concessisset viro licentiam Religionem profitendi, et ipsa, facto voto castitatis, esset suspecta ne illud servatura foret; tunc enim cogi posset ut monasterium ingrederetur. 2° Si uxor adultera, secuto divortio, a marito recipi nollet; tunc enim etiam cogi posset ut perpetuam poenitentiam in monasterio ageret. Idem dic si foemina non ad finem profitendi vitam religiosam, sed alia de causa iusta et rationabili (v. g. motivo educationis, defensionis, vel custodiae) in monasterio ad tempus (etsi metu gravi adhibito) collocaretur. Comment. Patav. (*n. 476*).

(I)

1222. *Qui sanctarum virginum vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi vel voti emittendi, quoquo modo sine iusta causa impedierint.* (Ex Trid. *l. c.*).

Hoc intelligitur semper non iam de voto simplici, sed

solemni (quod scilicet in professione ordinis religiosi veri nominis emittitur). Dum autem Concilium dicit *quoquo modo impedierint*, hoc intelligendum est non iam de solis precibus et consiliis: aut de industriis (hodie consuetis) quae a parentibus adhibentur, ut filia in theatris, similibusque mundi oblectamentis evagata a proposito desistat; sed intelligi debet de impedimento quod voluntati cum vera iniuria opponatur, quamvis non intersit utrum in vi physica, utrum in metu, utrum in dolo (apto ad decipiendam quoque foeminam prudentem) consistat. Bonacina (*II.* II *p. III*).

(K)

1223. *Magistratus saeculares, qui Episcopis denegant auxilium ad monialium clausuram restituendam, vel inviolatam servandam.* Ex Trid. (*XXV.* v).

Haec censura non ferit Principes, sed magistratus inferiores; et pro casu in quo possint; non vero si auxilium praestare nequirent.

CAPUT V.

DE SUSPENSIONIBUS ET INTERDICTIS PARTICULARIBUS.

1224. Suspensiones et interdicta particularia retuli supra (*n. 188 et sqq.*). Agitur de casibus adeo raris ut pro praxi explicationes adiicere non oporteat. Noto solum sequentia.

I. Suspensio contra Episcopum ordinantem subditum, qui (prout contingere solet speciatim occasione militiae) extra dioecesim commoratus fuerit (*n. 188 III*), nec praebeat testimoniales Ordinarii in cuius dioecesi moram duxerit, intelligi debet si mora ibidem fuerit saltem per trimestre, et iuxta dicta *n. 735*. Notandum quod facultas recipiendi iuramentum suppletorium hodie dari solet Episcopis ad quinquennium. *Monitore* (*IX.* II *56*).

II. De suspensione ob collectionem Missarum ad finem commercii, vide dicta *Vol. IV n. 554*

Appendix I.

Monita ad discipulos prima die anni scholastici.

1225. Ecce principium anni scolastici.

Obligationes sunt mihi; obligationes sunt vobis.

Ex parte mea, illis satisfacere curabo; et quidem libentissime. Nihil mihi iucundius quam loqui iuvenibus, eisque doctrinam tot annis et tot laboribus comparatam communicare. Estis multi: estis omnes partim sacerdotes et partim sacerdotio proximi. Quanta spes! Quantum bonum!

Sed quid spei, quid boni sine cooperatione vestra? Oportet itaque ut etiam vos obligationibus vestris satisfaciatis. Hae sunt sequentes.

I. Interesse lectionibus ita assidue, ut nulla unquam fiat vacatio, quae verâ impotentiâ non excusetur. Vacationes nedum privant lectionibus non auditis, sed etiam impediunt subsequentium intelligentiam; lectiones enim antecedentes illuminant sequentes, et sunt veluti gradus inferiores scalae, qui non ascensi efficiunt ut superiores ascendi nequeant.

Sunt qui nimis facile et fictis motivis licentias petunt. Isti bene notent quod licentiae ex una parte sunt semper conditionatae nihilque suffragantur si vera non sint exposita; et ex alia (ut per se patet) necessitatem supplendi relinquunt.

II. Integras audire lectiones, non vero dimidiatas, illis incaeptis veniendo, aut non finitis recedendo.

III. Attentionem praebere lectionibus, secus enim perinde esset ac non intervenire, imo peius si aliis avagationis occasio daretur.

IV. Incumbere ad studium etiam in camera; quod prorsus necessarium est, ut quae in schola audita fuerunt, fortius in mente figantur, et memoriae tradantur: *nihil enim scimus, nisi quod memoriae tradidimus*. In hunc finem valde deservit ut quotidie res principaliores scripto adnotentur et sic compendia fiant. Imo in schola quoque, dum magister lectionem facit, aliqua adnotare expedit.

Seminaristae in camera studere debent horis ad hunc finem destinatis; nec minus, nec (ordinarie) plus. Alii autem (scilicet qui scholas seminarii frequentant, sed seminaristae non sunt, et exteri dici solent) horis statutis, et proinde methodum vitae sibi praefigant, maxime vero caveant ab otio, et ne, se evagando atque huc illuc se conferendo, tempus perdant.

Tempus studio destinatum partiendum est iuxta diversas materias proportione servata, et in rebus extraneis (v. g. legendo diaria vel etiam libros ad alias scientias pertinentes) minime insumendum: *age quod agis*. Dixi *proportione servata*. Studium theologiae moralis principaliorem curam exigere videtur; fere omnes enim sacerdotes confessiones audiunt, et Ecclesiae praxis esse solet ut in examinibus ordinandorum, in concursibus ad paroecias, et in conferentiis casuum conscientiae, magna praeferentia theologiae morali detur. Attenta utilitate practica, proxime accedunt et valde affines sunt aliae duae schole, quae etiam in seminario nostro adsunt, nempe theologia pastoralis (quae officium parochi et vice-parochi directe respicit), et eloquentia sacra. Enimvero officia confessarii, parochi et concionatoris sunt magis communia, ex iisque pendet maius bonum quod sacerdotes facere possunt. In ratione autem dignitatis et fundamenti valde

excellit theologia dogmatica ; et deinde veniunt Sacra Scriptura, historia sacra, ius canonicum, sacra liturgia, cantus gregorianus etc. Attamen ut proportio servetur sumi debet regula non solum a maiori vel minori utilitate practica, sed etiam ab aliis circumstantiis ; aliud enim est si ad totam in tali vel tali materia scientiam comparandam longa tractatio exigatur (ut in theologia dogmatica) et aliud si brevior sufficiat ; et contingere potest etiam quod, propter specialem aptitudinem vel inclinationem vel necessitatem, melius sit ut quis ad studia, quae per se minoris momenti essent, magis attendat.

V. Quotidie pensum absolvere, non vero illud aut partem illius remittere in futurum ; oportet scilicet (ut italice dicitur) *stare in corrente*. Secus enim sequentia (ut supra innuebam) non intelligerentur, et omissa (partim quia e memoria exciderent, partim quia nimis multiplicarentur et nova supervenirent) nunquam reparerentur. In hunc autem finem (atque etiamad revidenda praeterita) oportet usufrui vacationibus quae singulis hebdomadibus, maxime vero aliis longioribus quae infra annum occurrunt, unde vulgare est effatum quod vacationes potius pro magistris quam pro discipulis sunt. Si ita fieret, hoc etiam obtineretur ut absque ullo fere labore, et cum optimo exitu, examina sustinerentur.

VI. Studere semper cum rectitudine intentionis : nempe ad satisfaciendum proprie obligationi, ad placendum Deo, et ad procurandam suo tempore gloriam Dei atque salutem animarum.

Haec rectitudo intentionis est necessaria ; est enim vita et anima studii. Sic enim studebitis multum : studebitis libenter : stubebitis cum merito : onus studii non sentietis. E contra....

Neque sufficit praemium. Imprimis enim quinam illud sperare possunt ? Ex centum vix decem. Pro maxima itaque discipulorum parte praemium nihil valet. Nec semper praemium producit bonum effectum in iis paucissimis qui illud sperant ; possunt enim, si illud obtineant, superbiam concipere et iam credere se non adeo indigere studio : et si non obtineant, animo deiici et studio ipsi valedicere. Validiora itaque et supernaturalia motiva (supra indicata) exiguntur, et quidem ita ut intentio ex iisdem efformata, toties quoties studium incipitur, elevando cum pia prece mentem ad Deum et dicendo *Actiones nostras* etc., renovetur.

VII. Evitare pericula ; cuiusmodi, sunt speciatim sequentia.

a) Tractatus de materiis lubricis, qui in libris theologiae moralis inveniuntur ; illi enim legi debent solum quando sacerdotes in proximo sunt ut audiendarum confessionum officium suscipiant.

b) Libri romantici et erotici.

c) Quoad exteros, occcasiones quae etiam in domo ubi degunt esse possent.

d) Sympatiae, quae aliquando in ipso seminario concipiuntur et turpissimarum rerum subinde occasio sunt.

IX. Cavere a tentationibus quae directe studium impediunt. Principaliores sunt sequentes.

a) Pigritia. Recolendum quod sine labore scientia non comparatur Nunquid viam ecclesiasticam elegistis ad declinandum laborem, vel ad ducendam vitam in conversationibus, dissipationibus et solatiis ?

b) Superbia, seu nimia proprii ingenii existimatio; unde quis (ut supra innuebam) facile praesumit se studio non indigere. Reminisci oportet quod 1° scientia ecclesiastica est veluti mare sine littore. 2° *Cui plus datum est, plus requiretur ab eo*. 3° *Qui se exaltat humiliabitur*.

c) Animi deiectio. Qui huic tentationi subiiciuntur, animum resumant:

gutta cavat lapidem: labor supplet defectum naturae. Parochus *d'Ars*, tardi admodum ingenii erat, et nihilominus suis sermonibus indefesso labore praeparatis tot hominum millia ad se trahebat, atque adeo mirum in modum Ecclesiae utilis fuit. Praeterea *non omnes apostoli, non omnes doctores*. Exigitur solum ut unusquisque faciat prouti potest. Denique studendum amore Dei, cui longe magis placebit qui, destitutus donis naturalibus, discit parum et laborat multum.

X. De scientiarum ecclesiasticarum necessitate intimam habere persuasionem. Motiva sunt sequentia.

1°) Qui habet officium debet etiam habere scientiam sufficientem ad illud recte adimplendum; secus errores et damna exinde consecutura ei imputari debebunt. Si hoc verum est de officiis profanis (medici, advocati, iudicis etc.), a fortiori verum erit de officiis spiritualibus (v. g. parochi, vicarii, confessarii etc.), a quibus observantia divinae legis, atque aeterna animarum salus pendet.

2°) Scientia exigitur praecipue ad populum instruendum. Quinam, nisi sacerdotes, debent illum instruere? *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirent de ore eius*. Sed quomodo, si ipsi quoque forent ignorantes? Essent *caeci duces caecorum..... : si autem caecus caeco ducatum praestet, nonne ambo in foveam cadunt?....* Sacerdotes ignorantes aut nihil faciunt (et tunc evadunt otiosi.... vitiosi... et facile etiam scandalosi...); aut si quid faciunt, male et sine fructu illud faciunt (v. g. fit catechismus sed sine ulla aut sine convenienti explicatione: fiunt conciones sed non ad captum populi, non circa res magis communes et necessarias etc.). Hinc ignorantia in populo tam ruri quam in civitatibus; quae profecto ignorantia heu nimis conspicitur etiam in illis qui ecclesiam valde frequentant. Hinc in iisdem quoque vita usque ad mortem plena peccatis. Nec mirum: audierunt enim conciones de patria, de democratia christiana, de socialismo, de progressu, de muliere etc. etc., sed de peccato mortali, de morte, de iudicio, de inferno, de aeternitate, de necessitate bonae confessionis, de dolore, de proposito, de fuga occasionis, de relapsu, de perseverantia etc. etc. nunquam (nisi forte obiter et valde superficialiter) quidquam audierunt. Hinc damnatio aeterna innumerabilium, quae, si sacerdotes melius populum instruxissent atque admonuissent, salvi evasissent.

3°) Scientia exigitur etiam ad recte administranda Sacramenta, et maxime ad audiendas cum fructu Christifidelium confessiones. Oportet enim ut confessarii veras poenitentium obligationes (quoad legem Dei et Ecclesiae, nec non munera diversorum statuum), et doctrinas de actibus humanis, de conscientia et de peccatis bene cognoscant, ne peccatum apponant ubi non est, aut e contra. Scire debent etiam quo modo poenitentes ad verum dolorem et propositum induci valeant: ita ut de necessitate mutandi vitam intime persuasi evadant, atque instruantur de modis quibus vera emendatio eis facilior reddatur. His deficientibus, quid reliquum? Perseverantia in peccatis et damnatio aeterna!

4°) Neque dicatis. Haec addiscemus postea. Vana illusio. Si non discitis nunc, dum tutam directionem, et tot stimulos ac tot auxilia habetis, quomodo his omnibus destituti addiscetis postea? Insuper instructio (maxime pro recte administrando Sacramento Poenitentiae) nonnisi pluribus annis comparari potest, atque statim in principio non tamquam comparanda sed tanquam comparata exigitur.

5°) Si scientia exigebatur in sacerdotibus antiqui testamenti, adeo ut Dominus dixerit: *Quia scientiam repulisti, repellam te ne sacerdotio*

fungaris mihi; quanto magis necessaria erit in sacerdotibus novae legis? Adde necessitatem specialem nostrorum temporum. Occurrunt necessitates specialissimae circa fidem, et circa Religionis defensionem. Dum talis ac tanta propagatur instructio profana, nedum in civitatibus sed etiam ruri, et nedum in viris sed etiam in foeminis, heu quanta ignominia si clerus ignorantia laboraret! Quid si magistra scholae instructione praedita esset magis quam parochus, qui ideo aut non auderet praedicare illa praesente, aut eiusdem irrisionibus propter solecismos et immanes errores se exponeret?

XI. Conscientiam sibi facere de peccato, si studium negligatur.

a) Qui tenetur ad finem, tenetur ad media.

b) Huiusmodi negligentia esset contra voluntatem genitorum, qui pro vobis tot expensas faciunt, et tot sacrificia sustinent.

c) Interveniret inobedientia contra Episcopum aliosque superiores.

d) Uno verbo deficeretis contro munera vestri status.

e) Peccatum autem non veniale, sed (supposita gravitate materiae) vere mortale esset.

Hoc certe de vobis non verificabitur; sed monita ista unicuique vestrum valde fructuosa erunt. Sic Superiorum vestrorum consolatio eritis, et non solum apud illos, sed etiam (imo praecipue) apud Deum, magnum meritum vobis comparabitis.

Appendix II.

Monita ad discipulos in fine anni scholastici.

1226. Hac postrema anni scholastici die expectatis monita ad circumstantiam relativa. Libenter illa auditis: libentissime illa dabo. Ex toto corde equidem semper, sed hac maxime vice loquor.

Ecce: Ex vobis (sic enim apud nos usuvenit) alii remanent in seminario atque ad seminarii ipsius villam se conferunt: alii in domo propria vacationes transigunt: alii denique studiorum cursum finierunt, et proinde abeunt non amplius reversuri.

Vobis, qui remanetis in seminario, dicam tantummodo: Fortunati vos! Simul enim recollecti sub vestrorum Superiorum custodia remanetis, et periculis mundi obviam non itis. Observate regulas vestras: obedite praefectis vestris: et, fruendo horis ludo atque recreationi concessis, alias in studio et pietatis officiis fideliter impendite.

Quid dicam vobis, qui ad patriam vestram reditis et apud familias vestras vacationes transigitis?

Imprimis cauti, cauti estote. Heu quantum enim periculis obviam itis! Pericula maiora sunt 1° Personae diversi sexus: sive ipsae in domo vestra commorentur, sive identidem ad familiam vestram divertant, sive denique vos ipsi ad earundem domos (v. g. visitando amicos, vel parentes, quod ideo parce et caute admodum fieri debet) divertatis. 2° Libri romantici et erotici, quos forte in ipsa vestra domo invenire possetis. 3° Otium. 4° Dissipatio, huc illuc circumvagando vel etiam in sacristiis tempus terendo, et maxime horis nocturnis extra domum remanendo. 5° Libertas oculorum et licentia sermonis. 6° Conversatio cum saecularibus etc.

Attendite officiis pietatis, et praecipue orationi, meditationi et fre-

quentiae sacramentorum. Quovis mane Missam audite: quovis vespere visitationem SS.mi Sacramenti peragite. Ad confessionem singulis hebdomadis accedite; SS.mam Eucharistiam etiam saepius (cum consilio confessarii) sumite.

Exercete vos in ministeriis ecclesiasticis. Statim ac domi eritis, adite parochum vestrum, eique operam vestram offerte. Functionibus sacris intervenite, et (si ille sit contentus) catechizate pueros, aut etiam oratiunculam aliquam ad populum habete.

Recreationes convenientes adhibere poteritis; sed ita ut nec status clericalis dignitas offendatur, nec vos studio prorsus vale dicatis. Post unam quippe vel alteram hebdomadam vacationis, examinibus expletis, studium resumere debetis, et *nulla dies sine linea*. Constituite vobis methodum vitae, illamque (quantum fieri poterit) exacte et constanter observate.

Bono exemplo non solum saecularibus sed etiam ecclesiasticis praefulgete. Si autem in Dioecesi constitutae fuissent regulae a clericis vacationum tempore in patriam redeuntibus observandae, illas utique imprimis observare debebitis.

Haec ita necessaria sunt ut illis neglectis vacationes possent esse occasio nedum perdendi profectum in anno comparatum, sed etiam in magnam (et fortasse irreparabilem) ruinam proruendi. Heu quot enim vocationis ecclesiasticae iacturam fecerunt, et sacris vestibus depositis, impii atque perditi prorsus evaserunt; et heu quot alii viam ecclesiasticam prosequendo, sacrum habitum turpissime dehonorarunt, atque ita pro se et aliis longe melius fuisset si illum deposuissent.

Nunc converto sermonem ad vos qui cursum scholasticum absolvistis, et proinde domum itis non amplius redituri. Dico imprimis, quod, de vobis recogitando, duos affectus concipio sibi invicem contrarios; nempe magnam spem et magnum timorem. Magnam spem propter bonum quod perficere poteritis; magnum timorem propter periculum ne inutiles aut etiam pravi evadatis. Vae, vae sacerdoti pravo! Vae pro illo ipso, vae pro aliis! Unicus sacerdos pravus heu quantum malum in toto populo producere potest! Potest enim esse occasio amissionis fidei, et damnationis aeternae innumerabilium animarum!

Quaeso, quaeso, in ullo ex vobis hoc non accidat! Ite ad domum vestram cum firmissimo proposito correspondendi semper sanctae vestrae vocationi, et impendendi vires totas atque vitam totam in sanctificandis vobis ipsis et in procuranda salute animarum.

In hunc finem duo vobis enixe commendantur, nempe recessus et occupatio. Me explico.

Recessus (it. *la ritiratezza*), nempe vita (quantum fieri potest) ab oculis et convictu hominum remota. Hinc vestra loca sint Ecclesia, domus, et (pro necessaria deambulatione cum aliquo sacerdote magis pio et docto) viae extra civitatem et minus frequentatae. Non sumatis exemplum a sacerdotibus dissipatis. Pro certo credite quod dissipatio est prima et maior cleri ruina; et e contra ex recessu et recollectione evitatio periculorum, spiritus orationis, fervor, et uno verbo (non sine magna populi edificatione) tota illius sanctitas pendet.

Occupatio: fugiendo scilicet otium, impendite tempus in occupationibus sacerdote dignis. Dico *sacerdote dignis;* quid enim de illis qui adeo excessive et habitualiter ludo aut venationi incumbunt, ut potius quam sacerdotes dici deberent lusores aut venatores? Quid etiam de illis, qui (vix Missa ad habendam eleemosynam et perfunctorie celebrata), quasi

villici aut mercatores forent, toti sunt in negotiis saecularibus; unde, Ecclesiae prorsus inutiles, de sacerdotio nihil habent nisi vestem et characterem?

Sed quaenam sunt occupationes sacerdote dignae? Sunt speciatim sequentes.

I. Recitatio attenta ac devota Officii divini, aliarumque orationum, v. g. Rosarii, precum novendialium etc.

II. Celebratio, pariter devota atque edificans, sacratissimi Missae sacrificii, cum debita praeparatione atque gratiarum actione.

III. Meditatio, eliciendo in ipsa ferventes affectus et sancta proposita.

IV. Lectio spiritualis et maxime vitae Sanctorum.

V. Visitatio SS.mi Sacramenti, et Beatae Mariae Virginis.

VI. Recollectio mensilis; prout, cum adeo magno cleri profectu, magis quam apud nos, usuvenit alibi, et maxime in Belgio.

VII. Sacrae functiones.

VIII. Quatenus approbati sitis, auditio confessionum; sed ita ut 1° in materia sexti pro sola necessitate verba faciatis, cito vos expediatis, et uno verbo maximam cautelam adhibeatis; 2° procuretis seriam poenitentium emendationem, recolendo effatum: *Nemo ad vos accedat, qui non recedat melior.*

IX. Verbi divini praedicatio; sed ita ut argumenta auditoribus magis necessaria vel utilia eligatis, eaque (necessaria adhibita praeparatione) clare et nervose pertractetis, unde verum fructum obtineatis.

Sed in particulari dicendum est aliquid de aliis duabus occupationibus, quae quam maxime vobis cordi esse debent.

Prima est *studium*. Finitae sunt scholae, sed finita non est necessitas studendi. In scholis data fuit directio: exposita fuerunt principia: actum fuit de compendio: atque insuper multa e memoria excidunt. Alia itaque, alia plurima, et quidem summi momenti, adhuc addiscenda restant: alia sunt melius consideranda: et alia sunt ad memoriam revocanda. Verissimum est effatum quod pro sacerdote studia nunquam sunt finita.

Studium debet esse accomodatum vestris specialibus circumstantiis, habendo etiam respectum ad tempora.

Quoad vestras speciales circumstantias (v. g. aptitudinis, inclinationis etc.) perpendite qua in re vos Ecclesiae magis utiles esse poteritis, v. g. in officio parochi, vel concionatoris, vel simplicis confessarii, vel directoris monialium, vel magistri etc. Hinc vobis praefigite scopum, atque ad illum de facto assequendum, sapienter, ordinatim et constanter (non parcendo labori) media adhibete.

Quoad respectum ad tempora, quamvis omnino oporteat ut sacerdotes attendant ad studia ecclesiastica, tamen valde expedit ut eruditione quoque profana non careant, praecipue quoad illa quae occasionem faciendi obiectiones contra Religionem praebere solent. Parochi speciatim, sive pro suo officio familias adeundo, sive utcumque loquendo cum saecularibus, huius eruditionis necessitatem habent. Quid enim si magister aut magistra elementaris, medicus, aut veterinarius aut pharmacista, aut villicus etc. de praedictis contra Religionem verba facerent, et parochus vel mutus remanere cogeretur, vel interrogatus nihil respondere sciret, vel in sermone manifeste inferior remaneret aut etiam de erroribus convinceretur? Quid maxime si iidem iam notorie essent incredduli? Nonne statim spargeretur notitia quod illi sunt magis docti magisque attendendi; et quod pro suis doctrinis habent argumenta ita valida ut etiam sacerdotes victas manus omnino dare debeant? Non itaque negligenda sunt studia historica, et scientiae philosophicae, naturales, sociales etc.

Secunda occupatio est aliquod officium, cum maiori sollicitudine possibili vobis comparandum. Ordinarie res erit de officio parochi, et proinde pergite ad concursus qui in dioecesi pro paroeciis indicuntur. Vellem ut concurrentes semper essent plurimi : id enim nedum concurrentibus ipsis sed etiam Ecclesiae valde utile esset. Ut tamen cum bono exitu concurratis, tria exiguntur 1° Scientia, atque adeo praeparatio (quid enim de illis qui ita imparati ad concursus accedunt, ut solum propriae ignorantiae et temeritatis testimonium dare valeant ?) 2° Bona supellex virtutum et vitae exemplaritas ; non enim solae casuum resolutiones, sed etiam (imo praecipue) virtutes (nempe integritas morum, pietas, modestia, zelus etc.) ab examinatoribus considerantur. 3° Servitium ecclesiae praestitum et experimentum *cum laude* iam datum in aliis officiis, inter quae officium vicarii-parochialis maxime eminet; in illo enim cura animarum exercetur, dexteritas practica acquiritur, et palam fit quod labor fastidio non habetur. Hoc ergo officium acceptate libenter; difficile enim est quod boni parochi evadatis nisi prius boni vicarii fueritis. Concursu autem expleto, remittite vos bono animo Episcopi iudicio ; nec sitis de illis qui, paucissimis exhibitis concursibus, statim paroeciam vellent, qua non obtenta clamorem faciunt et de Episcopo ipso obmurmurant.

Hae sunt res principales quas vobis dicere volebam, atque ex toto corde dixi. Spero, imo pro certo habeo, quod illas executuri eritis revera.

Denique vos omnes rogo ut, in orationibus, magistri vestri memoriam habeatis.

INDEX PROGRESSIVUS

TRACTATUS I. *De sacramento poenitentiae* . . . . *pag.* 5
Sectio I. De essentia sacramenti poenitentiae . . . . » id.
Sectio II. De subiecto poenitentiae seu de actibus poenitentis . » 9
Caput I. De contritione . . . . . » id.
Articulus I. De dolore ac detestatione peccati . . . . » id.
Articulus II. De proposito . . . . . » 26
Caput II. De confessione . . . . . » 31
Articulus I. De integritate materiali . . . . . » 32
Articulus II. De integritate formali, seu de confessione plus vel minus dimidiata, quae iustis de causis interdum licet » 50
Articulus III. De materia sufficienti vel non sufficienti . . » 56
Articulus IV. De examine conscientiae . . . . . » 59
Dissertatio I. De peccatis dubiis . . . . . » 60
Argumentum I. Doctrina de obligatione accusandi peccata dubia radicem habet in dogmate catholico, et fundatur in rationibus theologicis validissimis . . . . . » 63
Argumentum II. Doctrina de obligatione accusandi peccata mortalia dubia fundatur in Tridentino, ex quo necessario deducitur . . . . . » 67
Argumentum III. Hac doctrina ab Ecclesia populo christiano semper tradita fuit . . . . . » 68
Argumentum IV. Haec doctrina confirmatur ex universali christifidelium sensu, atque ex praxi et traditione cuius initium non reperitur . . . . . » 71
Argumentum V. Deductum ab obligatione accusandi numerum dubium . . . . . » 72
Argumentum VI. Eadem doctrina confirmatur etiam ex nonnullis decretis S. C. S. O. . . . . » id.
Argumentum VII. Rationes hucusque expositae fundant (sensu plurium theologorum) nedum probabilitatem sed certitudinem quod praeceptum accusandi peccata dubia vere existit » 74
Argumentum VIII. Quod ex ipsa doctrina opposita desumi potest » id.
Propositio I. Doctrina opposita, quae dicit non adesse obligationem accusandi peccata dubia, fuit prorsus inaudita in Ecclesia Dei usque ad saeculum XVI . . . . . » id.
Propositio II. Obiectiones, quae pro excludenda obligatione accusandi peccata dubia adducuntur, validae non sunt . » 78
Propositio III. Doctrina, quae distinguit inter peccata positive et negative dubia et restringit obligationem ad sola dubia negativa, subsistere non potest . . . . . » 84

Argumentum IX. Deductum ex auctoritate plurium theologorum, qui post saeculum XVI scripserunt . . . . . *pag.* 86
Argumentum X. Deductum ex oppositarum opinionem contradictionibus et confusione. Item deductum ex consectariis . » 87
Dissertatio II. De circustantiis aggravantibus . . . . » 89
Caput III. De satisfactione sacramentali quatenus a poenitente acceptari et adimpleri debet . . . . . » 95
Sectio III. De sacramenti poenitentiae ministro . . . . » 101
Caput I. De ministro ante confessionem . . . . . » id.
Articulus I. De iurisdictione . . . . . » id.
Punctum I. De iurisdictione ordinaria . . . . . » id.
Punctum II. De iurisdictione, quae ex dispositione iuris, vel consuetudine, vel privilegio provenit . . . . » 103
Punctum III. De iurisdictione delegata . . . . . » 108
Punctum IV. De iurisdictione quae aliquando subsistit quoad validum sed non quoad licitum; et de superioribus pro foro externo, qui suorum subditorum confessiones audiunt » 112
Punctum V. De delegatione speciali, quae pro audiendis confessionibus monialium, aliarumque mulierum in pio loco viventium, exigitur . . . . . » 113
Punctum VI. De reservatione . . . . . » 114
§ I. De natura et effectibus reservationis . . . . . » id.
§ II. De casibus Summo Pontifici reservatis . . . . » 116
§ III. De censuris et casibus reservatis Episcopis . . . » 122
§ IV. De casibus reservatis Praelatis Regularibus . . . » 124
§ V. De interpretatione reservationis . . . . . » id.
§ VI. De potestate absolvendi a reservatis iure ordinario, quasi ordinario et delegato . . . . . » 131
§ VII. De subiecto reservationis . . . . . » 135
§ VIII. De quibusdam cautelis speciali animadversione dignis, et de interpretatione facultatis absolvendi . . . . » 156
§ IX. De cessatione reservationis . . . . . » 160
Punctum VII. De iurisdictione sublata quoad complicem . » 162
Articulus II. De obligatione audiendi confessiones, necnon de sollicitudine confessarii officium suum bene exercendi; et quomodo promptum se praebere, omnesque sine distinctione libenter excipere debeat . . . . . » id.
Caput II. De ministro actu confessionis . . . . . » 171
Articulus I. Principia generalia . . . . . » id.
Articulus II. De interrogationibus . . . . . » 173
Punctum I. De obligatione interrogandi . . . . . » id.
Punctum II. Regulae principales circa interrogationes . . » 176
Punctum III. De interrogationibus quae fiunt ad cognoscenda peccata . . . . . » 177
§ I. De interrogationibus adhibendis quando confessarius est certus de peccato commisso et non accusato . . . » id.
§ II. De interrogationibus adhibendis quando confessarius dubitat ne poenitens peccata aliqua sacrilege reticeat . . » 179
§ III. De interrogationibus adhibendis ne poenitens ex oblivione vel inadvertentia aliquod grave peccatum prorsus reticeat » 192
§ IV. De interrogationibus adhibendis si poenitens ex conscientia laxa vel utcumque ex falso dictamine aliquid reticeat » 194

§ V. De interrogationibus adhibendis circa peccata quae poenitens accusat, sed non sufficienter declarat . . . *pag.* 194
§ VI. De interrogationibus adhibendis si poenitens species infimas mortalium non exprimat . . . . . » 197
§ VII. De interrogationibus, quoad circumstantias speciem mutantes vel utcumque ad confessionis integritatem explicatu necessarias, adhibendis . . . . . » id.
§ VIII. De interrogationibus circa numerum . . . . » 200
§ IX. De interrogationibus directis ad intelligendum an peccata poenitentis sint gravia aut levia . . . . . » id.
§ X. De interrogationibus directis ad cognoscendum (quoad personas pias) an ea, quae accusata fuerunt, materiam sufficientem confessionis constituant . . . . . » 202
Punctum IV. De interrogationibus directis ad cognoscendas obligationes, remedia et dispositiones . . . . . » id.
Appendix. De interrogationibus circa poenitentis complicem, et speciatim de vetito eiusdem nomen exquirendi . . » 205
Articulus III. De instructionibus seu monitionibus poenitenti suppeditandis . . . . . » 207
Punctum I. De necessitate et dotibus instructionis . . . » id.
Punctum II. De rectitudine instructionis . . . . . » 208
Punctum III. Quomodo instructiones debeant esse prudentes . » 213
Articulus IV. De remediis assignandis . . . . . » 225
Articulus V. De exhortatione facienda . . . . . » 234
Articulus VI. De absolutione danda, vel differenda, vel deneganda . . . . . » 249
Articulus VII. De iniunctione et commutatione poenitentiae sacramentalis . . . . . » 264
Articulus VIII. De forma et ritu sacramenti poenitentiae . » 270
Articulus IX. De confessione generali, quasi generali, aut annuali . . . . . » 273
Articulus X. De advertentiis speciatiter adhibendis quoad varia poenitentium genera . . . . . » 293
Punctum I. Quoad viros . . . . . » id.
Punctum II. Quoad foeminas . . . . . » id.
Punctum III. Quoad sacerdotes . . . . . » 295
Punctum IV. Quoad personas pias et moniales . . . . » 296
Punctum V. Quoad pueros et iuvenes . . . . . » 297
Punctum VI. Quoad surdo-mutos . . . . . » id.
Punctum VII. Quoad infirmos et moribundos . . . . » id.
Caput III. De ministro post confessionem, nempe de sigillo, de usu scientiae confessionis et de reparandis erroribus . » 298
Articulus I. Principia generalia quae sigillum et usum scientiae confessionis in communi respiciunt . . . . . » id.
Articulus II. Agitur in particulari de sigillo . . . . » 299
Punctum I. De natura sigilli . . . . . » id.
Punctum II. De licentia quae a poenitente dari debet ut confessarius de auditis in confessione loqui possit . . . » 301
Punctum III. De materia sigilli . . . . . » 303
Punctum IV. De sigilli violatione directa . . . . . » 309
Punctum V. De sigilli violatione indirecta . . . . » 313
Punctum VI. De poenis contra violantes sigillum . . . » 322
Punctum VII. De fractione sigilli cum poenitente solo . . » id.

Articulus III. De usu scientiae confessionis . . . . . *pag.* 323
Appendix I. De quibusdam aliis loquendi modis, qui scandalum inducunt et confessionem odiosam reddunt . . . » 335
Appendix II. De aliis personis, quae praeter confessarium, ad sigillum vel ad non utendum scientia confessionis, teneri possunt . . . . . » 336
Articulus IV. De corrigendis erroribus, qui forte in administrando sacramento poenitentiae commissi fuerint . . » 338
Appendix. De sollicitatione . . . . . » 343
I. De natura sollicitationis, de persona sollicitata et de persona sollicitante . . . . . » id.
II. De sollicitatione considerata in se . . . . . » 344
III. De clausulis, sub quibus accidere debet sollicitatio, ut denuntianda sit . . . . . » 346
IV. De sollicitatione actu vel loco confessionis inchoata, cuius malitia solum postea cognoscatur . . . . . » 351
V. De denuntiatione sollicitationis . . . . . » 352
VI. Quando et sub qua poena denuntiatio fieri debeat . . » 358
VII. De habentibus notitiam sollicitationis perpetratae . . » id.
VIII. De causis a denunciatione excusantibus . . . . » 359
IX. De obligatione confessarii admonendi poenitentem, ut sollicitationis denunciationem exequatur . . . . . » id.
X. De auxilio praestando a confessario poenitenti in casibus sollicitationis . . . . . » 363
XI. De accusatione calumniosa . . . . . » 364
TRACTATUS II. *De Extrema Unctione* . . . . . » 365
Caput I. De extremae unctionis natura et effectibus . . » id.
Caput II. De huius sacramenti materia forma et ritu . . » 366
Caput III. De huius sacramenti subiecto . . . . . » 369
Caput IV. De extremae unctionis ministro . . . . . » 372
Caput V. De obligatione extremam unctionem recipiendi et administrandi . . . . . » 373
TRACTATUS III. *De Ordine Sacro et Irregularitatibus* . . » 375
Sectio I. De ordine sacro . . . . . » id.
Caput. I. De ordinis natura . . . . . » id.
Caput. II. De materia et forma ordinum . . . . . » 377
Caput III. De ministro ordinis . . . . . » 388
Caput IV. De ordinis subiecto . . . . . » 395
Articulus I. Quid a parte subiecti exigatur et sufficiat pro valido » id.
Articulus II. Quid a parte subiecti exigatur pro licito . . » 396
Sectio II. De irregularitatibus . . . . . » 403
Caput I. De irregularitatibus in genere . . . . . » id.
Caput II. De irregularitatibus in specie . . . . . » 408
Articulus I. Irregularitates ex defectu . . . . . » id.
Articulus II. Irregularitates ex delicto . . . . . » 420
TRACTATUS IV. *De Matrimonio* . . . . . » 427
Sectio I. De sponsalibus . . . . . » id.
Caput I. De sponsalium natura et obligatione . . . . » id.
Caput II. De requisitis ut sponsalia sit valida . . . . » 428
Caput III. De sponsalium dissolutione . . . . . » 434
Sectio II. De impedimentis matrimonii . . . . . » 443
Caput I. De impedimentis in genere . . . . . » id.
Caput II. De impedimentis dirimentibus . . . . . » 446

Articulus I. De impedimentis ex defectu consensus . . . *pag.* 446
Punctum I. Error . . . . . » id.
Punctum II. Conditio . . . . . » 448
Punctum III. Vis seu metus . . . . . » id.
Punctum IV. Raptus . . . . . » 455
Articulus II. De impedimentis ex defectu naturae . . . » 456
Punctum I. Aetas seu impubertas . . . . . » id.
Punctum II. Impotentia . . . . . » 457
Appendix. Regulae practicae, speciatim pro confessario, circa impedimentum impotentiae . . . . . » 473
Articulus III. De impedimentis ex parentela sive proprie sive improprie dicta . . . . . » 477
Punctum I. Quaedam praenotanda . . . . . » id.
Punctum II. Consanguinitas . . . . . » 478
Punctum III. Affinitas . . . . . » 484
Punctum IV. Publica honestas seu iustitia publicae honestatis » 491
Punctum V. Cognatio spiritualis . . . . . » 499
Punctum VI. Cognatio legalis . . . . . » 500
Articulus IV. De impedimento ex defectu libertatis, scilicet de impedimentis voti, ordinis, et ligaminis . . . . » 502
Punctum I. Votum . . . . . » id.
Punctum II. Ordo . . . . . » 503
Punctum III. Ligamen . . . . . » id.
Articulus V. De impedimento ex defectu baptismi ex una parte, seu cultus disparitatis . . . . . » 504
Articulus VI. De impedimento criminis . . . . . » 505
Articulus VII. De impedimento ex defectu solemnitatis, scilicet de clandestinitate . . . . . » 514
Punctum I. De lege hoc impedimentum statuente, eiusque exceptionibus . . . . . » id.
Punctum II. De parocho qui matrimonio assistere debet . . » 517
Punctum III. De delegato qui, vice parochi, matrimonio assistere potest . . . . . » 528
Punctum IV. De testibus, et quid exigatur ut parochus et testes testificandi officium sufficienter praestent . . . » 532
Caput III. De impedimentis impedientibus et aliis requisitis pro licito . . . . . » 534
Caput IV. De bannis seu proclamationibus, de examine sponsorum, de fide status liberi et de matrimonio conscientiae . » 543
Caput V De dispensationibus . . . . . » 549
Articulus I. De auctore dispensationis . . . . . » id.
Articulus II. De causis dispensationis . . . . . » 552
Articulus III. De modo petendi dispensationes . . . . » 555
Articulus IV. Quibus de causis dispensatio possit esse invalida » id.
Articulus V. De executione dispensationis . . . . . » 556
Sectio III. De matrimonio in se considerato . . . . » 557
Caput I. De matrimonii natura et divisionibus . . . . » id.
Caput II. De matrimonii proprietatibus et requisitis essentialibus . . . . . » 558
Articulus I. De inseparabilitate (quoad baptizatos) inter contractum et sacramentum ; et de ministro, materia et forma huius sacramenti . . . . . » id.
Articulus II. De matrimonii unitate . . . . . » 559

Articulus III. De matrimonii indissolubilitate . . . . *pag.* 560
Articulus IV. De consensu . . . . . » 562
Appendix. De matrimonio civili et de divortio civili . . » 576
Articulus V. De matrimonii revalidatione . . . . . » 580
Punctum I. De revalidatione matrimonii modo ordinario . . » 581
Punctum II. De dispensatione in radice . . . . . » 583
TRACTATUS V. *De Censuris* . . . . . » 589
Sectio I. De censuris in genere . . . . . » id.
Caput I. De censurarum natura et divisione . . . . » id.
Caput II. De censurarum auctore; scilicet quisnam censuras infligere possit, et contra quosnam . . . . . » 590
Caput III. De censurarum subiecto . . . . . » 593
Caput IV. De conditionibus requisitis a parte peccati ut censurae subiiciatur . . . . . » 595
Caput V. De censurarum effectibus et interpretatione . . » 599
Caput VI. De absolutione a censuris . . . . . » 602
Sectio II. De tribus censurarum speciebus . . . . . » 604
Caput I. De excommunicatione . . . . . » id.
Caput II. De suspensione . . . . . » 610
Caput III. De interdicto . . . . . » 616
Appendix. De quibusdam aliis poenis ecclesiasticis et de cessatione a divinis . . . . . » 619
Sectio III. De censuris particularibus quae vigent post const. *Apostolicae Sedis* . . . . . » 620
Caput I. Explicationes circa nonnullas excommunicationes Romano Pontifici speciali modo resertatas . . . . » id.
Caput II. Explicationes circa nonnullas excommunicationes Rom. Pont. reservatas simpliciter . . . . . » 628
Caput III. Explicationes circa excommunicationes Episcopo seu Ordinario reservatas . . . . . » 641
Caput IV. Exponuntur excommunicationes nemini reservatae . » 643
Caput V. De suspensionibus et interdictis particularibus . . » 659
Appendix I. Monita ad discipulos prima die anni scholastici . » 660
Appendix II. Monita ad discipulos in fine anni scholastici . » 664

ADDITIONES et CORRECTIONES

1227. **Collectae in Missa** (*Vol. IV 495* IV).

Quamvis collecta imperata debeat omitti in duplicibus primae classis, Episcopus posset tunc etiam illam imperare si de re vere gravi ageretur (v. g. pro Papa), sed ita ut dicatur sub unica conclusione. S. R. Congr. *Decr. 3365.*

1228. **Confessarii extraordinariissimi pro monialibus** (*Vol. IV n. 707*).

« Circa decretum *Quemadmodum*, quaesitum fuit: Licet S. C. Epp. et RR. die *17 Aug. 1891* responderit: *Superiorem teneri subditi precibus semper indulgere quamvis plene videat necessitatem esse fictam, et vel scrupulis vel alio mentis defectu ut veram ab ipsa petente apprehensam...*; nihilominus nonnullae sanctimonialium superiores adhuc contendunt sibi licere sorori petenti confessarium denegare ex motivis, ut aiunt, extrinsecis. Quaeritur utrum saltem ob motiva huius generis Superiorissa licite possit confessarium ex deputatis a sorore electum ipsi denegare » ?

« S. C., omnibus sedulo perpensis, die *5 Aug. 1904*, respondit: *Negative;* sed, si adsint vationes vere graves, Superiorissa eas subiiciat Ordinario, cuius iudicio standum erit ».

Ita apud Acta S. Sedis (*Vol. XXXVII pag. 87*), ubi declaratur quod motiva extrinseca essent v. g. quod forte confessarius a moniali electus parum faveret monasterio, et quod ipse iudicio Superiorissae aliquam Communitati perturbationem inducere posset et alia similia.

1229. **Concursus ad urnas politicas in Italia** (*Vol. II n. 263. 266*).

Quamvis *anno 1886* S. C. S. Officii iussu Leonis XIII declarasset, concursum ad urnas politicas in Italia nedum

non expedire sed non licere; et quamvis iam inde ab anno 1870, subsecuta invasione Romae, S. Sedes per litteras encyclicas S. Poenitentiariae omnibus Italiae Episcopis significasset, officium deputati Romae non esse tolerandum; hoc tamen non sensu ita stricto dictum fuit, ut (quasi ageretur de re intrinsece et absolute mala) in nulla circumstantia, et nequidem consentiente Pontifice, licitum evadere posset. Enimvero (ut videre est apud ephemeridem *La riscossa* 3 Dec. 1904) prius quidem raro, et solum erga particulares personas, a Pio IX et a Leone XIII licentiae datae fuerunt; diebus autem nostris, grassante socialismo, ad impediendum ne socialistae electi evaderent, nonnullis integris collegiis, quamvis hucusque ad modum exceptionis dumtaxat, a SS.mo D. N. Pio X facultas concessa fuit. Dixi *hucusque,* in novissima enim encyclica *11 Iunii 1905* ad Episcopos Italiae directa idem Summus Pontifex dixit: *Ragioni gravissime Ci dissuadono dallo scostarci da quella norma già decretata dal nostro Antecessore di s. m. Pio IX e seguita poi dall' altro Nostro Antecessore di s. m. Leone XIII durante il diuturno suo Pontificato, secondo la quale rimane in genere vietata in Italia la partecipazione dei cattolici al potere legislativo. Senonchè altre ragioni parimente gravissime tratte dal supremo bene della società, che ad ogni costo deve salvarsi, possono richiedere che nei casi particolari si dispensi dalla legge, specialmente quando Voi, Venerabili Fratelli, ne riconosciate la stretta necessità pel bene delle anime e dei supremi interessi delle vostre Chiese, e ne facciate dimanda. Ora la possibilità di questa benigna concessione Nostra induce il dovere nei cattolici tutti di prepararsi prudentemente e seriamente alla vita politica, quando vi fossero chiamati. Onde importa assai che quella stessa attività spiegata dai Cattolici per prepararsi con una buona organizzazione elettorale alla vita amministrativa dei Comuni e dei Consigli provinciali, si estenda altresì a prepararsi convenientemente e ad organizzarsi per la vita politica, come fu opportunamente raccomandato con la circolare delli 3 dicembre 1904 dalla Presidenza generale delle*

opere economiche in Italia. Nello stesso tempo dovranno inculcarsi e seguirsi in pratica gli alti principii che regolano la coscienza di ogni vero cattolico. Deve egli ricordarsi sopra ogni cosa di essere in ogni circostanza e di apparire veramente cattolico, accedendo agli officii pubblici ed esercitandoli col fermo e costante proposito di promovere a tutto potere il bene sociale ed economico della patria, e particolarmenle del popolo, secondo la massima della virtù spiccatamente cristiana, e di difendere insieme gli interessi supremi della Chiesa, che sono quelli della religione e della giustizia.

1230. **Eleemosyna quae ex indulto recipitur pro Missis binatis, aut pro illis quae in festis suppressis pro populo applicari deberent** (*Vol. IV n. 584*).

Hodie S. Sedes concedere solet Episcopis facultatem habilitandi sacerdotes ad recipiendas eleemosynas pro Missis binatis (sicut etiam pro Missis, quae in festis suppressis applicari deberent pro populo), sed fere solum ut eleemosynae ipsae tradantur Episcopo pro Seminario aliisve magnis dioecesis necessitatibus.

Quidam Episcopi concedere solebant sacerdotibus, ut, quaecumque esset eleemosynae receptae quantitas, ad curiam episcopalem traderent solum partem quae eleemosynae synodali correspondet. Quaesitum fuit an huiusmodi concessio ab Episcopis fieri valeat? S. C. C. (die *27 Febr. 1905*) respondit: *Negative*. Apud Acta (*XXXVII pag. 524*).

1231. **Matrimonium mulieris excisae** (*Vol. V. nn. 880-892*).

Addenda sunt, sequentia.

I. Mulier excisa (cui scilicet ablata sunt ovaria, vel etiam uterus), non debet (secus ac dicunt qui pro matrimonii ipsius invaliditate stant) aequiparari eunucho (vel spadoni). Equidem utriusque par est ratio quoad finem primarium matrimonii, scilicet quoad generationem, ad quam tum eunuchus, tum (si operatio perfecte peracta fuisset) mulier excisa, sunt aequali modo inhabiles. Sed magna diversitas adest quoad finem secundarium, nempe satisfactionem concupiscentiae quae sit talis ut convenienter deserviat ad evitandum periculum fornicationis. Enimvero mulier excisa cui, (ut contingere solet) intacta remanserit vagina, cum sufficienti tum sui ipsius tum viri satisfactione, copulam habere potest. E contra, si vir sit eunuchus, res sequenti modo se habent. Si talis esset iam inde a nativitate vel talis evasisset in pueritia, tunc tamquam puer remaneret in perpetuum, et nec vehementes motus venereos nec membri virilis erectio-

nem unquam habere poterit. Si autem ei iam adulto (scilicet post pubertatem) ambo testes exsecti vel contusi fuissent, atque ita solum tunc eunuchus (seu spado) evasisset, in tali casu pruritum magnum et identidem etiam erectionem haberet, sed ita inordinate ut matrimonium foret pro eunucho ipso incentivum libidinis quae nunquam satiaretur, et pro uxore tormentum quod illam in abominationem mariti coniiceret et in periculo fornicationis semper relinqueret.

Celebre est sequens Martialis epigramma :

Cum sene communem vexat spado Dindymus Aeglen,
Et iacet in medio sicca puella toro ;
Viribus hic operi non est, hic utilis annis ;
Ergo sine effectu prurit uterque labor ;
Supplex illa rogat pro se, miserisque duobus,
Hunc iuvenem facias, hunc Cytherea virum.

Auctor autem libri *De vera virginitatis integritate* (inter opera S. Basilii *t. II*) haec habet :

« Qui solos testes abscindunt, cum eorum genitalia membra ad sta-
« tum virilem et ad coeundi facultatem pervenere, ipsos aiunt *acrius ac*
« *impotentius* ad concubitum concitari.... Vir quidem qui naturae est in-
« teger, testiculis a superna parte genituram excipientibus, indeque eam
« spargentibus, mox, semine elapso, resolutaque concupiscentia, interquie-
« scit ; sed qui non habet unde id quod titillat evacuet, vix impetum
« remittit, quoad, ut ferunt, huiusce rabiem fatigatio solvat.... Quidam
« narravit, virginem apud se lamentatam esse, quod eunuchus eius cu-
« bile ascendens, libidinose eam amplexatus esset ; totusque toti inhae-
« rens, cum non posset cupiditati satisfacere, dentibus usus esset, ferven-
« tem in carne concubitus rabiem furenter morsibus indicans ».

Rabies autem solet esse talis ac tanta, ut huiusmodi miserrimi ut plurimum suicidio vitae finem faciant.

Quae cum ita sint, quoad eunuchum omnia quaquaversus nedum male sed pessime procederent, nec rectus ordo sinit ut de honesto matrimonio agi possit. E contra quoad mulierem excisam nihil mali interveniret et cum mutua utriusque satisfactione, de sterilitate tantummodo agi poterit; unde iure merito Ecclesia, dum matrimonium eunuchi invalidum declaravit districteque prohibuit, de matrimonio e contra mulieris excisae declaravit non esse impediendum. Qui itaque dicunt matrimonium mulieris excisae esse invalidum, eo quod eunucho aequiparari debeat, meo sensu non sunt audiendi.

1232. II. Notissimum est, plures esse fines matrimonii, inter quos eminent generatio prolis, qui dicitur primarius, et satisfactio concupiscentis ad evitandum periculum fornicationis, qui secundarius appellatur.

Qui stant pro invaliditate matrimonii dicunt, generationem prolis esse finem ita primarium, ut homines, in contrahendo matrimonio, illum semper habere debeant; neque possint sibi praestituere secundarium, nisi coniunctim cum primario, qui (aiunt) est nedum principalis sed essentialis, sine quo matrimonium prorsus invalidum esset. Sed hoc sic absolute dictum minime verum est. Defectus enim finis primarii interdum quidem matrimonium redderet invalidum et interdum non. Qui finem generationis prolis ita excluderet ut nollet contrahere obligationem reddendi debitum, nisi forte onanistice aut cum veneno sterilitatis, utique tunc matrimonium invalide contraheret ; sed, supponendo quod ad excessus huiusmodi non procedat, valide (imo et licite) illud contrahere posset in sequentibus casibus.

Primus casus. Si generatio esset impossibilis propter aetatem senilem, ut puta, si mulier iam vetula 60 annorum esset.

Lapponi (nemine contradicente) dicit: *Nella vecchiaia inoltrata è sterile la donna: giacchè allora le sue ovaie sono destituite di ogni funzione* Ex statistica 10.000 parturientium duae tantummodo fuerunt ultra 50, annos ultra vero annos 54 nulla prorsus.

Ex memoriis autem totius antiquitatis, habentur alia duo exempla, quae annos 62 non superant, atque insuper fabulosa reputantur. Vide Eschbach (*De novo quodam sterilitatis concepta*).

Quomodo autem finem procreandi prolem sibi praefigere potest qui iam adverteret id esse impossibile?

Secundus casus. Si quis ex rationabili motivo filios nollet, et proinde consulto differret matrimonii celebrationem ad illud tempus in quo mulier menstrua non amplius haberet, et communi consensu matrimonio non uteretur si forte menstrua redirent, dies periculosos evitando etc., iuxta dicta *Vol. II. 881.*

Tertius casus. Si ad imitationem S. Henrici cum S. Cunegunda (maxime vero B. Virginis cum S. Ioseph), sponsi perfecto virtutis amore in proposito nunquam matrimonio utendi firmissimi essent.

Dices: Si procreatio prolis est finis primarius, quomodo matrimonium posset esse validum et licitum, si coniuges illud non sibi praestituerent vel etiam positive excluderent?

Resp. Finis generationis primarius, finis autem remedii concupiscentiae secundarius appellatur, quia primarium iam inde ab initio in paradiso terrestri, et secundarium deinceps post Adami lapsum, Deus pro genere humano in intentione sua constituit, quin tamen alios quoque bonos fines excluderet. Sed ex hoc ipso intelligitur non esse necessarium quod homines matrimonium contracturi in singulis casibus prolis generationem intendant; ad illius enim substantiam pertinet solum, ut adsit potentia et ius ad copulam naturalem, quae saltem apta sit convenienter satisfacere fini secundario, salva semper obligatione abstinendi a praedictis excessibus, qui contra finem primarium essent. Servatis autem his substantialibus, matrimonium validum et licitum esset, si contrahentes finem bonum haberent, quamvis nec generationem intenderent, simulque (ut patet ex Maria Virgine aliisque Sanctis) de remedio concupiscentiae nequidem cogitarent. Enimvero in definitione matrimonii data a Catechismo Romano hi fines non ponuntur, sed solum verbis generalioribus dicitur: « Matrimonium est viri et mulieris maritalis coniunctio inter legitimas personas, individuam vitae consuetudinem retinens ». Imo ipsa potentia ad copulam ita intelligi debet, ut moribundus in extremis et viribus omnibus destitutus de cuius vita prorsus desperatur, possit illud celebrare, et proinde veram quidem obligationem reddendi debitum contrahere, sed solum pro casu in quo per miraculum sanitatem recuperaturus esset.

Ex eo itaque quod in muliere excisa finis primarius matrimonii intendi non possit, minime sequitur, illud invalidum necessario esse debere.

1233. III. Hucusque semper dictum fuit quod, relate ad foeminam, impotentia quidem coeundi irritat matrimonium, sed non impotentia generandi; unde Sanchez (*VII.* XCII *1-26* scripsit: *Impotentia est vitium naturale aut accidentale impediens coitum.... Alia est impotentia ad copulam; alia vero ad solam generationem, quae vocatur sterilitas.... Certissimum est sterilitatem nil obesse valori matrimonii: nam quando est impotentia ad copulam neuter matrimonii finis reperiri potest; at quando est sola sterilitas, salvatur finis secundarius... Quemcumque defectum patiatur*

mulier, dummodo possit debitum reddere, non dirimi matrimonium. Talis et non alia fuit semper doctrina theologorum atque canonistarum omnium, talisque et non alia fuit semper tribunalium ecclesiasticorum praxis.

Sed, si vera esset doctrina novissima, quae pro validitate matrimonii in muliere exigit etiam potentiam generandi, tunc omnia essent subvertenda, et iam, per consequentiam quae ex eodem principio logice derivaret, matrimonia plurima, de quorum validitate hucusque nemo dubitavit, in posterum impediri vel dissolvi deberent. Mulieres enim sunt prorsus ineptae generationi non solum quando excisionem ovariorum et uteri passae fuerunt, sed etiam in aliis casibus, quorum primus (utique satis frequens) est si iam ad senectutem valde provectam (ut dixi supra) pervenissent. Idem dic si semen virile semper eiicerent quia essent (ut aiunt) *velatae*, quia scilicet vaginam ad os uteri prorsus occlusam haberent, idque esset sine remedio. Idem dic si (iam pariter sine remedio) a vagina et utero emitterent secretiones acidulas quae venenatum et prorsus sterile semen reddunt. Idem dic denique de quavis alia depravatione substantiali atque immedicabili, quae in ovariis, vel oviductibus, vel tubis fallopianis etc. adesset. Neque dicas defectum ovariorum quidem operatione chirurgica subsecutum dirimere matrimonium, non vero alios defectus modo indicatos, his enim non obstantibus matrimonium habendum esset tamquam validum, quia ex una parte laterent in interno, et ex alia existere non praesumuntur, nec ita esset de excisione ovariorum quae utique est manifesta; id (inquam) non dicas; nunquid enim senilis aetas latet in interno? Nunquid reiectio seminis non erit manifesta, et defectus ex occlusione uteri verificari nequibit? Nonne (v. g. occasione alicuius inspectionis vel operationis chirurgicae) de aliis etiam defectibus (qui, iuxta principia novae doctrinae, invaliditatem matrimonii sive contrahendi sive iam contracti inducerent) constare poterit etiam certissime?

Neque subiungas quod potentia generandi deficeret necessario in mulieribus excisis, dum in aliis (v. g. in vetulis decrepitis, et in velatis sine remedio) deficeret solum per accidens. Respondeo enim quod, si potentia generandi ad valorem matrimonii esset essentialis, quid referret si potentia ipsa deficeret per accidens? Nunquid v. g. valeret Missa, si per accidens vinum deficeret vel fuisset acetum? Insuper quomodo, v. g. in vetulis decrepitis, deficeret *per accidens*?

Nec denique valet dicere quod Ecclesia in tantum semper permisit matrimonia non obstantibus defectibus in muliere generationem etiam necessario impedientibus, in quantum non adhuc cognoscebantur; sed in posterum quia iam cogniti sunt, iam non amplius (tamquam iuri naturae contraria) illa permissura erit. Id etiam (repeto) non valet; nunquid enim Ecclesia non cognoscebat quod in muliere aetas decrepita iam efficit necessario ut (salvo miraculo) foecunda evadere nequeat? Nunquid hodie quoque non percipit quod mulier sine ovariis et sine utero nunquam generare potest? Et nihilominus S. C. S. O. respondit illius quoque matrimonium non esse impediendum.

1234. Ad obiectionem quod duae decisiones S. C. S. O. (relatae *n. 883*) intelligi debeant de casibus omnino particularibus, in quibus propter imperfectionem chirurgicae operationis mulier adhuc remansisset apta ad generationem, respondendum est quod talis interpretatio admitti non potest. Rationes sunt sequentes.

In prima dicitur quod mulier evasit sterilis. In secunda dicitur quod nedum utrumque ovarium sed etiam uterus ei ablatum fuit. Sed quomodo potuisset remanere apta ad generationem si evasisset sterilis, et nedum

sine ullo ovario, sed etiam sine utero esset? Ipse Antonelli (*n. 132*) dicit: « Absentibus utroque ovario et utero, haec capacitas (generandi) in per- « tuum desideratur ». In decreto adsunt etiam verba: *Re mature diuque perpensa*. Sed si tota ratio decisionis fuisset quod, examinato chirurgo, repertum fuit quod mulier remansit apta ad generationem, ad quid opus fuisset rem mature diuque perpendere? Ad quid decisiones huiusmodi publicare? Cur denique adhibita fuissent verba adeo fallacia, ut statim viri quoque perspicacissimi (cuiusmodi sunt v. g. Lehmkuhl, Génicot etc.) in errorem inducti fuissent?

Equidem cl. Bucceroni (*Theol. mor. Vol. II n. 994*) dicit, E.mum Card. Secretarium ei privatim dixisse responsiones illas fuisse pro casibus particularibus in quibus abscissio totalis non erat certa; et idem dicit Wernz (*Ius decretalium Vol. IV n. 345 not. 34*) de alio simili responso quod *an. 1902* editum fuit, et in quo pariter quidam officialis privatim dixisset de obscissione totali non certe constasse. Sed in re tanti momenti nonne documentis authenticis eorumdemque naturalibus interpretationibus standum erit? Assertiones autem privatae quemnam valorem habere debebunt?

1235. *In concreto et pro praxi quid concludendum?*

Inter illos, qui, non obstantibus rationibus hucusque expositis, pro certo habent, matrimonium (supposita perfectione operationis) esse invalidum, aliqui dicunt inquirendum esse a chirurgo quo modo peracta fuerit operatio, et si constet de ovariis nihil remanere potuisse, nec parochum assistere, nec Episcopum assistendi licentiam dare posse. Vide Bucceroni (*Cas. conse. n. 146*). Qui autem credunt rem esse dubiam sive in se, sive propter modum quo peracta fuit operatio, dicunt quod in casibus particularibus ad S. C. S. Officii est recurrendum. Vide Wernz (*Ius decretalium Tom. 18 n. 345*), Oietti (Synopsis)... et Acta S. Sedis (*Vol. 37 pag. 731*).

Ego censeo quod, stantibus praecipue supra allatis S. Officii responsis, quae dicunt: *Matrimonium non esse impediendum,* donec Ecclesia impedimentum dirimens non constituat, vel utcumque aliud non praecipiat, nihil est immutandum; ita tamen ut parochus (habita relatione vel notitia huiusce rei) Episcopum (durantibus controversiis) recurrere debeat; quod certe semper servari deberet si praecise ad finem impediendi generationem operatio procurata fuisset.

1236. **Missa pro mensa** (*Vol. IV n. 550*).

« Mos invaluit ut vicarii apud parochos in domo curiali degentes pensionem non argento persolvant, sed Missae quotidianae eleemosynam parocho dimittant. Quaeritur an mos ille licite possit retineri »?

« Affirmative, dummodo et quousque excessus in modo aut alius abusus non oriatur, super quo Ordinarii erit vigilare ». Ita S. C. C. *27 Febr. 1903.* (*Apud acta Volumen XXXVII pag. 524.* Vide etiam *Vol. 38 pag. 15*).

Applica itaque ad casum vulgaris effati: *Missa pro mensa.*

1237. **Obedientia Summo Pontifici praestanda** (*Vol. II n. 67*).

Summo Pontifici nedum credendum est quando loquitur ex cathedra et sic utitur sua infallibilitate, sed etiam praestanda est obedientia quando aliquid praecipit aut prohibet.

Summus Pontifex et Episcopi ius habent iudicandi, praecipiendi et prohibendi, nedum in rebus quae spectant ad fidem et mores, sed etiam (quatenus Religioni intersit) in illis quae ad societatis directionem pertinent.

Dum autem Summus Pontifex aliquid disponit, quod ita se gerat aliorum pressione coactus, aut cum abusu suae potestatis, dicere nefas est.

Ita SS.mus D. N. Pius X in litteris, quibus democratiam christianam autonomam damnat, ad Card. Svampa missis. Apud Acta (*Vol. XXXII pag. 488*).

1238. **Oratorium privatum** (*Vol. IV 465 et 1035*).

I. Obtento indulto apostolico, exigitur quidem ut Episcopus approbaverit locum a sacerdote benedicendum, sed non oportet ut praecise delegaverit sacerdotem ipsum pro benedictione ipsa, quia sufficit benedictio loci, quae non est reservata.

II. In oratorio privato non plures in die Missae celebrari possent. Benedictus XIV in Bulla *Magno*.

III. Sine speciali indulto Ap. Eucharistia ministrari nequit, et licentia Episcopi hodie non sufficeret. Secretaria Brevium (apud *Amì du Clerge, an. 1898 pag. 781*).

IV. Item nequit audiri confessio foeminarum, nisi forte essent ita infirmae ut ad Ecclesiam se conferre nequirent. S. Lig. (*VI n. 559*).

1239. **Parochi quoad doctrinam christianam pueris, et instructionem populo tradendam** (*Vol. IV 790*).

In litteris encyclicis ad sacros universi catholici orbis Antistites SS.mus D. N. Pius X (apud Acta *Vol. XXXVII pag. 623*) haec habet.

« Suprema Nostra auctoritate, quae sequuntur, in dioecesibus universis, observanda et exequenda constituimus districteque mandamus ».

« I. Parochi universi, ac generatim quotquot animarum curam gerunt, diebus dominicis ac festis per annum, nullo excepto, per integrum horae spatium, pueros et puellas

de iis, quae quisque credere agereque debet ad salutem adipiscendam, ex catechismi libello erudiant ».

II. Iidem, statis anni temporibus, pueros ac puellas ad sacramenta poenitentiae et confirmationis rite suscipienda praeparent, continenti per dies plures institutione ».

« III. Item, ac peculiari omnino studio, feriis omnibus Quadragesimae atque aliis, si opus erit, diebus post festa paschalia, aptis praeceptionibus et hortationibus adolescentulos et adolescentulas sic instruant, ut sancte sancta primum de altari libent ».

« IV. In omnibus et singulis paroeciis consociatio canonice instituatur, cui vulgo nomen *Congregatio doctrinae christianae*. Ea parochi, praesertim ubi sacerdotum numerus sit exiguus, adiutores in catechesi tradenda laicos habebunt, qui se huic dedant magisterio tum studio gloriae Dei tum ad sacras lucrandas indulgentias, quas Romani Pontifices largissime tribuerunt ».

« V. Maioribus in urbibus, inque iis praecipue ubi universitates studiorum, lycea, gymnasia patent, scholae religionis fundentur ad erudiendam fidei veritatibus vitaeque christianae institutis iuventam, quae publicas scholas celebrat, ubi religiosae rei mentio nulla iniicitur ».

« VI. Quoniam vero, hac praesertim tempestate, grandior aetas, non secus ac puerilis, religiosa eget institutione ; parochi universi ceterique animarum curam gerentes, praeter consuetam homiliam de Evangelio, quae festis diebus omnibus in parochiali sacro est habenda, ea horà quam opportuniorem duxerint ad populi frequentiam, illa tantum excepta qua pueri erudiuntur, catechesim ad fideles instituant facili quidem sermone et ad captum accommodato. Qua in re Catechismo Tridentino utantur, eo utique ordine ut quadriennii vel quinquennii spatio totam materiam pertractent quae de Symbolo est, de Decalogo, de Oratione et de praeceptis Ecclesiae ».

« Haec Nos quidem, Venerabiles Fratres, auctoritate apostolica constituimus et iubemus. Vestrum modo erit efficere ut, in vestra cuiusque dioecesi, nulla mora atque integre executioni mandentur; vigilare porro et pro auctoritate vestra cavere, ne quae praecipimus oblivioni dentur,

vel, quod idem est, remisse oscitanterque impleantur. Quod ut reapse vitetur, illud assidue commendetis et urgeatis oportet, ut parochi ne imparati catechesis praeceptiones habeant, sed diligenti prius adhibita praeparatione; ut ne loquantur humanae sapientiae verba, sed *in simplicitate*... Nolimus porro, ne ex eiusmodi simplicitatis studio persuadeat quis sibi in hoc genere tractando, nullo labore nullaque meditatione opus esse : quin immo maiorem plane, quam quodvis genus aliud, requirit. Facilius longe est reperire oratorem qui copiose dicat ac splendide, quam catechistam qui praeceptionem habeat omni ex parte laudabilem. Quamcumque igitur facilitatem cogitandi et eloquendi quis a natura sit nactus, hoc probe teneat, nunquam se de christiana doctrina ad pueros vel ad populum cum animi fructu esse dicturum, nisi multa commentatione paratum atque expeditum. Falluntur sane qui plebis imperitia ac tarditate fisi, hac in re negligentius agere se posse autumant. E contrario. quo quis rudiores nactus sit auditores, eo maiore studio ac diligentia utatur oportet, ut sublimissimas veritates, adeo a vulgari intelligentia remotas, ad obtusiorem imperitorum aciem accommodent, quibus aeque ac sapientibus, ad aeternam beatitatem adipiscendam sunt necessariae ».

1240. **Pravi libri et magistri circa illos** (*Vol. II. n. 69. 810, Vol. IV n. 313 et Vol. V n. 1140*).

Pro praxi addendum quod in Const. *Officiorum* adest sequens prohibitio : « Libri, qui res lascivas seu obscoenas « ex professo tractant, narrant, aut docent, cum non so- « lum fidei sed et morum (qui ex huiusmodi librorum « lectione facile corrumpi solent) ratio habenda sit, omnino « prohibentur. — Libri auctorum sive antiquorum sive « recentiorum, quos classicos vocant, si hac ipsa turpitu- « dinis labe infecti sunt, propter sermonis elegantiam et « proprietatem, iis tantum permittuntur, quos officii aut « magisterii ratio excusat : nulla tamen ratione pueris « vel adolescentibus, nisi solerti cura expurgati, tradendi « aut perlegendi erunt ».

Quidam modernus magni nominis theologus dicit, professorem in catholica universitate posse huiusmodi libros

nedum legere in schola sed etiam subinde tradere discipulis, ut bonum stylum addiscant, maxime vero ne Universitas ipsa minus existimetur minoremque concursum habeat, eo quod libri ipsi in aliis Universitatibus et non in illa legantur.

Sed doctrina ista (ut rectissime dicit *Monitore XVI 328*) probari nequit; est enim manifeste et in terminis contra Pontificiam Constitutionem; nec valent duae rationes adductae. Non prima; casus enim libri moderni, qui possit proponi tamquam exemplar pro stylo, simulque sit obscoenus ex professo, non est practicus; et, si contingeret, nonne semper adessent alii libri optimo stylo scripti et non obscoeni? Nunquid autem sine ulla necessitate et propter utilitatem adeo minusculam licebit exponere iuventutem malo adeo magno, quod ex obscoenorum librorum lectione provenit? Nec pariter valet secunda ratio, procurandi scilicet existimationem Universitati; sic enim existimatio non iam procuraretur, sed deperderetur.

1241. **Probabilismus** (*Vol. V n. 323*).

Circa rectum usum opinionis probabilis, recolenda sunt dicta in *Vol. I* (*n. 511 et seqq.*).

1242. **Reconciliatio ecclesiae pollutae** (*Vol. IV n. 457*).

Quae ibi dicuntur circa reconciliationem ecclesiae pollutae simpliciter benedictae, confirmantur decreto *9 Iul. 1904* apud Acta (*Vol. XXXII pag. 117*), ubi Redactor in nota dicit: « Hodierna S. C. decisio omnem dubitationem « hac in re adimit, ac proinde simplex sacerdos obtinere « *tenetur* Episcopi licentiam pro *licita* Ecclesiae *benedi-* « *ctae* reconciliatione; excepto tamen casu in quo tempus « eidem non suppetat et gravis urgeret necessitas ».

1243. **Studia biblica** (*Vol. IV n. 590*).

Imprimis firmissima tenenda sunt quae ab Ecclesia circa librorum sacrorum inspirationem, infallibilem in omnibus veritatem, atque eorundem interpretationem, iam definita fuerunt. Documenta sunt praecipue sequentia.

1244. Quoad **inspirationem et veritatem.** Concilium Vaticanum (*Sess. III Cap.* II), post Florentinum et Tridentinum, dixit: *Si quis Sacrae Scripturae libros integros cum omnibus suis partibus, prout illos Sancta*

Tridentina Synodus recensuit, pro sacris et canonicis non susceperit ; aut eos divinitus inspiratos esse negaverit, anathema sit.

Idque prius explicavit et determinavit inquiens : *Eos vero (libros) Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati ; nec ideo dumtaxat quod revelationem sine errore contineant; sed propterea quod* ***Spiritu Sancto inspirante conscripti, Deum habent auctorem.***

1245. Leo XIII, in encyclica *Providentissimus Deus,* allatis his verbis Concilii Vaticani, subiunxit : *Quare nihil admodum refert, Spiritum Sanctum assumpsisse homines tamquam instrumenta ad scribendum, quasi non quidem primario auctori, sed scriptoribus inspiratis quidpiam falsi elabi potuerit. Nam supernaturali ipse virtute ita eos ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, ut ea omnia eaque sola quae ipse iuberet, et recte mente conciperent, et fideliter conscribere vellent, et apte infallibili veritate exprimerent ; secus non ipse esset auctor sacrae Scripturae universae..... Consequitur ut qui in locis authenticis librorum sacrorum quidpiam falsi contineri posse existiment, ii profecto aut catholicam divinae inspirationis notionem pervertant, aut Deum ipsum erroris faciant auctorem. Atque adeo Patribus omnibus et Doctoribus persuasissimum fuit, divinas litteras, quales ab hagiographis editae sunt, ab omni omnino errore esse immunes, ut propterea non pauca illa, quae contrarii aliquid vel dissimile viderentur afferre (eademque fere sunt, quae nomine novae scientiae nunc obiiciunt) non subtiliter minus quam religiose componere inter se et conciliare studuerint; professi unanimes, libros eos et integros et per partes a divino aeque esse afflatu, Deumque ipsum per sacros auctores eloquium nihil admodum a veritate alienum ponere potuisse.* Et paullo ante dixit : *Fieri quidem potest, ut quaedam librariis in codicibus describendis minus recte exciderint ; quod considerate indicandum est, nec facile admittendum, nisi quibus locis rite sit demonstratum. Fieri etiam potest, ut germana alicuius loci sententia permaneat anceps : cui enodandae multum afferent optimae interpretandi regulae : at nefas omnino fuerit aut inspirationem aliquam tantum sacrae Scripturae partem coangustare, aut concedere sacrum ipsum errasse auctorem. Nec enim toleranda est eorum ratio, qui ex his difficultatibus se expediunt, id nimirum dicere non dubitantes, inspirationem divinam ad res fidei morumque, nihil praeterea pertinere, eo quod falso arbitrentur, de veritate sententiarum quum agitur, non adeo exquirendum quaenam dixerit Deus, ut non magis perpendatur quam ob causam ea dixerit. Etenim libri omnes, atque integri, quos Ecclesia tamquam sacros et canonicos recipit, cum omnibus suis partibus, Spiritu Sancto dictante, conscripti sunt ; tantum vero abest ut divinae inspirationi error ullus subesse possit, ut ea per se ipsa non modo errorem excludat omnem, sed tam necessario excludat et respuat, quam necessarium est, Deum summam veritatem nullius omnino erroris auctorem esse. Haec est antiqua et constans fides Ecclesiae, solemni etiam sententia in Conciliis definita Florentino et Tridentino, confirmata denique atque expressius declarata in Concilio Vaticano* (ut supra).

1246. Commissio biblica (cui, ut omnes norunt, Sacrorum Bibliorum cura et tutela a S. Sede commissa est) ad normam directivam habendam pro studiosis Sacrae Scripturae, interrogata fuit : « Utrum ad enodandas « difficultates, quae occurrunt in nonnullis Sacrae Scripturae textibus, qui « facta historica referre videntur, liceat exegetae catholico asserere, agi « in his de citatione tacita vel implicita documenti ab auctore non inspirato

« conscripti, cuius adserta omnia auctor inspiratus minime adprobare aut « sua facere intendit, quaeque adeo ab errore immunia haberi non pos- « sunt? » Responsio fuit : *Negative, excepto casu, in quo, salvis sensu et indicio Ecclesiae, solidis argumentis probetur:* 1° *Hagiographum alterius dicta vel documenta revera citare, et* 2° *Eadem nec probare nec sua facere, ita ut iure censeatur non proprio nomine loqui.*

Die autem *13 Febr. anni 1905* Sanctissimus responsum approbavit atque publici iuris fieri mandavit. Ita apud *Consulente ecclesiastico, Maggio 1905.*

1247. Circa autem Sacrae Scripturae **interpretationem**, Concilium Vaticanum (*Cap. II De Revelatione*) sequentia habet : *Quoniam vero quae Sancta Tridentina Synodus de interpretatione Divinae Scripturae ad coercenda petulantia ingenia salubriter decrevit, a quibusdam hominibus prave exponuntur, Nos, idem decretum renovantes, hanc illius mentem esse declaramus, ut in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, is pro vero sensu sacrae Scripturae habendus sit, quem tenuit et tenet sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari.*

1248. Nota differentiam inter inspirationem et interpretationem; dum enim inspiratio extenditur ad omnia, decretum circa interpretationem ad res fidei et morum restringitur.

Sed hoc intelligi debet solum pro casu, in quo, de rebus minime pertinentibus ad fidem et mores in sacra Scriptura indicatis, antiquitus a Doctoribus datae fuissent interpretationes illorum temporum scientiis, non vero veritati postea cognitae, conformes ; praescindendo enim ab hoc casu, utique interpretationi communi a Patribus et Doctoribus datae standum est. Hinc circa res historicas sequens adest recentissimum Commissionis Biblicae responsum.

De narrationibus specietenus tantum historicis in S. Scripturae libris qui pro historicis habentur. — Proposito sequenti dubio Consilium Pontificium pro studiis de re Biblica provehendis respondendum censuit — prout sequitur : *Utrum admitti possit, tamquam principium rectae exegeseos sententia quae tenet, S. Scripturae libros, qui pro historicis habentur, sive totaliter, sive ex parte, non historiam proprie dictam, et obiective veram quandoque narrare, sed speciem tantum historiae praeseferre ad aliquid significandam a propria litterali, seu historica significatione alienum?*

Resp. *Negative, excepto tamen casu non facile, nec temere admittendo, in quo Ecclesiae sensu non refragante, eiusque salvo indicio, solidis argumentis probetur, hagiographum voluisse non veram, et proprie dictam historiam tradere, sed sub specie et forma historiae, parabolam, allegoriam, vel sensum aliquem a propria litterali, seu historica significatione remotum proponere.*

Die autem *23 Iunii 1905* in audientia ambobus Rev.mis Consultoribus ab actis benigne concessa, Sanctissimus praedictum responsum ratum habuit, et publici iuris fieri mandavit. (*Civiltà Cattolica - Fasc. 1323 pag. 352*).

1249. Attentis itaque documentis istis, sequentia summatim tamquam firmissima teneri debent.

I. Inspiratio divina non restringitur ad illa quae ad religionem et mores ; sed extenditur ad omnes et singu-

las sacrae scripturae partes ; et proinde extenditur etiam ad facta historica, utique plurima, quae in illa narrantur, et quorum veritas (ad differentiam aliarum veterum historiarum) non vulgaribus tunc vigentibus traditionibus aliisque humanis documentis, sed Dei ipsius testimonio innititur.

II. Sicut autem sacra Scriptura est inspirata in toto, et Deum auctorem habet in toto, et est verbum Dei in toto ; ita est vera in toto, nullaque (ne minima quidem) falsitas in illa adesse potest. Contrarium asserere maxime Deo iniuriosum, et magna blasphemia esset.

Non tamen oportet ut omnia et singula sacrae Scripturae dicta sint vera litteraliter ; sed non pauca in sensu metaphorico, et plurima in sensu mistico intelligi debent.

III. Potest admitti quod inspiratio non fuerit ad modum dictatus materialis et de verbo ad verbum, et quod proinde Deus permiserit scriptori sacro ut suo proprio loquendi modo uteretur ad instar nuntii ; sed ita ut Deus ipse pro expressione sensus, et pro locutionis aequivalentia, illum semper assisterit atque probaverit. Hoc autem (ut patet) nihil obstat quominus Scriptura sacra sit divinitus inspirata in toto, nihilque falsi continere possit.

IV. Ex unico itaque capite aliquid falsi adesse poterit, nempe propter errores amanuensium, et traductorum. Quod tamen in casu particulari error de facto intervenerit, nequit admitti nisi solide probetur.

V. Quoad res physicas et historicas (nisi cum religione strictam connexionem habeant, prout essent miracula quae in Scriptura narrantur) magna differentia fieri debet inter casum, in quo propositionis vel narrationis sensus sit omnino clarus, et casum in quo sit obscurus vel ambiguus. In primo enim casu, de propositionis vel narrationis ipsius veritate non esset ambigendum ; idque propter divinae inspirationis infallibilitatem, quia scilicet Deus ipse res ita se habere clare et manifeste dixisset. In secundo casu autem, quoad interpretationem sensus, non est necesse ut stetur cum Sanctis Patribus (sicut fieri deberet, si de rebus ad religionem et mores pertinentibus ageretur), sed cum monumentis quae postea reperta fuissent, vel utcumque

cum progressione scientiarum, (solido et iam satis explorato subsistente fundamento) standum esset.

VI. Si studiosi his principiis inhaereant et has regulas observent; tunc absque ullo errandi periculo tutissimi procedent, et valde utiles esse poterunt. Ut enim dixit Leo XIII in citata Encyclica: *Privato cuique doctori magnus patet campus, in quo, tutis vestigiis sua interpretandi industria praeclare certet, Ecclesiaeque utiliter. In locis quidem divinae Scripturae, qui expositionem certam et definitam adhuc desiderant, effici ita potest, ex suavi Dei providentis consilio, ut, quasi praeparato studio, iudicium Eccclesiae maturetur; in locis vero iam definitis potest privatus doctor aeque prodesse, si ea vel enucleatius apud fidelium plebem et ingeniosius apud doctos edisserat, vel insignius evincat ab adversariis.*

VII. Si e contra praedicta principia non observarentur, tunc, ut ex facto nimis patet, magna mala sequerentur.

Imprimis nedum malum sed ruina immensa provenit ab illis qui ad novam (quam dicunt latam) scholam pertinent. Iuxta ipsos sacra Scriptura ad collectionem antiquorum dicteriorum maxima ex parte reduceretur; narraret miracula quae non subsistunt; et infinitis erroribus atque falsitatibus scateret. Principia huiusmodi typis imprimuntur, et longe lateque divulgantur; clerus infectus evadit; fides ammittitur; propugnacula validiora inimicis ceduntur; et sic undequaque mala gravissima proveniunt.

Sed aliquod malum provenit etiam ab illis, qui in excessum oppositum cadunt; et dum cum progressione scientiarum interpretationes antiquae iam evidenter nequeunt amplius componi, in illis adhuc firmi remanere volunt. Exemplum esset si in cosmogonia Mosaica non tamquam epochae sed tamquam dies naturales vigintiquatuor horarum intelligi vellent dies in Genesi memorati, de quibus ipse S. Augustinus (*De genes. ad litt.*) dixit: *Qui dies cuiusmodi sint, aut perdifficile nobis aut etiam impossibile est cogitare, quanto magis dicere.*

De necessitate ab hoc extremo cavendi locutus fuit Leo XIII (in encycl. cit.), ubi dixit: *Quod vero defen-*

sio Scripturae sanctae agenda strenue est, non ex eo omnes aeque sententiae tuendae sunt, quas singuli Patres, aut qui deinceps interpretes in eadem declaranda addiderint: qui prout erant opiniones aetatis, in locis edisserendis ubi physica aguntur, fortasse non ita semper iudicaverunt ex veritate, ut quaedam posuerint quae hodie minus probentur. Quocirca studiose dignoscendum in illorum interpretationibus, quaenam reapse tradunt tamquam spectantia ad fidem aut cum ea maxime copulata, quaenam unanimi tradant consensu; namque in his quae de necessitate fidei non sunt, licuit Sanctis diversimode opinari, sicut et nobis, ut est D. Thomae sententia.

Quantum autem mali ex non servando hoc praecepto provenire possit, declarat ipse Pontifex adducendo sequentia D. Thomae verba: *Mihi videtur tutius esse, huiusmodi quae philosophi communiter senserunt, et nostrae fidei non repugnant, nec sic esse asserenda ut dogmata fidei...; nec sic esse neganda tamquam fidei contraria,* ***ne sapientibus huius mundi occasio contemnendi doctrinam fidei praebeatur.***

VIII. Sedulo advertendum quod ut quis de rebus biblicis, maxime in punctis salebrosis et periculosis, cum vera utilitate agere possit, oportet omnino ut sit idoneus (it. *competente*); secus enim non iam utilitas, sed ruina, quam supra indicavi, certo certius subsecutura esset, ut heu nimis ex facto patet. Ut autem vere sit idoneus, sequentibus dotibus praeditus esse debet.

Oportet 1° Ut bene cognoscat Sacram Scripturam, tum in se, tum quoad modum illam interpretandi; unde oportet etiam ut (iuxta circumstantias) cognoscat non solum vulgatam sed etiam alios textus v. g. hebraicum, graecum etc.; item regulas hermeneuticae; item SS. Patrum aliorumque doctorum interpretationes; item sacram theologiam, ne interpretatio ab ullo dogmate catholico dissonet. Leo XIII (*Encycl. cit.*) dixit: « *Necesse est eas linguas cognitas habere, quibus libri canonici sunt primitus ab hagiographis exarati.... Hac etiam laude floreat oportet, ut sacram theologiam egregie teneat, atque in commentariis versatus sit SS. Patrum doctorumque et interpretum optimorum.*

Oportet 2° ut, si agatur de componenda S. Scriptura cum progressione scientiarum vel cum documentis historicis noviter repertis, has ipsas scientias vel haec ipsa documenta bene cognoscat. Ut enim notat idem sapientissimus Pontifex, in odium Religionis multa perscrutantur, *eo solo*

consilio ut erroris labes in sacris libris deprehendatur, ex quo illorum auctoritas usquequaque infirmetur et nutet. Et paullo antea dixerat : *Quamquam ea, quae speculatores naturae certis argumentis certa iam esse affirmarint, interpres ostendere debet nihil Scripturis recte explicatis obsistere, ipsum tamen ne fugiat, factum quandoque esse, ut certa quaedam ab illis tradita, postea in dubitationem adducta sint et repudiata.* Auctor enim Sacrae Scripturae est etiam auctor naturae, et contradictiones nonnisi in specie tantummodo esse vel ab hominum deceptionibus provenire possunt ; unde si res in suo vero loco collocentur et in suis veris terminis cognoscantur, iam contradictio quaelibet evanescet, veritas enim veritati contradicere nequit.

Oportet 3° ut rerum biblicarum studiosus sit cautus. Infinita hodie est multitudo librorum atque ephemeridum, de quibus (eo quod praedictae scholae latae doctrinis plus vel minus sint infecti) nullatenus est fidendum.

Qui eosdem libros composuerunt vel in his ephemeridibus scribunt, facile habentur ut docti (et quidem agendo de re adeo momentosa deberent esse doctissimi), sed ordinarie sunt superficiales admodum, et fere ad hoc solum valent, ut aliorum errores tamquam veritates congerant et verborum speciositate incautis illudant. Item facile habentur ut catholici et amici Religionis ; sed doctrinas Protestantium et rationalistarum de facto disseminant, et vanitate inflati atque superbia ducti non bonum Religionis sed seipsos quaerunt. Multi sunt, ut dixi, sed haec ipsa multitudo illusionem inducit, nimia enim est hodie facilitas per typos in lucem edendi quidquid. Maxima itaque exigitur cautela non solum propter periculum errandi ; sed etiam (imo praecipue) quia non agitur de interpretando Dante aut alio libro quolibet, sed de Sacra Scriptura.

1250. **Studia historica et critica** (*Vol. IV 590*).

Quoad *historiam*, regulae generales sunt duae, nempe 1° falsa non dicere ; 2° vera non tacere; neque ex favore neque ex odio ab his regulis declinare. Vide Leonis XIII Epistolam *18 Augusti 1883* (apud Acta *XVI pag. 49*).

Critica est censura seu correctio operum aut dictorum alterius ; sed hic accipitur pro examine applicato sive historiae sive factis quae in libris narrantur ; et, si examen istud excessive exigeretur, tunc *Hypercritica* locum haberet.

1251. Hypercritica, etsi aliquando parum praeiudicet, ordinarie nostris temporibus Religioni magnum damnum infert ; et proinde sedulo notanda sunt sequentia.

I. Ad Religionem pertinent facta plurima, imo innumerabilia, de quibus, propter antiquitatem et defectum monumentorum (quae sint omni exceptione maiora), impossibile est probare directe (et modo ineluctabili) quod reapse acciderint, vel quod circumstantiae cum quibus exponi solent, verae sint ; imo certissimum est quod narrationes

plus vel minus (et aliquando etiam totaliter) fictitiae (it. *leggende*) plurimae sunt; neque desunt casus in quibus picturae et sculpturae sacrae in illis, et non in historiis veridicis, fundantur.

II. Facta ad Religionem pertinentia reduci possunt ad duas classes.

Prima classis comprehendit illa, quae iam sunt notissima populo, cui a parochis et concionatoribus iam longo ab hinc tempore narrata fuerunt, semperque narrantur. Huiusmodi sunt non solum quae iam sunt infallibiliter vera et ex cathedra definita, v. g. quod talis vel talis Sanctus solemniter canonizatus sit vere Sanctus (Cf. Franzelin *De divina trad. th. XII sch. I*); sed etiam alia, quae tali certitudine infallibili minime gaudent. Exemplum habes in factis ab Ecclesia recognitis sive pro sola beatificatione, sive pro quibusdam Sanctuariis vel reliquiis insignibus (v. g. alma domo lauretana, cunis Divini Infantis in Sancta Maria Maiori, sacra sindone, schala sancta etc.). Item exemplum habes in illis miraculis, quae semper tamquam certissima populo tradita fuerunt.

Secunda classis comprehendit facta, quae parum sunt populo nota, cuiusmodi sunt plurima quae in libris reperiuntur, vel etiam aliquando a concionatoribus narrantur.

III. Quoad facta huius secundae classis, studia critica (dummodo adhibeatur prudentia loquendo cum rudibus) ordinarie non iam nocere sed prodesse poterunt, speciatim ut, si ipsa facta reperta fuerint sine fundamento, nec in libris publicentur nec in concionibus narrentur; falsa enim veris fidem adimunt et Religioni plurimum praeiudicant; unde Tridentinum in decreto de Purgatorio (*Sess. XXV*) dicit: « Incerta item vel quae specie falsi laborant, evulgari « vel tractari non permittant (Episcopi) ». Idque verum est maxime diebus nostris et praecipue si de rebus quoque prorsus inverisimilibus et ridiculis ageretur; nec attendendum esset si etiam apud auctores optimi nominis (v. g. P. Segneri) invenirentur.

IV. Sed, quoad facta ad primam classem pertinentia, magna distinctio fieri debet inter casum in quo studia critica fierent ex solo fine inveniendi atque adhibendi

confirmationes, et casum in quo fierent absque intentione ista.

In primo casu nihil mali et bonum tantummodo aderit; sed in secundo ordinarie (1) mala magna proventura essent. Exemplo rem declaro et dico: Quid si, dum Ecclesia quoad sacram domum lauretanam bullis pontificiis solemnissime approbavit illius cultum, dum pro Orbe fere toto eiusdem miraculosae translationis festum concessit, dum peregrinationes promovet, dum innumeras applicat indulgentias etc.; quid (inquam) si, dum Ecclesia ita se gerit, scriptores catholici, illam Beatissimae Virginis domum minime esse affirmarent; translationemque nunquam accidisse dicerent, eamque verbis ridiculis publicae derisioni exponerent? Ita aliqui faciunt revera; sed quaenam sunt consequentiae? Fideles quammaxime scandalizantur, atque credendo se fuisse ab Ecclesia deceptos, iam Ecclesiae ipsius existimationem amittunt, et, rem cum re confundendo, in iis etiam quae sunt de fide dubia concipiunt, et sic fidei ipsius iacturam faciunt. Dixi *rem cum re confundendo;* quamvis enim translatio ista ad divinam revelationem minime pertineat, neque fuerit infallibiliter definita, et quamvis cultus non sit absolutus sed relativus, tamen fideles (ut plurimum his in rebus ignorantes) distinctiones et reflexiones istas non faciunt, et potius deducunt quod, si veritas non est in una re, potest quoque non esse in aliis, et sic (ut dixi) fidem amittunt. Adde quod Hypercritici adducunt illas ipsas obiectiones, quas Ecclesiae exprobrant protestantes et increduli, quibus ideo, cum semper maiori Ecclesiae ipsius damno, robur addunt, existimationem conciliant, eosque animosiores reddunt.

V. Dices 1° Quomodo possibile est quod Ecclesia approbare et sustinere velit ea quae sunt vel possunt esse falsa, quandoquidem Deo veritas tantummodo placere po-

(1) Dico *ordinarie:* aliud enim esset si in casu aliquo raro magna cautela adhiberetur ne scandalum ullum sequi posset; ut puta, si quis non iam per typos (et maxime non utendo lingua latina) quidquam publicaret, sed in aliqua re valde momentosa reflexiones suas Episcopo vel S. Sedi exponeret.

test? 2º Nonne haereticorum atque rationalistarum conversioni hic esset obex perpetuus?

Resp. ad I.um Quia sola veritas Deo placere potest, Ecclesia nunquam approbat ea quae sint et ipsa cognoscat esse certe falsa, atque insuper cautelas moraliter possibiles rerumque gravitati proportionatas adhibet, ne quidquam falsi in rebus religiosis (v. g. in sacris concionibus, et in cultu) immisceatur.

Dixi Ecclesiam adhibere cautelas *moraliter possibiles;* non enim semper et in omnibus illam veritatis certitudinem absolutam exigit, quae in dogmatibus Fidei, vel in rebus ex cathedra infallibiliter definitis, exigitur; sed plurima etiam approbat quae solum certitudine morali lata vel solum probabiliter vera sunt; imo interdum tolerat aliqua quae iam satis certe fundamento solido carent, sed innoxie pieque creduntur. Ita autem se gerit Ecclesia quia in rebus plurimis ex una parte absolutam certitudinem habere (ut supra innui) impossibile est, et ex alia si haec omnia prohiberentur, mala longe maiora in Religionis atque animarum damnum sequerentur.

Resp. ad II.um Quum pro Religionis atque animarum bono haec Ecclesiae agendi ratio expediat imo prorsus sit necessaria, profecto attendi non debet ad timorem ne haeretici et increduli scandalizentur atque a conversione retrahantur, huiusmodi enim scandalum quammaxime pharisaicum foret; et aliunde quomodocumque Ecclesia se gereret nunquam converterentur.

1252. **Studia profana a Clero non prorsus negligenda** (*Vol. IV n. 590*).

Equidem sacerdotes debent imprimis attendere ad studia sacra et maxime ad illa quae ad proprium officium (v. g. parochi, confessarii, concionatoris etc.) stricte referuntur; sed bonum religionis exigere potest ut plures in scientiis quoque profanis non sint ieiuni, imo in quibusdam punctis optime sint instructi.

SS.mus D. N. Pius X, in litteris ad Rectorem Catholici Instituti Parisiensis, de studiis sacris et profanis recte excolendis (*Apud Acta Vol. XXXVII pag. 555*) haec habet.

« Hodie.... oportere sacerdotes esse non solum a Theo-

logia bene instructos, sed etiam a philosophia, a iure, a cognitione naturae, a litteris. Usitatum quippe est ac prope quotidianum, apud homines opinione potius quam re doctos, tela adversus Fidem undique in officina scientiae conquirere...

« (Professores) sanctissima sapientiae veteris principia in tuto collocent; hoc primum: deinde, progredientis eruditionis ratione habita, quidquid veri est recentiorum sollertia repertum, minime negligant. Enimvero has migrare et non servare leges multi consueverunt, neque ex eis tantummodo qui catholicae professioni adversantur, sed quicumque praeterea traditionem magisteriumque Ecclesiae non tanti a se fieri ostendunt, quanti debent; quique illud videntur sine ulla exceptione probare velle, quod dici solet: *cras, quod hodie falsum, habebitur verum.* Hinc illa pervulgata ratio submovendi vetera, obtrudendi nova, nullam fere ob aliam causam, nisi novitatis: tamquam doctrinae summa in fastidio quodam vetustatis ponenda sit ».

1253. **Unio apostolica sacerdotum saecularium** (*Vol. IV n. 588*).

De societate ista nostris temporibus quammaxime necessaria, quae in omnibus Dioecesibus esse deberet, per summa capita, in Brevi SS.mi D. N. Pii X (cui adeo cordi est) relato *l. c.*, intelligitur in quo consistat; sed eiusdem statutum enucleatius exponitur apud *Monitore* in fasciculo *31 Augusti anni 1905*, nempe *Vol. XVII pag. 258.*

INDEX ALPHABETICUS

N. B. Numerus romanus volumen, arabicus paragraphum indicat.

A

Abortus - II. 667 - Excommunicatio propter abortum V. 1180.

Abrogatio legis I. 35.

Absentia in sensu iuris civilis III. 1202.

Absolutio danda, differenda, deneganda V. 376. 409 - Per litteras, telegraphum, telephonum V. 435 - A censuris V. 1144 - Complicis V. 1153.

Abstinentia a carnibus II. 283. IV. 1 et seqq.

Accedia - II. 1058.

Acceptatio legis I. 95.

Accessio - Modus acquirendi dominium III. 114.

Actor in causa civili IV. 205. 209.

Actus heroicus in charitate II. 107.

Actus humanus - I. 353 et seqq. - Voluntarius 345 - Elicitus et imperatus 346 - Bonus, malus, indifferens 465 - An actus externus moralitati obnoxius sit 485. 575.

Adamantes circa visitationes V. 404.

Adhaerens quoad censuras V. 1113.

Adiuratio - II. 460.

Administratores locorum piorum II. 147 - III. 407 - Rerum alienarum III. 150 et seqq. - Facultates administratorum IV. 285 - Non licet clericis laicorum administrationes tenere IV. 660.

Adoptio - III. 1201.

Adoratio - Definitio II. 313.

Adulterium - II. 814 - III. 391. 387. 388.

Advocatus in iudicio II. 1012 - IV. 223. 283 - Non licet clericis hoc officium in foro saeculari IV. 663.

Aeditui (it. *fabbricieri*) IV. 728.

Aequiprobabilismus - I. 514.

Aetas - Impedimentum matrimonii V. 871.

Affinitas - III. 1200 - V. 915 - Gradus affinitatis V. 919.

Affrancatio - III. 862. 883.

Aggressor iniustus - II. 639.

Agricolae - Quoad sanctificationem festorum II. 571.

Alienatio bonorum Ecclesiae (excommunicatio) IV. 1185 et seqq.

Alluvio - III. 114.

Alphonsus (S.), approbationes S. Sedis. Illius systema moralis I. 514.

Altare - IV. 401.

Amentes - III. 155 - IV. 6.

Amor Dei - II. 83 - Filialis et servilis II. 85 - Proximi II. 96.

Amor parentum - II. 624.

Amplexus - An sint liciti II. 798.

Apostata - III. 1412 - V. 1145.

Apostolicae Sedis Constitutio circa censuras V. 179. 1144.

Apparitor (usciere) - IV. 250.

Arbiter - IV. 259.

Arborum caesio in fundis beneficialibus V. 1212.
Aspectas impudici - I. 800.
Assecuratio - III. 941 - V. 915.
Associatio cadaverum IV. 434.
Attritio - V. 11.
Auctarium in mutuo - III. 683.
Auctores probati, laxistae, rigoristae I. pag. VIII. IX. XIII.
Auxilium ferens quoad censuras V. 1113.
Avaritia - II. 1030 - In parochis, sacerdotibus et episcopis II. 1032.

B

Baptismus - II. 247 - IV. 859 - Materia IV. 862 - Forma IV. 871 - Minister IV. 879 - Subiectus IV. 883. 896 - Ritus IV. 901.
Baptisterium - IV. 421.
Barbitonsores - II. 575. 616.
Bellum - II. 687. 694.
Benedictio - In articulo mortis IV. 425 - Nuptialis IV. 426 - V. 1000.
Beneficentia - II. 154.
Beneficiatus - II. 141 - III. 194 - IV. 328. 555 - Obligationes illius IV. 733.
Beneficium - III. 401 - In ordinatione V. 755 - Privatio beneficiorum V. 1124.
Benevolentia - III. 129.
Bestialitas - II. 718. 816.
Binatio Missae - IV. 568. 580. 586.
Blasphemia - II. 443.
Bona Ecclesiae usurpata ementes etc. (excommunicatio) V. 1170.
Bona ecclesiastica II. 254 - III. 1451 - Fortunae II. 648 - Filiorum III. pag. 78 - Uxorum III. 166. 183. 843 - Clericorum III. 184 - Religiosorum III. pag. 106-223 - Communia et indivisa III. 785.
Bona fides - In haeresi II. 22 - In dubiis circa fidem II. 33 - Circa praescriptionem III. 92.
Breviarium - IV. 351.
Bursa - III. 933.

C

Cadaver - De cad. crematione IV. 429 - Si esset cadaver haeretici II. 245.
Caeci-nati - Quoad dominium III. 165 - In contractibus III. 510 - Circa testamentum III. 1233. 1243.
Calumnia - III. 465 - Reparatio propter calumniam III. 488.
Cambium - III. 672.
Campana - Sonitus in templo haeretico II. 224.
Canonicus - IV. 287. 587. 776.
Canonis privilegium II. 412.
Cantus - Cantus firmus III. 405 - Mulieres an possint aliquando canere in ecclesia IV. 416 - Motus Proprius S. S. Pii X circa musicam sacram IV. 417.
Capellania - III. 217.
Carcere detenti - Quo loco matrimonium contrahere possint V. 973.
Carnes - Diebus vetitis II. 71 - IV. 1. 6. 7. 11 - Milites, viatores, invitati, carnes vetitas an comedere possint IV. 12.
Castitas - II. 508 - An mulier se exponere debeat morti ad salvandam castitatem II. 725 - In clericis IV. 681.
Castrare - An liceat II. 636.
Causae - Pro dispensatione a votis II. 550 - Vide *Dispensatio* - Excusantes a sanctificatione festorum II. 566 - Ab auditione missae II. 612 - A suicidio II. 632.
Censura - V. 1085 - Auctor censurae V. 1087 - Quis infligere potest censuram Regularibus V. 1092 - Subiectus censurae V. 1094 - Requisita ut peccatum subiiciatur censurae V. 1101 - Effectus censurarum V. 1110 - Absolutio a censuris V. 1114.
Censurae particulares - V. 1144.
Census - III. 849 - Extinctio census per praescriptionem III. 879 - Regulae ne census pereant III. 893.

Cessatio a divinis - V. 1143.
Cessatio legis I. 310 - Dispensationis 300.
Charitas - II. 81 - An possit esse causa excusans a furto III. 240. 487.
Chirurgi - Obligationes IV. 289. 291.
Choreae - II. 810 - Interdicuntur clericis IV. 675.
Circumstantiae declarandae in confessione V. 48. 128 - Quaenam in actibus humanis sint principales I. 471.
Clandestinitas - Impedimentum matrimonii V. 950.
Clausura quoad moniales IV. 691 - Excommunicatio V. 1162. 1163.
Clericus - Circa bona patrimonialia III. 185 - De testamento a clericis faciendo III. 1423 - De habitu clericali IV. 324 - Res clericis praeceptae IV. 131 - Quoad episcopum IV. 610 - Quoad mulieres IV. 632 -Quoad ancillam III. 636 - De voto castitatis in clerico IV. 681 - De obedientia IV. 682 - De educatione clericorum II. 1071.
Coactio - quoad corpus et quoad voluntatem I. 418. 425.
Coelibatus - IV. 681.
Coemeterium quot modis possit profanari II. 408 - Propter pollutionem cessat esse sacrum IV. 430.
Cogere ad matrimonium vel ad ingrediendum monasterium V. 1220. 1221.
Cogitationes turpes et periculosae II. 811.
Cognatio legalis - V. 936.
Cognatio spiritualis - II. 833 - V. 935.
Collectae - II. 153 - Collectae in Missa V. 1227.
Colonia partiaria III. 763 et seqq.
Colonus - Quoad compensationem III. 79 - Quoad furta III. pag. 131 - Quoad dependentiam a domino fundi III. 769.
Commissionarius - III. 663.
Commodatum - III. 1110 - Differentia inter commodatum et precarium III. 1122.
Communicatio cum haereticis II. 220.
Communio - Communio paschalis IV. 83 - In propria paroecia fieri debet IV. 97. 105 - De communione infirmorum IV. 1042.
Commutatio voti II. 552.
Comoediae - De componente comoedias turpes II. 290. 810.
Compensatio - III. 63 - Potest esse causa a furto excusans III. 240.
Complacentia in rebus venereis II. 774.
Complex - III. 352 - Iurisdictio sublata quoad complicem V. 255.
Compositores librorum haereticorum II. 273.
Concionator - II. 1070.
Concubina - II. 296. 726 - De successione quoad concubinam III. 1416.
Concubitus - II. 714 - Cum bellua aut daemone II. 717.
Concupiscentia - Quid sit et quotuplex I. 402. 403 - Relate ad voluntarium et reatum I. 404-410.
Concursus ad paroecias IV. 756 - Concursus ad urnas politicas in Italia V. 1229.
Conditio - In contractu IV. 520 - In testam. 1277. 1437 - In matrim. V. 1046 - Quatenus est imped. matrimonii V. 854.
Conferentiae morales et liturgicae IV. 593.
Confessarii quoad dispensationes I. 243 - Extraordinariissimi V. 1228.
Confessarius - II. 541 - Cum onanistis II. 847 - Circa sigillum II. 1005 - Luxuriosus II. 1038 - Iracundus II. 1040 - An quid teneatur si non admoneat de restitutione III 359 - De confessario monialium IV. 701 - Iurisdictio confessarii V. 143 - Obligatio confessarii audiendi confessiones V. 270 - Confessarius cum mulieribus devotulis V. 263 - Officia confessa-

rii V. 270 - Scientia V. 316 - Si inveniat poenitentem cum impedimento impotentiae V. 903.

Confessio - Annua IV. 82 - Locus et tempus pro confessionibus IV. 422 - Definitio V. 36 - De integritate confessionis V. 72. 439 - Interrogationes in confessione V. 277. 451 - Exhortationes V. 356 Confessio generalis, quasi-generalis, annualis V. 436 - Virorum V. 499 - Foeminarum V. 500 - Sacerdotum V. 502 - Venialium V. 504 - Puerorum V. 505 - Infirmorum V. 507.

Confirmationis sacramentum IV. 931 - Minister IV. 935 - Subiectus IV. 936.

Congregationes Romanae quoad leges I. 22 - Quoad legum declarationes 81 - Decreta 83.

Congrua - De erogatione superflui in congrua III. 215 - IV. 126. 119.

Coniuges - Quoad copulam II. 882 - Quoad donationes III. 1053 - Iura in successione intestata III. 1218. 1320 - Obligationes IV. 167.

Consanguinitas - III. 1192 - Linea et gradus consanguinitatis III. 1193 - V. 907 - Quibus in gradibus impedimentum parit V. 914.

Conscientia - Quid sit I. 486 - Actualis, habitualis, obligans, consulens, permittens, antecedens, subsequens, tranquilla, turbata, certa, incerta, dubia, suspicans, opinans, perplexa, recta, erronea, bona, timorata, meticulosa, delicata, mala, stricta, scrupulosa, laxa, pharisaica, cauteriata I. 488-495 - Conscientia certa certitudine metaphysica. physica, morali, perfecta, imperfecta, directa et indirecta I. 496 - An conscientia erronea possit esse certa I. 497 - Conscientia incerta inter duo mala I. 505 - Incerta inter licitum et illicitum 506.

Consensus - In delectatione venerea II. 747 - 754. 766 - Quoad matrimonium V. 1038.

Consiliarius - III. 332.

Consuetudo quae legem facit I. 47 - Contra legem I. 317.

Consulens ad delictum III. 334.

Consulens quoad censuras V. 1113.

Contractus - III. 33 - Minorum III. 162 - Definitio III. 505 - Error in contractibus III. 649.

Contumelia - II. 128 - III. 461.

Contritio - V. 5 - Differentia inter attritionem et contrit. V. 11.

Cooperatio - II. 203 - II. pag. 98 - Ad damnificationem III. 320 - Ad usuras III. 717 - In delicto III. 320 - De reparatione propter cooperationem III. 307. 320.

Copula - II. 862 - An liceat post operationem *Porro* II. 868 - Sodomitica II. 874. 876.

Correctio fraterna II. 156 - III. 494.

Craniotomia - An liceat ad evitandam mortem I. 675. 677 - An sacerdotibus liceat in his operationibus se immiscere II. 686.

Credibilitatis - Signa II. 5. 12. 14.

Crimen - Impedimentum matrimonii V. 942.

Cubiculum petitum ad malum finem II. 298.

Cultus - II. 267 - Latriae, duliae, hyperduliae II. 315 - Sanctorum I. 317 - II. 331.

Cultus disparitas - Impedimentum matrimonii V. 941.

Curatores - I. 147 - II. 151. 155 - Non possunt procedere ad transactiones III. 843.

Cursor - II. 267.

Custodes - Officium custodum IV. 296.

D

Daemon - Quoad violentiam quam inferre potest I. 452 et sqq. - Commercium cum daemone II. 334. 337.

Damnatio - II. 78.
Damnificatio - III. 305 et seqq.
Debita - Extinctio debitorum III. 1154.
Decalogus - II. 312.
Debitum coniugale - II. 562. 895 - Negatio potest esse legitima II. 929. 933 et seqq.
Decimae - III. 210 - Instructiones S. Sedis quoad decimas III. 213 - IV. 120 - Confessarius circa illos qui nolunt solvere decimas IV. 124.
Decreta et *declarationes* Sacrarum Congregationum I. 81.
Degradatio - V. 1139.
Delectatio venerea - II. 733 - Inter coniuges II. 850.
Delegatio - Pro confessionibus V. 172.
Delegatus ad universitatem causarum quoad dispensationes I. 236.
Delictum - De mandante et consulente ad delictum III. 331.
Delinquens - De refugio et protectione delinquentis - III. 351.
Denuntiatio ad Superiores II. 172 - Impedimentorum matrim. V. 1008.
Depositum - III. 1125 - Obligatio custodiendi depositum III. 1133.
Depositio - V. 1138.
Deputati - II. 266.
Derogatio legis I. 914.
Desperatio - II. 76.
Devotio - II. 328 et seqq.
Detractio - III. 460 - Gradus culpae in detractione III. 482 - De audiente detractionem III. 489.
Dispensatio - I. 203 - Ex facultate ordinaria 215 - Ex facultate delegata 216 - Facultas dispensandi in Pontifice 218 - In Episcopo 221 - A votis 224 - A iuramentis 225 - Quoad sacras ordinationes 227 - Circa matrimonium 228 - Circa leges pontificias 231 - Iure specialiter delegato 232 - Circa leges Concilii Provincialis 233 - In variis generalibus 235 - In Regularibus 237 - In parochis 238 - In confessariis 243 - Causae requisitae ut dispensatio sit licita et valida 244-276 - Dispensatio tacita 253 - Quoad obligationem dispensandi 277 - Quoad illius interpretationem 280 - Quoad subiectum 285 - Incola, peregrinus, vagus 286 - Subditus extra dioecesim 288. 289 - Inscius vel invitus 290 - Quoad obligationem petendi dispensationem 293. 295 - In casibus urgentibus, si dispensatio peti nequiret 296 - Dispensatio debita sed denegata 297 - Superior dispensans seipsum 298 - Cessatio dispensationis 300 - Revocatio 306 - Renuntiatio 309 - Dispensatio quoad vota II. 536. 548 - Quoad sanctificationem festorum II. 590 - Quoad impedimenta matrimonii V. 1018 - Causae iustae ad obtinendam dispensationem V. 1020 - De modo petendi dispensationem V. 1023 - Dispensatio in radice V. 1073.
Dispositiones piae - III. 222. 1436 et seqq.
Distillatio v. *Pollutio*.
Dives - Quoad eleemosynam II. 140.
Divinatio - II. 342.
Divortium - II. 251 - Quoad vinculum et quoad torum II. 901. 903. 916 - Divortium civile V. 1062.
Dolor in confessione V. 7.
Dolus in contractibus III. 515.
Domiciliati quoad leges I. 113 - Modus acquirendi domicilium V. 957 - Domicilium ad contrahendum matrimonium V. 967.
Dominium - III. 28 - Acquisitio dominii III. 62. 152 - Quoad personas particulares III. 154 - Quoad religiosos III. 223. 597.
Dominus - Quoad thesaurum inventum III. 53 - Quoad famulos et operarios III. 741 - IV. 181 - Quo-

- ad colonum III. 779
Domus - De locatione domi Protestantibus II. 242 - Quoad servitutes III. 147 - Casu quo incendio vel terraemotu destructa remanserit, si sit censita III. 874.
Donatio - III. 1039 - Revocabilis III. 1093.
Dotes - Uxorum III. 168.
Dubia circa fidem II. 27.
Dubium an excusat a culpa allisque legis effectibus I. 144 - In dubio de iustitia legis I. 46 - In dubio an adsit causa sufficiens ad dispensandum I. 247 - An dispensatio fuerit valida I. 276 - In dubio an usus indigeat dispensatione I. 294 - In dubio iuris I. 506 - Utrum unusquisque possit stare consilio sui confessarii? I. 524 - Quid si neminem consulere posset? I. 525 - An subditus stare tunc nedum possit sed debeat mandato sui Superioris I. 528 - In dubio facti I. 539 et sqq. - In dubio melior est conditio possidentis I. 548 - In dubio circa censuram V. 1106 - De dubiis contra fidem involuntariis II. 30 - Implicitis II. 37 - Dissertatio auctoris circa peccata dubia V. 85.
Duellum - II. 698 - Quoad sepulturam eccles. pro mortuis in duello III. 429 - Excommunicatio V. 1159.

E

Ebrietas - II. 1047.
Ecclesia - Circa ministros haereticos in ecclesiis catholicis II. 244 - Quoad profanationem II. 404 - Servitutes in ecclesia III. 147 - De restauratione procuranda a parocho IV. 402 - Quando est polluta seu violata IV. 452 - V. 1242 - Cubiculum supra ecclesiam IV. 464.
Effectus retroactivus in legibus I. 105.
Effectus secutus - I 575.
Electiones deputati II. 263 - Concursus ad electiones IV. 200.
Eleemosyna - II. 134 et seqq. - Eleemosynae missarum collectae ad quaestum V. 545. 1166 - Eleemosyna pro Missis binatis etc. V. 1230.
Emancipatio - In filio minore III. 157.
Emphyteusis - III. 780
Emptio-venditio - III. 595 - De re furtiva vili pretio empta III. 1007.
Episcopus - Obligationes IV. 745 - Munera cleri erga illum IV. 609 - De illo informando IV. 624 - De eius auctoritate sustinenda IV. 630 - Quoad ordinationes IV. 750 - In electione parochorum IV. 755 - Quoad dispensationes I. 221. 283. 286 - II. 539. 545 - Ab impedimentis matrimonii V. 1019 - Quoad censuras V. 1089. 1092 - Quoad leges I. 23 - Relate ad subditos degentes vel migrantes extra Dioecesim I. 288. 289 - Superbus II. 1025 - Avarus II. 1032.
Error - In voto II. 498 - In contractibus III. 516 - Impedimentum matrimonii V. 851.
Eucharistia - Rubricae circa hoc sacramentum IV. 396 v. *Communio* IV. 942 - Materia eucharistiae IV. 944 - Forma IV. 974 - Minister IV. 1024.
Eunuchus - V. 1231.
Evictio - III. 544.
Examen conscientiae V. 82.
Excommunicatio in genere V. 1117. - Quid sit V. 1117. - Excomm. particulares V. 1145.
Excommunicati - Quoad sepulturam IV. 429 - Quoad ingressum in ecclesiam IV. 462 - Contrahentes matrimonium sine praevia absolutione V. 1001.
Excusatio et exemptio I. 137-166.
Executor delicti III. 356 - Testamentarius III. 1324. 1327.
Exempti quoad leges I. 113. 158.
Expropriatio coacta - III. 121. 130.

F

Fabri ferrarii quoad sanctificationem festorum II. 574.

Fama - Reparatio famae proximi III. 485.

Famulus - In cooperatione peccatis heri sui II. 304 - III. 348 - Quoad Missam II. 615 - Compensationem III. 81 - Furta pag. 131 - III. 363 - Quoad eleemosynam II. 147 - Obligationes III. 739 - IV. 184. 180 - Qua in paroecia famuli matrimonium contrahere possint V. 971.

Favorem praebens, quoad censuras V. 1113.

Festa - Nationalia II. pag. 111 - Ecclesiastica II. 286 - Sanctificatio festorum II. 536 - IV. 281.

Fictio - II. 971.

Fideiussio - III. 555.

Fides - II 1. et seqq.

Filia - Quoad dotem occasione matrimonii III. 169 - III. 1208.

Filias-familias - Quoad eleemosynas II. 147 - Quoad parentes II. 621 - Bona filiorum III. pag. 78 - Quoad ludum III. 912 - Si furtum faciat in domo paterna III. 260 - Filii spurii quoad donationem a patre receptam III. 1055 - Naturales III. 1195 - Iura filiorum naturalium III. 1321. 1402 Quoad testamentum III. 1242. 1411 et seqq.

Finis operis, operantis; ultimus et intermedius; unicus et non unicus; bonus, malus, indifferens I. 478-484.

Foecundatio artificialis mulieris II. 891.

Foemina - A viro oppressa II. 725. 995 - Immodesta II. 803 - Gravida et lactans quoad abstinentiam a carnibus IV. 6 - De cohabitatione cum ecclesiasticis v. *Clericus*.

Fontes moralitatis - I. 467.

Fornicatio - Post sponsalia II. 817 - III. 378. 385.

Forum - Privilegium fori I. 412 - IV. 675.

Frater - Quoad compensationem III. 85 - Germanus, consanguineus, uterinus III. 1194.

Fuga in persecutione II. 70.

Functiones sacrae IV. 384.

Funus - Civile II. 252 - De funeribus IV. 431.

Furor popularis - II. 260.

Furtum - III. 238 - Furta minuta III. 263 - Differentia quoad speciem et numerum III. 274 - Quoad restitutionem III. 417.

G

Genitores - Quoad filios II. 1070 - v. *Parentes*.

Geomantia. II. 343.

Gratitudo - II. 1067.

Gradus - Regula ad dignoscendos gradus parentelae V. 911.

Gubernium - Complicitas in manutentione gubernii usurpati II. 269.

Gula - II. 1044.

H

Habitatio - III. 144.

Habitus - Relate ad voluntarium et reatum I. 412-417.

Haereditas - An vendi possit III. 626 III. 1254 - Renuntiatio et acceptatio haereditatis III. 1333 - Quoad divisionem haereditatis III. 1354.

Haeres - Quoad beneficiati defuncti superflua III. 207 - Usurarii III. 717 - III. 1245 - Quoad legata III. 1328 - Obligationes III. 1435 - Fiduciarius III. 1448.

Haereticus - Quoad excommunicationem V. 1145. - Quoad ius ad divortium propter coniugis haeresim II. 926 - Quoad sepulturam ecclesiasticam IV. 429.

Harmonium - Quoad usum in hebdom. maiori IV. 404.

Harra - III. 554.

Hasta - III. 650.

Homicidium - Quoad restitutionem III. 367.
Honor - De reparatione honoris II. 128.
Hydromantia - II. 343.
Hypnotismus - II. 337.
Hyperdulia - II. 315.
Hypotheca - III. 569 - Necessitas ut fundus censitus hypothecae subiiciatur III. 859.
Hysterismus - I. 460.

I

Idiotismus - I. 461.
Idololatria - II. 333.
Idoneitas ad aliquod officium acceptandum IV. 266.
Ieiunium - Violatio ieiunii II. 283 - Ecclesiasticum IV. 17. 32 - Personae quae excusantur IV. 56 - Ieiunium naturale, necessarium in communione et celebratione missae IV. 474.
Ignorantia - I. 139 - II. 13 - Iuris, facti, poenae I. 385 - Invincibilis I. 387 - Concomitans, antecedens et consequens I. 388 - Habitualis et casualis; totalis et partialis; substantialis et accidentalis I. 389 - Circa censuram V. 1107.
Illegitimi - Obligationes parentum erga filios illegitimos IV. 147.
Imagines exponendae in ecclesia IV. 418.
Immunitas ecclesiastica II. 410.
Impedimenta matrimonii V. 842 - Dirimentia V. 850 - Impedientia V. 989.
Impotentia absoluta et moralis an excuset a lege sive quoad culpam, vel poenam, vel nullitatem actus I. 146. 157 - Impedimentum matrimonii V. 872.
Imprecatio - II. 125.
Impuberes quoad censuras V. 1095.
Impubertas - Impedimentum matrimonii V. 871.
Incendium III. 140.
Incestus - II. 827 - Quatenus impedire potest usum matrimonii II. 886.
Inclementia - II. 1041.
Incola - I. 286.
Incommodum an excuset a lege I. 151-157.
Indigentes - An subsistat obligatio inquirendi indigentes II. 113.
Indignatio - II. 123.
Industria - Fructus industriae III. 668.
Infantes - Quoad dominium III. 155 - Mortui sine baptismo quoad sepulturam ecclesiasticam IV. 429.
Infidelis - II. 23.
Infirmi - Possunt carnem manducare diebus vetitis IV. 6 - Sacerdotes infirmi excusantur a recitatione divini officii IV. 335 - Infirmi in hospitali quomodo matrimonium contrahere possint V. 975.
In forma gratiosa et *in forma commissoria* I. 273.
In fraudem legis I. 159-166.
Ingratitudo - II. 1066.
Inhabilitas ad beneficium propter simoniam II. 437.
Inhabilitatus quoad contractus III. 510 - Donationem III. 1053. 164.
Inimici - II. 118 - An ab eleemosynis excludi possint II. 142.
Iniustitia - III. 234 - In stupro II. 820 - In raptu II. 825 - III. 234 - In pauperibus fictis III. 406.
Innocens - De occisione innocentis II. 661 - A iudice damnatus III. 88.
Intentio adimplenti praeceptum I. 130 - In voto II. 495 - In audienda missa II. 599. 601 - In sacramentis IV. 805.
Interdictum - V. 1135 - Interdictus civiliter III. 164 - Quoad contractus III. 510 - In ludo III. 911 - Quoad donationem III. 1053 - Quoad testamentum III. 1240.
Interpretatio legis I. 56 - Doctrinalis I. 60-63-89 - Auctoritativa 58. 73 - Comprehensiva, extensiva, re-

strictiva I. 62 - Dispensationis et facultatis dispensandi I. 280.
Inventio - III. 38 - Inventor thesauri III. 42.
Invincibilis (ignorantia) excusans a culpa I. 109. 191-393 - Excusans a poena I. 141 - Excusans a nullitate actus I. 142 - An possit esse invincibilis circa praecepta iuris naturalis I. 140 - Vincibilis, crassa, supina, affectata I. 386 - An excuset a culpa et poena 394. 395 - De diligentia ad eam depellandam I. 396 - An minuat voluntarium I. 397 - De gradu culpae in ignorantia vincibili I. 398 - Quoad illos qui publica officia exercent I. 401.
Ira - II. 1051.
Irregularitas - Propter simoniam II. 437 - Definitio irregularitatis V. 767 - Ex defectu V. 777 - Ex delicto V. 796.
Irritare, inhabilitare I. 100.
Irritatio votorum, iuramentorum II. 555.
Index - Officium et munera II. 267 - IV. 229 - Debet habere scientiam sufficientem IV. 246 - Facultates iudicis conciliatoris IV. 258. 283. - Quoad divortium civile V. 1064.
Indicium ecclesiasticum et saeculare II. 1011 - Iudicium temerarium III. 461. 499.
Iuramentum - Quod exigit Gubernium II. 270 - Definitio et distinctiones II. 464 - Cum mendacio II. 995 - In iudicio II. 1014 - Quoad contractus III. 588 - A subditis principi praestando IV. 196.
Iurati - In iudicio II. 1022 - III. 248 - Si ageretur de iudicio contra sacerdotem licentia ab Episcopo peti debet IV. 240.
Iurisdictio confessarii V. 143 - Delegata V. 158. 170. 173 - Quoad complicem V. 255.
Ius - Canonicum I. 12 - Civile I. 15.
Ius coniugale - II. 651.
Iustitia - Commutativa III. 3 - Distributiva III. 17 - Vindicativa III. 26 - Quando laeditur per detractionem III. 478.
Iuvenis studens in universitate II. 69.

L

Latria - II. 315.
Laniones - IV. 311.
Laxismus - I. 1. 513 - Conscientia laxa I. 565.
Legata pia per personas a Gubernio electas administrata II. 256.
Legatarii in haereditate III. 1245.
Legata testamentaria III. 1300 - Executor tenetur satisfacere legatis III. 1328 - De legato in favorem monasterii III. 1429 - Episcopus ius habet invigilandi ut voluntates piae fideliter adimpleantur III. 1445.
Leges - I. 1-342 - Principis usurpatoris 17 - Quoad dispensationem 203 et sqq.
Legislator an suis ipsis legibus subiiciatur I. 118.
Legitima - III. 60 - Legitima debita filiis III. 1317.
Lenitas - II. 1043.
Lenocinium - II. 300.
Lex - Divina I. 6 - Naturalis I. 7 - ad quid obliget I. 92 - Humana I. 11 - an extendatur ad actus internos, occultos, heroicos I. 97 - Ecclesiastica I. 12 - Conditiones ut lex humana sit valida et obliget I. 41 - Odiosa vel favorabilis I. 66 - Interpretationes seu declarationes auctoritativae legum I. 77 - Leges quoad effectus I. 87 - Quoad acceptationem I. 95 - Permittentes, et ius dantes I. 99 - Irritantes, inhabilitantes, rescindibilitatem concedentes I. 100 - Poenam infligentes I. 101 - Mere poenales I. 104 - Quoad effectum

retroactivum I. 105 - Subiectus legis naturalis, legis divinae positivae, legis ecclesiasticae, legis civilis I. 106-116 - Lex territorialis, lex personalis I. 111 - Localis et generalis I. 114 - Quoad modum legibus satisfaciendi I. 119 - Quoad tempus I. 123 - Satisfactio defectuosa quando repetenda I. 124-127 - Quoad intentionem I. 130 - Quoad causas excusantes et eximentes I. 135 - Quoad media adhibenda I. 172 - Lex dubia non obligat? I. 516 - Lex ecclesiastica circa impressionem et venditionem librorum II. 277.

Liberalismus hodiernus II. 68,

Libertas - An liceat occidere ad defendendam libertatem II. 652.

Libri - Lectio librorum obscoenorum II. 810. 69 v. *Lex*.

Libri prohibiti quoad excommunicationem V. 1146 - Libri pravi V. 1240.

Ligamen - Impedimentum matrimonii V. 940.

Locatio bonorum ecclesiasticorum - V. 1195. 1204. 1210.

Locatio fundi III. 138. 718 - Operarum III. 737 - Operum III. 753 - De locatione vecturae v. *Vectores*.

Locutio - II. 961 - Differentia inter locutionem falsam et fictionem II. 971. 1000.

Lotheriae v. *Sortes*.

Ludus - III. 901 - Ludens minor, interdictus, filiusfamilias, mulier coniugata III. 911. 912. 914 - Interdicitur clericis IV. 665.

Lumina occasione publici festi illiciti II. 257 - Ad cultum IV. 400 - Ad illuminandam ecclesiam III. 400.

Lupanar - II. 301.

Luxuria - II. 710 - Effectus - II. 1036 - In sacerdotibus II. 1037 - In confessariis et parochis II. 1038.

Luxus - II. 1062 - In foeminis II. 1063 - In clericis IV. 674.

M

Magia - II. 356.

Magistri circa libros pravos V. 1240.

Magnetismus v. *Hypnotismus*.

Mala fides - III. 95.

Maledictio - II. 126.

Malefactor - De punitione malefactoris II. 659.

Maleficium - II. 337. 377.

Malevolentia - II. 115.

Malitia intrinseca et extrinseca I. 469.

Mandans - III. 331. 334 - Quoad censuras V. 1113.

Mandatum - III. 983 - Obligationes mandatarii III. 990 - Mandantis III. 994.

Maritus - Quoad irritationem voti uxoris II. 560 - De administratione quae competit marito III. 151.

Materia - In sacramentis IV. 795 - In voto II. 500 - In confessione, quando sit necessaria, quando libera V. 39 - Quando sufficiens V. 78.

Matres - Quoad auditionem missae II. 619 - De obligatione cavendi a periculo abortus II. 669.

Matrimonium coram ministro haeretico II. 122 - Civile II. 250 - V. 1061 - De sponsis qui in censuras ecclesiasticas inciderint II. 288 - In dubio de validitate an possint coniuges matrimonio uti II. 887 - De impedimentis in genere V. 842 - Impedimenta dirimentia V. 850 - De ritu in matrimoniis mixtis V. 998 - De matrimonio conscientiae V. 1017 - Natura et divisiones matrimonii V. 1026 - Proprietates V. 1028 - Matrimonium infidelium quando dissolvitur V. 1036 - Revalidatio matrimonii V. 1065. 1068 - Dispensatio in radice V. 1073 - Matrimonium mulieris excisae V. 1231.

Massonica signa - II. 280.

Medicus circa occisionem indirectam foetus II. 665 - Circa abortum II.

675. 679 - Obligationes particulares III. 738. 740 - IV. 289 - Posset delinquere contra iustitiam IV. 291 - Contra religionem IV. 293 - Contra charitatem IV. 294.
Mendacium - II. 976 - In iudicio II. 1007 - In confessione V. 71.
Merces - III. 742 - An iustae sint intermissiones operarum (it. *scioperi*) ad augendam mercedem III. 743.
Meretricium - II. 299. 726.
Metus levis, gravis (absolute et relative), reverentialis, ab intrinseco, incussus ad hoc, iustus et iniustus, impellens et concomitans I. 426-438 - Effectus metus relate ad voluntarium I. 439-443 - Excusans a culpa, a poena; inducens nullitatem actus I. 444 - Metus in voto II. 499 - In contractibus III. 514 - Impedimentum matrimonii V. 855.
Milites - In bello iniusto II. 695 - An ex stricta iustitia teneantur impedire mala et damna III. 360. 399 - Quo loco matrimonium possint contrahere V. 974.
Minister sacramentorum IV. 804 - baptismi IV. 879 - confirmationis IV. 935 - eucharistiae IV. 1024 - poenitentiae V. 143 - extremae unctionis V. 695 - matrimonii IV. 804. 426 - V. 953.
Minister usurariorum III. 348.
Minores - III. 156. 158 - Quoad contractus III. 162. 510 - Ludum III. 911 - Donationem III. 1053 - Testamentum III. 1240.
Missa in templo haereticorum II. 237 - Applicata pro infidelibus II. 258 - De modo audiendi missam II. 593 - Ubi audiri debet II. 602 - Causae ab auditione missae excusantes II. 612 - Missa de requie IV. 444 - De loco celebrationis missae IV. 450 - De necessitate ieiunii naturalis IV. 474 - De celebratione iterata eadem die - v. *Binatio* - Missa pro mensa V. 1236.
Molitores quomodo contra iustitiam peccare possunt IV. 315.
Moneta falsa III. 630.
Moniales - Quoad confessarium IV. 701 - De monialibus quaestuantibus IV. 715. v. *Vota. Clausura.*
Monita ad discipulos prima et ultima die anni scholastici V. 1225. 1226.
Mons pietatis v. *Pignus.*
Moralitas - I. 464 - Formalis et materialis I. 466.
Moribundus - II. 225.
Mors - II. 631 - V. 694.
Motus carnales - II. 770 - Remedia praeservativa contra motus istos II. 773.
Mulier - Quoad contractus III. 510 - Ludum III. 913.
Murmuratio v. *Detractio.*
Musica sacra in ecclesia IV. 314 - De musica figurata IV. 408 - Moderna IV. 410 - Urbana (it. *banda*) in ecclesia IV. 412.
Mutilatio an sit licita II. 635. 636.
Mutus - Quoad testamentum III. 1243.
Mutuum - III. 678.

N

Necessitas extrema, gravis, communis II. 105 - Excusans a sanctificatione festorum II. 589 - Ab audienda missa II. 618 - A furto II. 240.
Necromantia - II. 343.
Nepotismus in beneficiato III. 203.
Notarius - IV. 273 - Potest die festo conficere instrumentum? IV. 281 - An peccet praestando operam suam in contractibus respicientibus illa bona ecclesiastica quae a laico possidentur III. 283.
Nuptiae non celebrandae tempore vetito IV. 128. 129.
Nutrices quoad auditionem missae II. 619 - Quid si tangant in genitalia infantes ut quiescant II. 739. 803.

O

Obedientia filiorum erga parentes II. 622 - De voto obedientiae IV. 682. Obedientia praestanda Episcopo a sacerdotibus IV. 611 - Obedientia Summo Pontifici praestanda V. 1237.

Oblationes piae III. 222.

Obligatio quae a legibus inducatur I. 90.

Obreptio - I. 267.

Obsequium - II. 129.

Obstetrices - IV. 289 - Possunt delinquere contra iustitiam IV. 292 - Occidentes neonatos monstruosos II. 662.

Occisio iniusti aggressoris I. 639 - Innocentis II. 661.

Odium - II. 115.

Oeconomus beneficiorum vacantium II. 267.

Officiorum divinor. privatio V. 1123.

Officium divinum recitandum a clericis et beneficiatis IV. 328 et seqq. - De tempore quo horae canonicae recitari debent IV. 375 - Recitatio cum socio IV. 381.

Officium - Officia gubernativa in ditione pontificia II. 265 - Hypocrisia ad obtinendum officium III. 401.

Oleum Sanctum - IV. 423.

Olitores quoad sanctificationem festorum II. 572.

Omen - II. 353.

Onanismus - II. 307 - Quotupliciter accidere postest II. 843 - Ope involucri II. 846.

Opera - De concursu ad opera partim bona et partim mala II. 262 - Opera diebus festis prohibita II. 564 - Locatio operarum III. 747.

Opera misericordiae II. 134.

Operarii - Possunt carnem manducare? IV. 8

Operatio caesarea II. 675 - IV. 929.

Opinio probabilissima, probabilis, aeque-probabilis I. 512.

Opinio rigida - An etiam practice teneri possit? I. 520. 523.

Opus - Cessatio ab opere (vulgo *sciopero*) III. 743 - De locatione operum III. 753.

Oraculum - II. 343.

Oratio - II. 320.

Oratorium publicum et semipublicum II. 602 - IV. 451 Vide *Ecclesia* IV. 465 - Privatum V. 1238.

Ordo sacer - V. 699 - Materia et forma V. 705 - Minister V. 727 - Subiectus V. 745 - Impedimentum matrimonii V. 939.

Organa in ecclesiis IV. 314. 403.

Oscula - An sint licita II. 798 - Inter sponsos de futuro II. 799.

P

Papa quoad dispensationes I. 217.

Parentela - Impedimentum matrimonii V. 905.

Parentes - II. 662 - Erga filios IV. 133 - Quoad dotem IV. 145 - Quoad filios illegitimos IV. 147 - Quoad curam spiritualem IV. 150 - Quoad vigilantiam IV. 160 - Quoad baptismum IV. 927.

Parochi quoad dispensationes I. 238 - Quoad doctrinam christianam pueris et instructionem populo tradendam I. 1239.

Parochus - Eiusdem obligationes IV. 790 Avarus II. 1031 - Iracundus II. 1040 - Quoad electiones IV. 203. 587 - Quoad suam domum et familiam IV. 634 - De mulieribus pro servitio electis IV. 635 - Quoad assistentiam matrimonii V. 953 - Quoad vota II. 541

Participans - III. 342 - Quoad restitutionem III. 355 - Detractionem III. 493.

Pater quoad vota filii impuberis II. 539 - Quoad Fidem I. 66.

Patria potestas - III. 157.

Patrimonium sacrum in ordinationibus V. 757.

Patrinus quoad baptismum et confirmationem IV. 912.
Passiones humanae II. 1069. 1070.
Pauper - Quis teneatur habere curam pauperum II. 136 - Quinam praeferri debeant in eleemosynis II. 144 - Quoad sanctificationem festorum II. 581 - Pauperes ficti III. 406 - Quoad abstinentiam a carnibus IV. 6 - Decimae solvendae an etiam a pauperibus IV. 117.
Paupertas - Votum paupertatis IV. 694.
Peccator publicus quoad sepultùram ecclesiasticam IV. 429.
Peccatum - I. 570 - Materiale I. 572 - Formale I. 576 - Correctio propter peccata II. 173 - Peccatum in scandalo II. 181 - Peccata declaranda in confessione V. 44 - De peccatis dubiis V. 85.
Pecunia - De erogatione pecuniae pro cultu superstitioso II. 230 - Quoad fructum pecuniae III. 686 - Mutuum v. *Auctarium*.
Pensiones ecclesiasticae III. 220.
Percussio clerici - V. 1157. 1181.
Peregrini quoad leges et privilegia I. 114 - Quoad auditionem missae II. 608. 610. 611.
Peregrinus quoad censuras V. 1091.
Permutatio - III. 669.
Perplexa (conscientia), scilicet incerta inter duo mala I. 504.
Persecutio - Fuga in persecutione II. 70
Personae morales III. 152 - Quoad dominium III. 153.
Pharmacopolae quoad auditionem missae II. 616 - IV. 295.
Photographus - II. 293.
Pictor - Imagines obscoenae II. 290. 292. 804 - Licet pingere die festo? IV. 316 - Quoad ieiunium IV. 56.
Pignus - III. 563 - De pignoribus in monte pietatis depositis III. 567 In bonis ecclesiasticis V. 1216.
Pigritia II. 1058 - In sacerdotibus II. 1060 - In parochis et Episcopis II. 1061.
Piscatio - III. 37.
Poena a legibus inflicta I. 101.
Poenitens - Dispositiones V. 5 et seqq. - Quoad secretum de illis quae audit a confessario III. 1015.
Poenitentia sacramentalis V. 410.
Poenitentia (Sacramentum) V. 1 - De subiecto poenitentiae V. 4 - Forma V. 431 - Ministro 143.
Pollutio - II. 732. 736 - In persona coniugata II. 816.
Pontifex (Romanus) quoad dispensationem voti II. 538 - Quoad dispensationem ab impedimento matrimonii V. 1018.
Possessio - I. 548 - III. 97.
Possessor bonae fidei III. 269 - Si ditior factus fuerit III. 284 - Malae fidei III. 288 - Dubiae fidei III. 294 - Re destructa an excusetur a restitutione III. 457.
Praedicatio - II. 237.
Praelati religiosi quoad vota II. 558 - Quoad bona monasterii III. 229.
Praescriptio - III. 40. 89. 90. 91. 99 - Quoad servitutes III. 149 - Restitutionem II. 456.
Praestigium II. 343.
Praesumptio - I. 542 - II. 79.
Precarium - III. 1122.
Pretium - III. 627.
Primitiae v. *Decimae*.
Principia reflexa seu subsidiaria quoad conscientiam I. 496.
Privatio officiorum, graduum etc. V. 1141.
Privatio vocis in capitulo V. 1140.
Privilegium - I. 117 - An privilegiatus teneatur uti privilegio I. 192 - Cessatio privilegii I. 193.
Probabilitas et gradus probabilitatis I. 509.
Processiones - IV. 398.
Proclamationes pro matrimonio V. 1003 - De dispensatione a proclamationibus V. 1007.

Procurator v. *Advocatus*.
Promissio - III. 87. 955.
Promulgatio legis I. 28.
Propositiones damnatas (docentes vel defendentes illas) IV. 1156.
Propositum in confessione V. 27.
Publica honestas imp. m. V. 925.
Proprietas litteraria III. 405.
Protectio delinquentis III. 351.
Proximus - Obligatio diligendi proximum II. 96 - Necessitates proximi II. 105.
Pruritus - II. 783 - Remedium contra pruritum II. 785.
Pudicitia - An liceat occidere ad defensionem pudicitiae II. 650.
Puella acceptans munera data ex prava intentione II. 297 - Tangens malitiose propria ubera II. 881.
Puer quoad reatum I. 458.
Pusillanimitas - II. 1029.
Pythonismus - II. 343.

R

Rapina - III. 238.
Raptus - II. 824 - V. 869.
Ratum habens quoad censuras V. 1113.
Reatus (v. *voluntarium*): in causa I. 415.
Recidivus - Doctrina communis circa habituatos recidivos V. 387.
Reconciliatio - II. 130.
Rectores - Familiae IV. 164 - Societatis civilis IV. 187 - Ecclesiarum IV. 726.
Refugium praestare delinquenti III. 351.
Regulares quoad dispensationes I. 237 - Quoad vota II. 546 - Donationem III. 1067 - Haereditatem III. 1428 - Praecepta Ecclesiae quoad Regulares IV. 131 - Regulae IV. 687 - Quoad sacramentorum administrationem et praedicationem IV. 716 - Privilegia IV. 723 - Quoad sacram ordinationem V. 740. 790.
Regularis quoad censuras V. 1092.
Religio mixta - Impedimentum matrimonii V. 994.
Religiosus - Quoad bona III. 227 - Quoad ludum III. 914. 1120 - Quoad successiones III. 1208 - Quoad officium divinum IV. 328 - Vota V. 678 - Clausura V. 690.
Reliquiae Sanctorum II. 318 - IV. 419.
Remedia contra scrupulos I. 560 et seqq.
Reparatio - Quoad scandalum II. 202 - Quoad furtum III. 307. 315 - Quoad detractionem III. 485 - A Superiore facienda III. 495 - A filiis II. 623.
Rescindibilitas - I. 100.
Reservatio - Quoad peccata V. 174 - Papalis V. 179 - Episcopalis V. 193 - Subiectus reservationis V. 208 - Cessatio reservationis V. 254.
Residentia personalis et formalis quoad parochos et Episcopos IV. 738 - Quoad alios IV. 739.
Restitutio - Obligatio restitutionis in simonia II. 438 - Radices restitutionis III. 278 - Quoad possessorem bonae fidei III. 280 - In dubio quid restituendum III. 303 - Propter vulnera etc. III. 369 - Propter stuprum III. 375 - Si dominus sit ignotus III. 412 - Causae excusantes III. 430 - Cessatio obligationis restitutionis III. 455.
Restrictio mentalis - II. 970. 975.
Retractatio - II. 202.
Reus - II. 1010 - An possit a carcere fugere IV. 210.
Revelatio - II. 5.
Reverentia erga parentes II. 623.
Revisio - Episcopi non possunt imponere taxam pro revisione legatorum piorum III. 1450.

S

Sacerdos - Superbus II. 1024 - Avarus II. 1030 - Luxuriosus I. 1037

- Iracundus II. 1040 - Quoad Ecclesiam IV. 587 - Quoad sanctitatem IV. 588 - Scientiam III. 589. 590 - Erga episcopum IV. 609 - Cum mulieribus IV. 632.
Sacramentum indignis administrare II. 287 - Essentia et numerus sacramentorum IV. 793 - Materia et forma IV. 795 - Effectus IV. 800 - De ministro IV. 804 - Iteratio sacramentorum IV. 834 - De subiecto IV. 850.
Sacrilegium - II. 394 - In recipiendis sacramentis II. 400 - In genere luxuriae II. 833 - In furto III. 274.
Sarcitrices conficientes vestes inverecundas II. 295 - Quoad sanctificationem festorum II. 582 - Quoad auditionem missae II. 616.
Sartores - Se compensantes praetextu fructus industriae III. 668 - Quoad ieiunium IV. 52. 56 - Vide *Sarcitrices*.
Satisfactio sacramentalis V. 135.
Scandalum - II. 176 - An si sit peccatum mortale II. 192 - Qui scandalum dedit ad quid teneatur II. 200 - Propter blasphemiam II. 449 - Detractionem II. 461.
Schismatici - V. 1147.
Schola haereticorum II. 238 - De scholis catholicorum mixtis II. 240.
Scientia quae exigitur ad aliquod officium acceptandum IV. 266.
Scrupulus - I. 550.
Secretarius iudicialis IV. 255.
Secretum - II. 975 - III. 1010 - Culpa in violatione secreti III. 1022 - Poenae III. 1038.
Secta Massonica - II. 279 - De locatione domus sectariis II. 281.
Sectarii (excommunicatio) V. 1160.
Semifutui - Quoad praeceptum communionis paschalis IV. 87.
Semifatuus, semidormiens, semiebrius, et somnambulus quoad reatum I. 458. 459.
Seminaria - II. 255.
Seminaristae - IV. 305.
Senator - II. 266.
Senes - Quoad copulam matrimonialem II. 869. 878.
Sepultura - Haereticorum II. 246 - Ecclesiastica IV. 428 - Quibus deneganda IV. 429 - Privatio sepulturae ecclesiasticae V. 1125.
Sequestrum - III. 1150.
Servitus - III. 145.
Sermones impudici II. 805 - Inter coniuges II. 861.
Sextum praeceptum - Interrogationes in confessione faciendae cautissime circa sextum V. 452.
Sigillum confessionis V. 508 - Materia sigilli V. 524 - Violatio V. 542. 549 - Poenae contra violantes sigillum V. 563.
Simonia - II. 419 - III. 621.
Simonia (excommunicatio) V. 1164.
S. Ligorius probatissimus I. pag. IX.
Societas - III. 787 - Normae circa contractum societatis III. 804.
Sodomia - II. 720. 724 - In persona coniugata II. 816 - Inter coniuges II. 841.
Sollicitatio - V. 598 - Denuntiatio sollicitationis V. 634 - Obligatio confessarii admonendi ut fiat denunciatio V. 654. - Excomm. contra non denuntiantes V. 1217.
Somnia quoad superstitionem II. 354.
Somnus hypnoticus II. 378.
Sortes - III. 936. 938 - 939.
Sortilegium - II. 343. 346.
Sortitio (it. *Lotto*) II. 331.
Spectacula tempore quadragesimae II. 282.
Spes - II. 72.
Spiritismus II. 337 - Phoenomena II. 366 - II. 380.
Sponsalia - Definitio V. 810 - De illorum validitate V. 812 - Dissolutio V. 825 - Impedimentum impediens V. 992.
Sponsi de futuro - Quoad cogitationem copulae II. 813.

Sponsio - III. 926 - 932.
Status religiosus - IV. 678.
Stadia biblica V. 1243 - Critica V. 1251 - Profana in clero V. 1252.
Stupram - II. 818 - III. 370 - Quoad restitutionem III. 375.
Subditus erga superiores IV. 185 - In societate civili IV. 192.
Subreptio - I. 260.
Successio ab intestato III. 60. 1205 - - In religiosis v. *Religiosi*.
Suicidium - II. 628 - An aliquando licitum II. 629.
Superbia - II. 1024. 1026.
Superfluum quoad eleemosynam II. 140.
Superiores - Quoad correctiones II. 175 - In genere quoad subditos IV. 184.
Superstitio - II. 249. 330.
Suppellectiles - III. 399.
Surdo-muti - Quoad dominium II. 165 - Contractus III. 510 - Testamentum III. 1233. Quoad praeceptum communionis paschalis IV. 89. - Quoad reatum I. 461.
Suspensio in sacerdotibus V. 769. 1129 - Ex informata conscientia V. 1132.
Sussuratio - III. 461.
Syndicus - II. 267.
Synodus dioecesana quod leges I. 23.

T

Tabernarii quoad auditionem missae II. 616.
Tabulae rotantes II. 337. 373.
Tactus in propriis pudendis II. 780 - Cum persona diversi sexus II. 787 - Cum bruto II. 793 - Praeparatorii ad copulam II. 853. 855.
Taxae - II. 152.
Te-Deum pro proclamatione intrusi gubernii II. 259. 260.
Temperantia - II. 835 - In usu coniugii II. 836. 838. 839.
Templum - Quoad templum haereticorum II. 227. 228. 243.
Tempus - Impedimentum matrimonii IV. 128 - V. 991.
Tentatio Dei - II. 387.
Testamentum - III. 1225 - Olographum III. 1228 - Publicum III. 1230 - Secretum seu clausum III. 1233 - A surdo-mutis faciendum III. 1243 - Regulae quoad interpretationem dispositionum testamentariarum III. 1312.
Testes in iudicio II. 1013 - IV. 216 - In matrimonio V. 984.
Thesaurus - III. 50 - Ad quem spectet III. 52.
Theologia moralis definitio et historia I. pag. VII. VIII - Auctores (v. *Auctores*) - Eiusdem tractatuum dotes I. pag. XI-XIV . Fontes I. pag. VIV - Ordo I. XV.
Titulus ad conferendum dominium III. 96.
Transactio - III. 839 - A quibus personis fieri possit III. 843.
Tributa - III. 304. 403.
Tutela - III. 158.
Tutores - Quoad eleemosynam ex bonis pupillorum II. 147 - III. 736 - Quoad transactionem III. 843.
Typographi - Quoad libros pravos II. 272. 276 - Quoad pacta cum clientibus IV. 322 - Quoad sanctificationem festorum II. 664 - Quoad ieiunium IV. 52.

U

Unctio extrema - V. 679 - Subiectus V. 685 - Minister V. 695.
Unio apostolica sacerdotum saecularium V. 1253.
Universitates haereticorum II. 238 - II. 69.
Ususfructus - III. 131.
Usufructuarii - Iura III. 134 - Obligationes III. 140.
Usura - III. 592 - An usurarius acquirat dominium usurarum III. 717 - Quoad restitutionem in usura III. 717.

Usurpator (princeps) I. 17.
Usus - II. 144.
Uxor - Quoad eleemosynam II. 147 - Habens virum onanistam II. 307 - Quoad auditionem missae II. 620 - De uxore quae post copulam assurgat, mingat ut semen receptum deperdat II. 873. 877. 880 - Quoad adulterium II. 1005 Compensationem III. 84 - Bona uxorum III. 166. 1053. 1066.

V

Vagi - Quoad auditionem missae in festis localibus II. 608 - Quoad comunionem paschalem IV. 103 - Quo loco matrimonium possint contrahere V. 977.
Vana observantia - II. 550.
Vana usurpatio nominis Dei II. 453.
Vaticinium - II. 353.
Vectores - Quoad sanctificationem festorum I. 579 - Quoad locationem vecturae III. 761.
Venditores - Quoad sanctificationem festorum II. 573 - Se compensantes III. 82 - Librorum prohibitorum II. 275 - Rei alienae et furtivae III. 604 - Rerum ad usum superstitiosum II. 234.
Veneratio - II. 214.
Veniae petitio II. 133.
Verba turpia II. 290.
Verecundia - II. 618.
Vexilla in ecclesiis IV. 420.
Vetitum Ecclesiae - Impedimentum impediens matrimonii V. 990.
Viaticum infirmorum IV. 1043.
Vicarius Capitularis quoad dispensationes I. 234 - Vic. Generalis (idem) I. 235.
Vicarius - Generalis et Capitularis quoad dispensationem a votis II. 540.
Vice-parochus quoad delegationem matrimonio assistendi V. 983.
Vindicta publica et privata II. 124.
Vinum - An possit porrigi vinum iis qui praevidentur se inebriaturi II. 309 - Pro missa V. 948.
Violentas manus iniicientes in clericum etc. V. 1157.
Virga magica - Usus virgae magicae in commercio cum daemone II. 337. 343. 344.
Vis - Impedimentum matrimonii V. 855.
Vis seu violentia facta corpori I. 445 - De voluntario et reatu stante violentia I. 447-451 - Violentia diabolica I. 452.
Vitandus (excommunicatus) V. 1110. 855.
Vittae tricolores I. 257.
Volitum - I. 350.
Voluntarium et liberum I. 345 - Conditionatum et absolutum I. 348 - Efficax et inefficax I. 349 - Perfectum et imperfectum I. 351 - Simpliciter et secundum quid 353 - Propter se et propter aliud 354 - In se et in causa 355 - Voluntarium et permissum 355 - Directum et indirectum 374 - Actuale, virtuale, habituale et interpretativum 375 - Expressum, tacitum et praesumptum 376 - Voluntate aliena 478 - Explicitum et implicitum 379.
Votum - Violatio voti II. 414. 489 - Obligatio voti II. 516 - Cessatio voti II. 534 - Commutatio II. 552 - Irritatio II. 557 - Votum paupertatis in religiosis III. 232 - Impedimentum matrimonii V. 938 - V. 993.

N. B. Indices progressivi sunt in fine uniuscuiusque voluminis.

TOTIUS OPERIS FINIS

Faventiae die III Februarii MCMV

Nihil obstat

IOSEPH Can.cus CALDERONI Revisor Episcopalis

DE MORTE REALI ET APPARENTI

RELATE AD SACRAMENTA

1. Circa administrationem sacramentorum et assistentiam moribundis praestandam, hodie comparuit doctrina nova, quae cum praxi hucusque servata, et cum regulis a Rituali praescriptis, in parte minime concordat. Expedit ut de re ista aliquid dicam.

2. Semper existimatum est mortem esse posse mere apparentem et incertam, ita ut nec pulsus nec respiratio percipiatur, et nihilominus homo, qui sic mortuus videtur, adhuc vivus esse possit, et proinde tunc sacerdotes sacramenta sub conditione administrare atque assistentiam protrahere debere; idque contingere in illis casibus exceptionalibus, in quibus ars medica iudicat tentanda esse media, quae ad vitae activitatem excitandam idonea sunt.

3. Hi casus exceptionales (quos dico fallaces) sunt sequentes. Syncopes (it. *deliquio*), axphyxia, submersio (ital. *annegamento*), suffocatio, catalepsis, fulguratio (seu utcumque explosio electrica). Interdum etiam lethargus, venenatio, assideratio, ictus solis, asthma, magna laesio cerebri (v. g. propter ictum lapidis, percussionem, lapsum ab alto, apoplexim etc.), ebrietas, epilessia, tetanus, colèra, magna debilitas (v. g. propter emorraggiam, vel famem, vel excessivam defatigationem). Interdum etiam in mulieribus graviditas et partus difficilis etc.

4. Media, quae tentantur, iuxta varios casus varia sunt. Aliqua iam ab omnibus cognoscuntur, ut fricationes, ace-

tum in naribus, insufflationes in ore etc. Alia vero, iuxta scientiam medicam, sunt v. g. applicatio cucurbitarum (it. *coppette*), iniectiones subcutaneae (v. g. etheris, cafeinae, aquae salsae, olei canforati, *cognac* etc.), maxime vero respiratio artificialis per linguae tractiones quae rhytmicae dicuntur.

5. Patet autem ex factis pluribus, aliquos revera, qui his morbis vel casibus mortui videntur, sive per applicationem horum mediorum, sive etiam nullo adhibito remedio, ad vitae activitatem iterum redire.

6. Cur vero pulsus et respiratio non amplius percipiantur, duae sunt opiniones. Communius dicunt quod motus cordis et pulmonum perdurant, sed ita tenues evadunt ut non amplius sint sensibiles; alii vero opinantur quod de facto totaliter suspensi sunt, et nihilominus vita ad tempus permanet, donec possibile sit ut iidem motus iterum excitentur, et sic excitati in cerebro, nervis, musculis (adhuc sufficienter sanis) alios actus ad vitam prosequendam necessarios reproducant.

7. Sed, quidquid sit de hoc, certissimum est quod in his casibus exceptionalibus, dum quis apparet mortuus, potest esse vivus; posset scilicet mors esse mere apparens (ut dixi) et sub externa apparentia mortis interius vita latens perdurare. Hinc certissimum est etiam, quod praxis praedicta tunc administrandi sacramenta sub conditione, et protrahendi assistentiam, tamquam bona atque obligatoria considerari debet.

8. Sub hoc respectu autem doctrina nova cum antiqua plenissime concordat. Ubinam ergo differentia? Haec respicit casus ordinarios; in quibus non solum pulsus et respiratio cessavit, sed etiam aliae circumstantiae sunt tales, ut ars medica nullum habeat remedium, quod ad vitam protrahendam tentari possit. Casus isti contingunt toties quoties intervenit agonia quae cum extremis anhelitibus finem habet; et contingunt etiam in phtisi et decrepita senectute, in quibus agonia vix est sensibilis, et fere solum cessatio pulsus, respirationis et cuiuslibet motus animadvertitur. Attamen notari debet quod aliquando in his etiam morbis ordinariis

supervenit syncopes, qua durante casus speciem mutat et ex ordinario exceptionalis atque fallax evadere potest. Sed supponendo quod mors accidat ex morbo suum cursum prosequente, quin (ex signis habitis) timeri debeat ne de sola syncope transitoria agatur; tunc hucusque existimatum est quod mors sit non iam apparens et incerta, sed realis et certa; consequenter autem existimatum est etiam quod tunc sacerdoti nihil aliud restet, nisi recitare *De profundis* et abire. Haec profecto est praxis et doctrina hucusque servata atque Rituali conformis; sed doctrina nova contrarium habet, et hoc est punctum differentiae; unde perpendere oportet quid dicant huius novitatis auctores; et an novitas ipsa probari vel reprobari debeat?

9. *Auctores doctrinae novae quid dicunt?* Summatim dicunt 1° In casibus quoque ordinariis, post punctum quod hucusque dictum est mortis, vitam probabiliter plus vel minus perdurare. 2° Dandam esse nedum absolutionem sed etiam extremam unctionem sub conditione si sacerdos solum post ultimam expirationem advenisset. 3° Si etiam moribundo sacramenta more solito administrata fuissent, sacerdotem assistentiam post eandem expirationem (renovando identidem absolutionem) protrahere nedum posse sed in pluribus casibus (maxime habituatorum) sub gravi debere.

10. Theologi qui doctrinam istam tenent, sunt sequentes. I. B. Ferreres S. I. hispanus (*La muerte reale y la muerte aparente*). I. B. Geniesse (qui eiusdem operis versionem italicam et gallicam cum multis notis et appendicibus fecit). Villada (*Casus conscientiae Vol. III. Sect.* II). Génicot (*Theol. mor. Instit. V. II. n. 422 et Cas. consc. V. II. Tr.* XVI. *Cap.* III. *cas.* IV). Noldin (*De Sacr. n. 238*). Antonelli (*Medicina pastor. Vol. II. p.* III. *c.* II). Alberti (*Theol. pastor. P. I. n. 18* VI).

Attamen non omnes eodem praecise modo loquuntur, et variant praecipue circa tempus, quo post ultimum anhelitum, absolutio (vel etiam extrema unctio) iuxta ipsos dari potest. Sic. v. g. Villada illud restringit ad sex minuta, dum Ferreres et Geniesse ad mediam horam (et in quibusdam

casibus multo plus vel etiam usque ad putrefactionem) extendunt. Eorundem verba audiantur.

11. Villada (*l. c.*): « Quia ex medicorum sententiis constat in consuetis morbis prudenter existimandum esse, post « ultimam dictam expirationem per aliqua momenta vitam « conservari....; censeo licite conferri posse, et per se etiam « debere, sacramentum poenitentiae sub conditione iis apparenter mortuis qui a paucis momentis, e. g. *sex circiter* « *minutis*, expirasse dicuntur sine absolutione; posse item « vel etiam debere conferri conditionate, si, licet expirassent absoluti, ex eorum tamen praeterita vivendi ratione « dubium aliquod rationabile existat, an non utile vel etiam « necessarium ipsis adhuc sit sacramentum ». Et idem dicit de extrema unctione, si ante ultimum anhelitum moribundus nec illam nec absolutionem recepisset.

12. Ferreres (*Traductio italica l. c.*): « Il periodo probabile di vita latente in quelli che muoiono di malattie « ordinarie dura, per lo meno, *mezz'ora* » (*§ VI*). Ex contextu autem et opinionibus medicorum quas adducit, patet quod media hora (iuxta illum) adeo quid minimum esset, ut sub apparentia mortis vita latens protrahi possit tempore valde longiori; dicit enim modo tribus modo etiam duodecim horis mortem realem tardare posse, modo etiam usquedum perveniat rigiditas cadaverica, vel putrefactio (1) evadat valde diffusa, dum illa (*rigiditas*) viginti quatuor, et ista (*putrefactio*) septuaginta duabus quoque horis (speciatim in hyeme) tardare posset.

Ex hoc autem sic concludit (*§ VII*): « Il sacerdote potrà sempre o quasi sempre, e anche dovrà amministrare i « sacramenti a colui che non li ha ricevuti, sebbene lo trovi « in apparenza morto, *purchè non sia entrato nel periodo*

---

(1) Adducit etiam auctoritatem Accademiae Ss. Cosmae et Damiani dicentis; *"Prima che apparisca la putrefazione, non esiste alcun segno o complesso di segni, che basti a dare la certezza assoluta dello stato cadaverico.* Et ille ipse prius (§ *IV*) dixerat: *All'infuori della putrefazione, e forse della rigidezza cadaverica, non esiste alcun segno, il quale ci faccia conoscere con certezza che l'uomo sia morto.*

« *della putrefazione* ». Et (*§ IX*) subiungit: « Nè sarà « inutile la nostra presenza al capezzale di quelli che muo- « iono dopo aver ricevuto i santi sacramenti. Alcune volte « sarà utile anche a questi l'assoluzione sotto condizione du- « rante quel periodo di vita latente ». Et adducit auctoritatem Villadae, qui (ut supra vidimus) assistentiam atque repetitionem absolutionis, nedum licitam sed etiam aliquando necessariam atque obligatoriam esse dicit.

13. Geniesse (in traductione gallica eiusque appendice *E*) dicit 1° obligationem continuandi assistentiam etiam post ultimum anhelitum esse gravem (in casibus quoque ordinariis) si defunctus valde adhaerebat peccato, valde tentabatur, valde erat habituatus in pravis desideriis, cogitationibus etc. unde praesumendum sit quod tunc etiam in gravi mortaliter peccandi periculo versetur. 2° Assistentiam protrahi debere diutius in morbis brevibus et minus in diuturnis, ita ut in istis media hora sufficiat, et in illis horae duae vel adhuc plures exigantur. 3° Si assistentia longo tempore esset protrahenda, sacerdotem posse illam interrumpere redeundo, et replicando visitationes. 4° Dum his qui solum apparenter possent esse mortui, datur et repetitur absolutio, sacerdotem exhortationem facere debere sicut moribundo certe vivo illam faceret. 5° Parochum attendere non debere quod huiusmodi agendi ratio sit contra sensum aliorum omnium, et quod ipse irrisioni omnium exponeretur et tamquam mentecaptus haberetur.

14. Sed doctrina et praxis ista approbari non potest propter sequentes rationes.

Prima est quod non habet solidum fundamentum; argumenta enim quae adducuntur sunt imprimis plura facta personarum, quae tamquam mortuae habitae fuerunt, et nihilominus vivae erant. At vero facta ista non sunt ad rem et nihil probant, quia agebatur non iam de morte prout ordinarie contingit, bene vero de illis casibus exceptionalibus in quibus mors facile potest esse mere apparens, atque ex ignorantia rudium, et etiam aliquando ex parva scientia vel hallucinatione medicorum ipsorum, accidit quod quidam certe mortui iudicati

fuerunt, dum de morte dubitari debuisset. Reapse facta adducta sunt sequentia.

A) Quaedam mulier partui proxima tamquam mortua habita et sepulta fuit, dum reapse viva erat, et in sepulchro peperit. (Ferreres *l. c. n. 39 d*).

B) Mortua reputabatur alia mulier gravida, et dum pro operatione caesarea secabatur, viva inventa fuit, et in eadem operatione obiit. (*Ibid. Traductio gall. nota).*

Hi duo casus respiciunt mulieres *gravidas,* in quibus scientia medica dicit esse valde facile quod propter *syncopem* superventam (quae utique inter morbos exceptionales et fallaces recensetur) mors sit non realis sed mere apparens, ut ipse Ferreres in eodem contextu fatetur.

C) Quidam apoplexi correptus, dum in feretro ad sepulturam deferebatur, clamores emittere coepit. (Antonelli *l. c. n. 694*).

D) Recentissimum est factum cuiusdam metropolitae graeci, qui *an. 1896* iam a quinque diebus propter catalepsim mortuus credebatur, eique in ecclesia officium funebre peragebatur, sed illico surrexit, et per annum adhuc supervixit. Antonelli (*l. c. n. 626*).

Nonne *apoplexis*, maxime vero *catalepsis*, inter morbos fallaces recensentur?

E) Ferreres (*l. c. n. 45. 46*) et Antonelli (*l. c. 624*) afferunt alia exempla personarum quae propter syncopem mortuae videbantur, et vivae repertae fuerunt.

En iterum *syncopes,* morbus fallax, qui cum hypothesi nostra nihil commune habet.

F) Ferreres (*l. c. nn. 121. 122. 123. 128*) adducit alios quatuor casus, in quibus apparenter mortui, per rhytmicas linguae tractiones felici exitu adhibitas, pariter vivi reperti fuerunt.

Hi casus quoque non sunt ad rem, *indicio enim medicorum de morte apparente suspicari* et mediuu istud tentari debebat; at vero quisnam medicus unquam iudicavit in casibus ordinariis mortem solum apparentem esse posse, et tractionem linguae esse tentandam? Idem dic de alio casu simili in quo mulier iudicio medicorum omnibus mediis excitantibus subiecta fuit, et reapse, dum mortua videbatur, viva erat. Antonelli (*l. c. 128*).

G) Quum quidam sepultus fuisset vivus, in eiusdem familia statutum fuit neminem in posterum sepeliendi, nisi

prius ictu pugionis cor transverberatum fuisset. Sed accidit quod puella, quae ex lethargo tamquam mortua habita fuit, pugionis ictum in pectore sentiens horrendum in modum clamavit, et statim vere obiit. Geniesse (*l. c. Append. C. XXVIII*).

Sed nonne lethargus quoque magnam mortis similitudinem habere, atque adeo morbus fallacissimus esse potest?

15. Concludendum est itaque quod in factis adductis ne unum quidem invenitur quod sit ad rem, firmumque remanet quod signa vitae interdum quidem inveniuntur in casibus exceptionalibus morborum fallacium, sed e contra in mortuis ordinariis nunquam inventa fuerunt. Sic ergo hoc primum argumentum nihil valet.

16. Sed adducunt aliud argumentum. Dicunt: Si, deficientibus pulsu, respiratione aliisque externis signis, vita latens perdurare potest in casibus exceptionalibus, cur etiam in casibus ordinariis (etsi forte ad brevius tempus) perdurare non poterit?

17. Contra argumentum istud sequentes adsunt rationes.

I. Si pro casibus exceptionalibus vita latens sic perdurare potest, huius perdurationis signa pluribus vicibus data fuerunt, sed pro casibus ordinariis nullum unquam signum datum fuit. In milionibus et milionibus sine fine illorum, qui ab initio mundi usque nunc ex morbis ordinariis et modo ordinario obierunt, nemo (praeter miraculum) unquam revixit, et nemo nemo prorsus ullum signum vitae dedit. Insuper scientia medica sedulo examinavit quid fieri possit tum ad restituendam plenam sanitatem, tum etiam ad protrahendam (vel paucis momentis tantummodo) vitam; et in hunc finem plura media inventa fuerunt, sed ita ut media ista applicentur quidem moribundis adhuc certe vivis vel asphyxiatis aliisque similibus, nunquam vero in casibus ordinariis et post ultimum anhelitum applicata fuerint. Sed cur differentia ista, nisi quia post ultimum anhelitum mors est definitive realis nullaque vita latens perdurare potest? Equidem hodie aliqui dicunt, vitam latentem (etiam in casibus ordinariis) perdurare posse, atque ideo post ultimum anheli-

tum linguam esse trahendam et in his tractionibus esse diu et valde insistendum; sed dicta ista a nemine ad praxim applicantur, et tamquam deliramenta communissime spernuntur.

18. II. Si etiam adesset possibilitas quod post ultimum anhelitum in aliquibus adhuc vita latens perduraret, non ideo introduci deberet praxis tunc sacramenta administrandi; huiusmodi enim praxis, dum pro salute animarum ab illius fautoribus proponitur, reapse in animarum damnum (et quidem magnum) redundaret; esset enim occasio (hodie maxime) non introducendi sacerdotem nisi morte iam secuta et sic dandi sacramenta potius mortuis quam vivis.

19. III. Dicit Génicot (*l. c.*) praxim istam adhibendam esse solum si adstantes sint boni catholici; non vero si essent male erga religionem affecti vel ignoti; tunc enim sacerdotes et religio ipsa irrisionibus et contemptui exponerentur, quasi sacerdotes cadaveribus sacramenta darent. Sed (ego dico) si praxis ista introducitur, quomodo notitia illius solum ad bonos et pios fideles restringi poterit? Quomodo insuper poterit impediri ne eadem praxis det occasionem post ultimos anhelitus tantummodo sacerdotem advocandi?

20. IV. Utique etiam in dubio administrari possunt sacramenta sub conditione; sed non sufficit quodlibet dubium etiam spernendum, maxime vero si talis administratio magis in malum quam in bonum redundaret. Hoc confirmari posset exemplo baptismi et ordinis sacri; nunquid enim propter solam possibilitatem vel merum scrupulum quod quis valide non fuisset baptizatus vel ordinatus (quae possibilitas iam in omnibus adest) poterit sub conditione baptismus vel ordo sacer iterum administrari? Vide Lugo (*De Poenit. XVI. 608*).

21. V. Quum praxis administrandi sacramenta post ultimum anhelitum sit contra reverentiam sacramenti (non obstante conditione apposita); et, attento etiam bono animarum atque religionis, potius in malum quam in bonum redundet; et quum sit insuper contra disciplinam Ecclesiae et praescriptionem Ritualis; ideo praxis ipsa probari non potest, et tamquam illicita haberi debet.

22. VI. A fortiori autem haec nova doctrina probari nequit, quia nedum licitam sed obligatoriam esse dicit assistentiam et renovationem absolutionis in casu; nonne enim propter obligationem huiusmodi officium parochi, vicarii etc, quam maxime odiosum redderetur, et proinde ex hoc etiam capite magnum damnum animabus et Religioni obveniret?

APPENDIX

circa legem ieiunii et abstinentiae hodie reformatam item circa communionem quotidianam aliasque novissimas S. Sedis decisiones

I.

De lege ieiunii et abstinentiae reformata pro Italia per decretum S. C. S. O. a Pio X confirmatum 7 Septembris 1906.

1. Scopus huius reformationis est ut, sublata necessitate petendi indulta, sublatisque differentiis propter locales consuetudines (quas expresse abrogat etsi immemorabiles essent) uniformitas (excepto solo casu voti) ubique inveniatur.

2. Obligatio **ieiunii,** nempe unicae per diem refectionis (concessa tamen coenula in cibis esurialibus et crustulo theologico) aderit pro non excusatis.

In quadragesima (dominicis tantum diebus exceptis).

In adventu, feriis sextis et sabbatis.

In quatuor temporibus (feriis quartis, sextis et sabbatis).

In quinque vigiliis, quae sunt Natalis D. N. I. C.; Pentecostes; SS. Petri et Pauli; Assumptionis B. V.; et Omnium Sanctorum.

3. Promiscuitas carnium et piscium his diebus et in eadem refectione vetatur omnibus, et quidem in quadragesima etiam diebus dominicis.

4. Obligatio **abstinentiae** non semper urget eodem modo, sed quatuor patitur distinctiones.

Distinctio I. Abstinentia rigorosissima (it. *di stretto magro ed in puro olio*), qua proinde nedum carnes earumque iusculum, sed ova quoque et lacticinia (nempe lac et caseus) imo etiam condimenta adipis, laridi, butyri et margarinae etc., in omnibus refectionibus, et quibuscumque sive ieiunantibus sive non ieiunantibus, vetantur; haec, inquam, rigorosa abstinentia obligat solum in paucissimis, nempe quatuor tantummodo diebus, qui sunt sequentes.

Feria sexta in Parasceve (it. *venerdì santo*).

Feria sexta quatuor temporum, sed in sola quadragesima.

Vigilia Nativitatis D. N. I. C.

Vigilia Assumptionis B. M. V.

Distinctio II. Abstinentia ita mitigata, ut, quamvis carnes et iusculum vetentur omnibus et in omnibus refectionibus, tamen usus adipis et butyri permittitur, imo permittuntur etiam ova et lacticinia, etsi in coenula ieiunantes iisdem (ratione ieiunii) uti nequeant. Dies autem in quibus abstinentia sic mitigata obligat, sunt sequentes.

Prima dies quadragesimae.

Feriae sextae et sabbata quadragesimae (exceptis duabus sextis feriis, abstinentiae rigorosissimae, ut supra).

Feriae sextae et sabbata Adventus.

Dies quatuor temporum (excepta dicta feria sexta abstinentiae rigorosissimae quatuor temporum quadragesimae).

Vigiliae Pentecostes, Ss. Petri et Pauli, Omnium Sanctorum, S. Iosephi et Annuntiationis B. M. V. (ubi haec duo festa recoluntur sub praecepto, et dummodo Annuntiatio B. M. V. incidat intra quadragesimam).

Distinctio III. Abstinentia adhuc magis mitigata, ita scilicet ut nedum lacticinia sed etiam carnes permittantur, quamvis obligati ad ieiunium in solo prandio illis uti possint.

Hoc accidit in quadragesima, exceptis diebus supra designatis.

Distinctio IV. Abstinentia a carne et iusculo, caeteris omnibus in qualibet comestione quibuscumque permissis.

Hodie, sublato sabbato, haec abstinentia obligat in omnibus et solis sextis feriis, in quibus ieiunium non praecipitur.

Dum tamen Ecclesia ad supradicta ieiunia obligat, decernit quod Ordinarii, propter magnas solemnitates, aut extraordinarium populi concursum facultatem habent anticipandi, aut etiam (gravissimis tamen de causis) dispensandi, nisi de quadragesimae aut adventus tempore ageretur.

Quae itaque circa ieiunium et abstinentiam *n. 1-81* in *Praxi confessariorum Vol. III* et in *Theologia morali Vol. IV* scripta fuerunt, ad tenorem praesentis decreti reformari debent.

II.

De Communione quotidiana.

1. Doctrina hucusque magis adoptata erat quod communio quotidiana consulenda sit solum personis ita piis ut de facto atque habitualiter abstineant a peccatis venialibus deliberatis eorumque affectu; magnamque perfectionem iam realiter assecutae fuerint; prout ego quoque (*n. 1008 et seq.* tum in *Praxi Vol. III* tum in *Theologia morali Vol. IV*) dixi cum multis auctoribus, inter quos Scaramelli (*Direttorio ascet. Tr. I. A.* x. *C.* vi. *n. 437*) scripsit: *Se la persona sia tale che non solo viva con stabilità in grazia di Dio, ma si astenga con molta cautela da' peccati veniali, nè abbia affetto ad essi, ami la penitenza, attenda alla mortificazione delle proprie passioni, sia dedita all'esercizio delle sante meditazioni, abbia desiderii ardenti di communicarsi, e dalle sante communioni ritragga frutto e*

lena per andar avanti nella virtù ; potrà (il direttore) *concederle la comunione due, tre, quattro, cinque volte la settimana.... Se poi la persona spirituale sarà giunta a gran perfezione, ... avrà acquistata gran comunicazione con Dio, specialmente nell'uso di questo sacramento, onde si vede che brama Gesù Cristo deliziarsi con una tal anima, le si potrà concedere anche ogni giorno la santa comunione.*

2. Sed, iussu SS.mi D. N. Pii X Sacra Congr. Concilii rem hanc ad examen accuratissimum revocavit, et die *16 Decembris 1905* (eodem probante et confirmante Pontifice) emisit decretum in quo sequentia leguntur.

« I. Communio frequens et quotidiana, utpote a Christo Domino et a « Catholica Ecclesia optatissima, omnibus Christifidelibus cuiusvis ordinis « aut conditionis pateat : ita ut nemo qui in statu gratiae sit et cum recta « piaque mente ad sacram mensam accedat, prohiberi ab ea possit.

« II. Recta autem mens in eo est, ut qui ad sacram mensam accedit, « non usui, aut vanitati aut humanis rationibus indulgeat ; sed Dei placito « satisfacere velit, ei arctius caritate coniungi, ac divino illo pharmaco suis « infirmitatibus ac defectibus occurrere.

« III. Etsi quam maxime expediat ut frequenti et quotidiana communione « utentes venialibus peccatis, saltem plene deliberatis eorumque affectu sint « expertes, sufficit nihilominus ut culpis mortalibus vacent, cum proposito « se nunquam in posterum peccaturos : quo sincero animo proposito, fieri « non potest quin quotidie communicantes (*intellige recta piaque mente, ut « supra*) a peccatis etiam venialibus ab eorumque affectu sensim se expediant ».

Postea decretum loquitur de praeparatione et gratiarum actione, et de petendo consilio confessarii qui tamen (*ait Decretum*) annuere debet si poenitens recta mente accedat. Subdit deinde, christifideles ad communionem frequentem et quotidianam esse excitandos, idque speciatim in religiosis institutis, in seminariis et ephebeis. Praecipit denique ut ecclesiastici scriptores a quavis contentiosa disputatione circa dispositiones (*intellige ultra supradictas a Decreto ipso requisitas)* ad frequentem et quotidianam communionem abstineant.

3. Ut autem efficaciori modo communio quotidiana promoveatur, idem SS.mus D. N. curavit ut inter sacerdotes institueretur Societas, quae it. dicitur **Lega sacerdotale eucaristica,** quamque multis privilegiis atque indulgentiis ditavit, ut videre est apud *Monitore (Vol. XVIII p. 355 et sqq.)*.

In regulis autem huius societatis, notatu digna sunt speciatim nonnulla quae sensum Decreti adhuc magis declarant, et sunt sequentia.

« Poichè molti stanno lungi dalla frequenza dell'eucaristica mensa per « certi pregiudizii e per certi vani timori, i sacerdoti ascritti a quesla lega « non si contenteranno di rilevare i vantaggi grandi della comunione quo- « tidiana, ma si studieranno ancora con molto zelo di sbandire dal popolo « questi pregiudizil stessi e questi vani timori, persuadendolo pienamente « che *per comunicarsi lecitamente ogni giorno, nulla si richiede più di « quello che si richiede per comunicarsi lecitamente ogni settimana, ogni « mese, ed ogni anno, e cioè solo lo stato di grazia e la retta intenzione,* « quantunque sia convenientissimo che coloro che usano la comunione fre- « quente e quotidiana, siano scevri anche da peccati veniali, almeno piena- « mente deliberati e dal loro affetto ».

« Di più avviseranno ripetutamente il popolo, che se in alcuni libri

« divoti, siano pure scritti da autori santi, troverà richiedersi, *per comuni-*
« *carsi lecitamente ogni giorno, altre disposizioni oltre le due sole richie-*
« *ste dal sunnominato decreto*, non ne prendano turbamento alcuno, facen-
« dogli conoscere come tali autori scrissero i libri quando la questione circa
« le disposizioni per comunicarsi tutti i giorni, non era ancora stata riso-
« luta mediante il decreto sunnominato ».

4. Aliud insuper circa communionem quotidianam eadem S. C. C. die *11 Septembris 1905* decretum emisit: in quo ad dubium: « Quotidiana eu-
« charistiae sumptio in catholicis ephebeis suaderine debet etiam **pueris**
« quibuscumque post susceptam primam communionem? » respondit: « Sa-
« crae communionis frequentiam commendari iuxta articulum primum etiam
« pueris, qui ad sacram mensam iuxta normas in catechismo romano (*C. 4*
« *n. 63*) semel admissi ab eius frequenti participatione prohiberi non debent,
« s d potius eos ad id hortari, reprobata praxi contraria alicubi vigente ».
Vide *Monitore* (*Vol. XVIII pag. 345*).

Idque est etiam in regulis praedictae societatis (*Lega eucaristica*), ubi sequentia leguntur: *In modo poi specialissimo accenderanno* (i sacerdoti) *il vivo desiderio della comunione quotidiana nei cuori vergini e scevri di vani timori dei fanciulletti e delle fanciullette, quando li preparano alla prima Comunione, avendo ogni cura che la facciano appena ne siano capaci, e poi la frequentino possibilmente ogni giorno.*

5. Ex his authenticis S. Sedis documentis sequentia deduci debent:

I. Non amplius teneri potest doctrina quae dicebat communionem quotidianam concedi non posse illis qui non adhuc de facto valde emendati sint a peccatis venialibus plene deliberatis, ab eorumque affectu; sufficit enim ut cum recta piaque intentione (ut supra a decreto ipso *n. II* explicatur) communio fiat. Et advertendum quod si communio sit frequens et quotidiana, frequenter etiam et omnibus diebus haec bona intentio, a confessario etiam (prout erit semper de consilio) probata, renovabitur, et ex hoc ipso (superaddita quoque gratia sacramenti) fieri nequibit quin (ut dicit etiam decretum) tum peccatorum ipsorum tum eorundem affectus emendatio sensim subsequatur.

II. Falsum est quod in communione concedenda magis ad reverentiam sacramenti quam ad spiritualem subiecti utilitatem attendi debeat, et quod communio ipsa tamquam praemium virtutis et sanctitatis iam de facto aquisitae concedenda sit. Hinc decretum (in proemio) dicit: « Desiderium
« Iesu Christi et Ecclesiae ut omnes christifideles quotidie ad sacrum con-
« vivium accedant in eo potissimum est ut christifideles per sacramentum
« Deo coniuncti robur inde capiant ad compescendam libidinem, ad leves cul-
« pas quae quotidie occurrunt abluendas, et ad graviora peccata, quibus
« humana fragilitas est obnoxia, praecavenda; non autem ut Domini honori
« et venerationi consulatur, nec ut sumentibus id quasi merces et proemium
« sit suarum virtutum; unde S. Tridentinum Concilium Eucharistiam vocat
« *antidotum quo liberamur a culpis quotidianis et a peccatis mortalibus*
« *praeservamur*. Hanc Dei voluntatem priores christifideles probe intelli-
« gentes, quotidie ad hanc vitae et fortitudinis mensam accurrebant: *Erant*
« *perseverantes in doctrina Apostolorum et communicatione fractionis pa-*
« *nis*. Quod saeculis posterioribus etiam factum esse, non sine magno per-
« fectionis ac sanctitatis emolumento, Sancti Patres atque ecclesiastici scri-
« ptores tradiderunt ».

III.

Varia alia novissima S. Sedis decreta et decisiones.

1. Forma brevis Extremae Unctionis in casu mortis imminentis. S. C. S. O. *25 Aprilis 1906* decrevit: *In casu verae necessitatis sufficere formam;* ***Per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti. Amen.*** Apud *Monitore (XVIII pag. 146).*

2. Seminaria. De his SS.mus D. N. Pius X (Encyclica ad Episcopos Italiae quae incipit *Pieni l' animo* 26 Iul. 1906) inter alia dicit: *I seminarii siano esclusivamente destinati a preparare i giovani, non a civili carriere, ma all' alta missione di ministri di Cristo.... S' interdirà* (agli alunni) *la lettura di giornali e di periodici, salvo per questi ultimi e per eccezione, qualcuno di sodi principii, stimato dal Vescovo opportuno per lo studio degli alunni.*

3. Prohibitiones quaedam relate ad Clerum. (Encyclica Pii X *28 Iul. 1906*)).

Il Clero deve fedelmente osservare quanto è prescritto dalla Costituzione Apostolica officiorum cioè: « Viro e clero prohibetur quominus, absque « praevia Ordinariorum venia, diaria vel folia periodica moderanda su« scipiant ».

Parimente, senza il previo assenso dell' Ordinario, niuno del Clero può pubblicare scritto di sorta, sia di argomento religioso o morale, sia di carattere meramente tecnico.

Nelle fondazioni di circoli e società, gli statuti e regolamenti debbono previamente esaminarsi ed approvarsi dall' Ordinario.

Le conferenze sull'azione popolare cristiana, o intorno a qualunque altro argomento, da nessun sacerdote o chierico potranno essere tenute senza it permesso dell' Ordinario del luogo.

Denique, gravissimis verbis et comminatis quoque poenis ecclesiasticis Summus Pontifex haec habet: *A porre un'argine efficace a questo fuorviare d' idee ed a questo dilatarsi di spirito d' indipendenza, colla nostra Autorità proibiamo d' oggi innanzi assolutamente a tutti i chierici e sacerdoti di dare il nome a qualsiasi società che non dipenda dai Vescovi. In modo poi più speciale e nominatamente proibiamo ai medesimi sotto pena ai chierici d' inabilità agli Ordini Sacri; e pei sacerdoti di sospensione,* ipso facto a divinis, *di ascriversi alla* Lega Democratica Nazionale, *il cui programma fu dato da Roma-Torretta il 20 Ottobre 1905, e lo Statuto, pur senza nome dell'autore, fu nell'anno stesso stampato a Bologna presso la commissione provvisoria.*

4. De eleemosynis, quas parochi tradere debent Episcopo in favorem causae piae (v. g. Seminarii) propter missas, quae celebrandae essent pro populo, et ex indulto apostolico atque sub hac obligatione celebrantur pro aliis.

Quum interdum recipiatur eleemosyna pinguior communi, multi mittebant ad Episcopum partem eleemosynae communi aequivalentem, augmentum vero sibi retinebant. Sed iam inde ab anno *1880* S. C. C. interrogata : *An parochi, misso ad Episcopum stipendio a statutis dioecesanis taxato, valeant sibi missarum eleemosynae excessum retinere in casu?* respondit : *Negative, nisi morali certitudine constet excessum communis eleemosynae oblatum fuisse intuitu personae, vel ob maiorem laborem aut incommodum.* (31 Ian. an. cit.).

Hoc adeo verum est, ut imminutioni huiusmodi ne Episcopus quidem legitime et valide consentire posset, ut declaravit eadem S. C. in una *Sancti Deodati* 17 Febr. 1905 (Acta *XXXVII. 524*).

Si autem iam certum esset quod eleemosyna pinguior non pro merito intrinseco Missae, sed pro titulis *extrinsecis*, nempe sive personae sive maioris laboris et incommodi, utique tunc augmentum retineri posset ; idque patet non solum ex decreto citato, sed etiam ex aliis illud confirmantibus, nempe *Bambergen.* 17 Iun. 1905 (Acta *XXXVIII 211*), et *Annecien.* 24 Mart. 1906 (Acta *XXXIX. 226*), in quibus agebatur de missa non lecta sed cantata ; ad quaesitum enim : *Licetne ad Episcopum transmittere tantummodo stipendium missae lectae iuxta taxam dioecesanam, an debent tradere integrum stipendium per constitutiones dioecesanas pro huiusmodi Missis (cantatis) praestitutum?* Respondit : *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, quoties morali certitudine constet augmentum communis eleemosynae datum fuisse ob maiorem laborem vel incommodum ad quae aliunde parochus obligatus non sit.*

Huiusmodi autem tituli extrinseci practice contingere possent 1° intuitu *personae,* si sacerdos esset in dignitate constitutus, vel consanguineus, vel benefactor, vel pauper, vel proprius parochus (maxime si augmentum ei dandum esset praecise iure stolae v. g. pro matrimonio, aut pro officio funebri it. *il paternatico*, *la doppia* etc.) ; 2° intuitu *maioris laboris aut incommodi* si missa celebrari deberet die et hora determinata, speciatim summo mane vel prope meridiem, vel cum cantu. Idem dicendum videtur si augmentum daretur ad habendum magnum numerum missarum v. g. pro funere, pro festo solemni etc.

Oporteret tamen semper ut de intentione ista certe constaret, quae tamen certitudo nedum ex verbis expressis, sed etiam ex circumstantiis non raro haberi poterit.

5. De eleemosynis missarum. Quo sensu intelligi debeat illas nec colligendas, nec dandas, nec acceptandas sub poenis noviter inflictis iuxta decreta *Vigilanti* atque *Ut debita sollicitudine.*

Finis horum decretorum exprimitur in hoc secundo decreto dicente : Ut *debita sollicitudine* Missarum manualium celebratio impleatur ; ut eleemosynarum dispersiones et assumptarum obligationum *obliviones* vitentur ;.... ut *piae fidelium voluntates non fraudentur... ;* ut aliquod *commercii* genus cum eleemosynis missarum non agatur ; ut eleemosynae ipsae non *imminuantur*. — Pars autem dispositiva est sequens.

« Art. 8. Vetitum cuique omnino esse missarum obligationes et ipsarum « eleemosynas a fidelibus vel locis piis acceptas tradere bibliopolis et mercato- « ribus, diariorum et ephemeridum administratoribus, etiamsi religiosi viri

« sint, nec non venditoribus sacrorum utensilium et indumentorum, quam-
« vis pia et religiosa instituta, et generatim quibuslibet, etiam ecclesiasti-
« cis viris, qui missas requirant, non taxative ut eas celebrent sive per se
« sive per sacerdotes sibi subditos, sed ob alium quemlibet, quamvis opti-
« mum, finem. Constitit enim id effici non posse nisi aliquod commercii ge-
« nus cum eleemosynis missarum agendo, aut eleemosynas ipsas imminuendo :
« quod utrumque omnino praecaveri debere S. Congregatio censuit. Qua-
« propter in posterum quilibet hanc legem violare praesumpserit aut scienter
« tradendo missas ut supra, aut eas acceptando, praeter grave peccatum quod
« patrabit, in poenas infra statutas incurret.

« Art. 9. Iuxta ea quae in superiore articulo constituta sunt decernitur,
« pro missis manualibus stipem a fidelibus assignatam, et pro missis fundatis
« aut alicui beneficio adnexis (quae ad instar manualium celebrantur) elee-
« mosynam iuxta sequentes articulos propriam, numquam separari posse a
« missae celebratione, *neque in alias res commutari aut imminui*, sed cele-
« branti ex integro et in specie sua esse tradendam, sublatis declarationi-
« bus, indultis, privilegiis, rescriptis, sive perpetuis sive ad tempus, ubivis,
« quovis titulo, forma vel a qualibet auctoritate concessis et huic legi con-
« trariis.

« Art. 10. Ideoque libros, sacra utensilia vel quaslibet alias res vendere,
« aut emere, et associationes (uti vocant) cum diariis et ephemeridibus inire
« ope missarum, nefas esse atque omnino prohiberi. Hoc autem valere non
« modo si agatur de missis celebrandis, sed etiam si de celebratis, quoties
« id in usum et habitudinem cedat et in subsidium alicuius commercii vergat.

« Art. 11. Item sine nova et speciali S. Sedis venia, (quae non dabitur nisi
« ante constiterit de vera necessitate, et cum debitis et opportunis cautelis), ex
« eleemosynis missarum, quas fideles celebrioribus Sanctuariis tradere solent,
« non licere quidquam detrahere ut ipsorum decori et ornamento consulatur.

« Art. 12. Qui autem statuta in praecedentibus articulis 8, 9, 10 et 11,
« quomodolibet aut quovis praetextu perfringere ausus fuerit, si ex ordine
« sacerdotali sit, suspensioni *a divinis* S. Sedi reservatae et ipso facto incur-
« rendae obnoxius erit ; si clericus sacerdotio nondum initiatus, suspensioni
« a susceptis ordinibus pariter subiacebit, et insuper inhabilis fiet ad supe-
« riores ordines assequendos ; si vero laicus, excommunicatione latae sen-
« tentiae Episcopo reservata obstringetur ».

Hoc decreto, quoad eleemosynas a fidelibus vel piis locis acceptas, in Art. 8° vetatur etiam generatim ne tradantur *ecclesiasticis viris qui missas requirant non taxative ut eas celebrent sive per se sive per sacerdotes sibi subditos, sed ob alium quemlibet quamvis optimum finem.* Sed hoc debetne intelligi absolute, quatenus, v. g. nequidem pro aliquo sacerdote, qui missarum applicationibus destitueretur, missae quaeri possint, quamvis esset consanguineus et propter paupertatem valde illis indigeret, eisque appplicationes inventae cum respectivis eleemosynis ex integro darentur ? Talis (ni fallor) non videtur esse sensus decreti, ut patet ex ratione quam adducit inquiens : *Constitit enim id effici non posse, nisi aliquod commercii genus cum eleemosynis missarum agendo, aut eleemosynas ipsas imminuendo, quod utrumque omnino praecaveri debere S. Congregatio censuit.* Porro in casu ubinam commercium, et ubinam eleemosynae imminutio esset ? Ephemeris *Il Monitore* (*Vol. XVII pag. 40*) dicit quod Decretum respicit

casum in quo missae quaerantur non iam cum intentione dandi eleemosynas sacerdotibus celebrantibus, sed illas adhibendi v. g. in subsidium alicuius causae piae seu (ut ait) *parla di coloro che fanno incetta di messe per darle a sacerdoti estranei coll'animo di rivolgere ad altro scopo lo stipendio;* quod practice accidere solet rogando sacerdotes ut celebrent gratis aut quasi gratis, relinquendo eleemosynas sive in toto sive in parte pro causa pia.

In sequenti Art. 9° eiusdem decreti prostant etiam sequentia: *Iuxta ea quae in superiore articulo* (8°) *constituta sunt, decernitur.... eleemosynam propriam nunquam separari posse a missae celebratione, neque in alias res commutari aut imminui, sed celebranti ex integro et in specie sua esse tradendam.* Sed haec quoque commutatio tamquam prohibita poenisque subiecta, debet quidem intelligi relate ad casus vetitos in praecedenti Art. 8° (ut iam expresse declaratur); non vero absolute et quoad diversos casus omnes. Episcopus S. Deodati exposuit, morem invaluisse in sua Dioecesi ut vicarii apud parochos in domo parochiali degentes pensionem non argento persolvant, sed missae suae quotidianae sive lectae sive cantatae eleemosynam parocho dimittant. Et quaesivit utrum mos ille possit retineri? S. C. C. (*27 Febr. 1905*) respondit: *Affirmative, dummodo et quousque excessus in modo aut alius abusus non oriatur, super quo Ordinarii erit vigilare* (Apud *Monitore Vol. XVII pag. 55*). Idque Romae quoque in seminariis et collegiis ecclesiasticis fieri solet (*l. c. pag. 100*); unde iam *missa pro mensa* in proverbium evasit. Plures alios casus adducit idem *Monitore* (*eodem vol. pag. 321*), unde iam de re ista nullum dubium superesse potest.

Ex tenore autem decreti sequitur etiam quod vendere aliqua obiecta sacerdoti, qui loco dandi pretium in pecunia, se obliget ad celebrandas missas, id licet, si venditor 1° illas ex propria devotione celebrare faceret; aut 2° illas sine scopo commercii a fidelibus receptas, casu (quin scilicet id in usum et habitudinem cederet) pro habendis praedictis obiectis eidem sacerdoti committeret, atque insuper celebrationem anticipatam exigeret. *Monitore* (*l. c. pag. 376*).

IV.

Sequuntur alia recentissima S. Sedis decreta

6. **Circa communionem infirmi non ieiuni.** S. C. C. haec habet : « Excitato studio fovendae pietatis, quaesitum est, si quo forte modo consuli « posset aegrotis diuturno morbo laborantibus et eucharistico pane haud semel « confortari cupientibus, qui naturale ieiunium in sua integritate servare « nequeant. Quare supplices preces ad hoc delatae sunt SS.mo D. N. Pio PP. X, « qui, re mature perpensa, auditoque consilio S. Congregationis Concilii, be- « nigne concessit ut infirmi, qui iam a mense decumberent absque certa spe « ut cito convalescant, de confessarii consilio SS.mam Eucharistiam semel aut « bis in hebdomada si agatur de infirmis qui degunt in piis domibus, ubi « SS.mum Sacramentum asservatur aut privilegio fruuntur celebrationis mis- « sae in oratorio domestico ; semel vero aut bis in mense pro reliquis, etsi « aliquid per modum potus antea sumpserint, servatis de caetero regulis a « Rituali Romano et a S. Rituum Congregatione ad rem praescriptis. Datum « Romae die 7 Decembris 1906 ».

Monitore autem Vol. XVIII pag. 493 sic explicat: « *Per modum potus*, « cioè qualunque cosa liquida, come latte, caffè, cioccolatto, brodo, od anche « con qualche cosa aggiunta al liquido, come cacao, pangrattato, tuorlo d'ovo « disciolto ecc. *Servatis regulis*, vale a dire, purchè il Santissimo venga re- « cato con quella decenza che prescrivono le leggi ecclesiastiche ».

Quaesitum fuit : An nomine infirmorum qui a mense decumbunt et id- circo iuxta decretum 7 Decembris 1906 SS. Eucharistiam non ieiuni sumere pos- sunt, intelligantur solummodo infirmi qui in lecto decumbunt, an potius com- prehendantur qui, quamvis gravi morbo correpti et ex medici iudicio naturale ieiunium servare non valentes, nihilominus in lecto decumbere non possunt, aut ex eo aliquibus horis diei surgere queunt ? S. Congr. Conc. die 6 martii 1907 respondendum censuit : *Comprehendi, facto verbo cum Sanctissimo ad cau- telam* (Apud *Monitore* Vol. XIX pag. 60).

7. **De benedictione rei non praesentis.** Benedictio cuiuslibet rei vel contra mures etc. non est valida nisi detur in rei ipsius praesentia (non vero a longe). De hoc non adest recens decretum, sed Rituale dicit : *Benedic, Domine, hanc creaturam, haec indumenta, hos fructus* etc. Sufficit tamen praesentia moralis, unde ipsum Rituale ait : *Sacerdos venit ad agros a lo- custis, bruchis, et aliis animalibus noxiis vexatos* etc. Ita, cum Quarti, De Hert aliisque Rubricistis, *Monitore* (Vol. XIX pag. 187).

8. **Aliae decisiones circa eleemosynas Missarum.**

« Sub gravi conscientiae vinculo.... in posterum quicumque Missas cele- « brandas committere velit sacerdotibus sive regularibus sive saecularibus « extra Dioecesim commorantibus, hoc facere debet per eorum Ordinarium, « aut ipso saltem audito atque annuente.

« Unusquisque Ordinarius, ubi primum licuerit, suorum sacerdotum « catalogum conficiat. describatque Missarum numerum, quibus satisfacere « tenentur, quo tutius deinceps in assignandis Missis procedat.

« Denique si qui vel episcopi vel sacerdotes velint in posterum Mis-

« sas, quarum exuberet copia, ad Antistites aut presbyteros Ecclesiarum, quae « in Oriente sunt, mittere, semper et in singulis casibus id praestare debe- « bunt per S. Congregationem Propagandae Fidei ». Ita S. C. C. 22 Maii 1907 (apud *Monitore* Vol. XIX pag. 207).

9. **Circa actum heroicum.** An fidelis emittens *actum heroicum,* quod votum ordinarie vocatur, quo in suffragium defunctorum divinae Maiestati offert omnes indulgentias, quas vivens lucrari potest, necnon omnia sua opera satisfactoria et etiam suffragia sibimet post mortem conferenda, possit, quando ipsi libuerit, revocare?

S. C. Indulgentiarum proposito dubio respondendum mandavit: *Affirmative.* Die 20 Februarii 1907 (apud *Monitore* XIX. 210).

V.

Novissimum decretum circa sponsalia et matrimonium.

De sponsalibus

I. — Ea tantum sponsalia habentur valida et canonicos sortiuntur effectus, quae contracta fuerint per scripturam subsignatam a partibus et vel a parocho, aut a loci Ordinario, vel saltem a duobus testibus.

Quod si utraque vel alterutra pars scribere nesciat, id in ipsa scriptura adnotetur; et alius testis addatur, qui cum parocho, aut loci Ordinario, vel duobus testibus, de quibus supra, scripturam subsignet.

II. — Nomine parochi hic et in sequentibus articulis venit non solum qui legitime praeest paroeciae canonice erectae; sed, in regionibus ubi paroeciae canonice erectae non sunt, etiam sacerdos cui in aliquo definito territorio cura animarum legitime commissa est, et parocho aequiparatur; et in missionibus, ubi territoria necdum perfecte divisa sunt, omnis sacerdos a missionis moderatore ad animarum curam in aliqua statione universaliter deputatus.

De matrimonio

III. — Ea tantum matrimonia valida sunt, quae contrahuntur coram parocho vel loci Ordinario vel sacerdote ab alterutro delegato, et duobus saltem testibus, iuxta tamen regulas in sequentibus articulis expressas, et salvis exceptionibus quae infra n. VII et VIII ponuntur.

IV. — Parochus et loci Ordinarius valide matrimonio adsistunt,

§ 1.° a die tantummodo adeptae possessionis beneficii vel initi officii, nisi publico decreto nominatim fuerint excomunicati vel ab officio suspensi;

§ 2.° intra limites dumtaxat sui territorii: in quo matrimoniis nedum suorum subditorum, sed *etiam non subditorum* valide adsistunt;

§ 3.° dummodo *invitati* ac rogati, et neque vi neque metu gravi constricti *requirant* excipiantque contrahentium consensum.

V. — Licite autem adsistunt,

§ 1.° constito sibi legitime de libero statu contrahentium, servatis de iure servandis;

§ 2.° constito insuper de domicilio, vel saltem de *menstrua commoratione* alterutrius contrahentis in loco matrimonii;

§ 3.° quod si deficiat, ut parochus et loci Ordinarius licite matrimonio adsint, indigent licentia parochi vel Ordinarii proprii alterutrius contrahentis, nisi gravis intercedat necessitas, quae ab ea excuset;

§ 4.° Quoad *vagos*, extra casum necessitatis parocho ne liceat eorum matrimoniis adsistere, nisi re ad Ordinarium vel ad sacerdotem ab eo delegatum delata, licentiam adsistendi impetraverit;

§ 5.° In quolibet autem casu pro regula habeatur, ut matrimonium coram sponsae parocho celebretur, nisi aliqua iusta causa excuset.

VI. — Parochus et loci Ordinarius licentiam concedere possunt alii sacerdoti determinato ac certo, ut matrimoniis intra limites sui territorii adsistat.

Delegatus autem, ut valide et licite adsistat, servare tenetur limites mandati, et regulas pro parocho et loci Ordinario n. IV et V superius statutas.

VII. — Imminente mortis periculo, ubi parochus vel loci Ordinarius, vel sacerdos ab alterutro delegatus, haberi nequeat, ad consulendum conscientiae et (si casus ferat) legitimationis prolis, matrimonium contrahi valide ac licite potest coram quolibet sacerdote et duobus testibus.

VIII. — Si contingat ut in aliqua regione parochus lo-

cive Ordinarius, aut sacerdos ab eis delegatus, coram quo matrimonium celebrari queat, haberi non possit, eaque rerum conditio a mense iam perseveret, matrimonium valide ac licite iniri potest emisso a sponsis formali consensu coram duobus testibus.

IX. — § 1.° Celebrato matrimonio, parochus, vel qui eius vices gerit, statim describat, in libro matrimoniorum nomina coniugum ac testium, locum et diem celebrati matrimonii, atque alia, iuxta modum in libris ritualibus vel a proprio Ordinario praescriptum; idque licet alius sacerdos vel a se vel ab Ordinario delegatus matrimonio adstiterit.

§ 2.° Praeterea parochus *in libro quoque baptizatorum* adnotet, coniugem tali die in sua parochia matrimonium contraxisse. Quod si coniux alibi baptizatus fuerit, matrimonii parochus notitiam initi contractus ad parochum baptismi sive per se, sive per curiam episcopalem transmittat, ut matrimonium in baptismi librum referatur.

§ 3.° Quoties matrimonium ad normam n. VII aut VIII contrahitur, sacerdos in priori casu, testes in altero, tenentur in solidum cum contrahentibus curare, ut initum coniugium in praescriptis libris quam primum adnotetur.

X. — Parochi qui heic hactenus praescripta violaverint, ab Ordinariis pro modo et gravitatae culpae puniantur. Et insuper si alicuius matrimonio adstiterint contra praescriptum § 2[i] et 3[i] num. V. emolumenta *stolae* sua ne faciat, sed proprio contrahentium parocho remittant.

XI. — § 1.° Statutis superius legibus tenentur omnes in catholica Ecclesia baptizati et ad eam ex haeresi aut schismate conversi (licet sive hi, sive illi ab eadem postea defecerint), quoties inter se sponsalia vel matrimonium ineant.

§ 2.° Vigent quoque pro iisdem de quibus supra catholicis, si cum acatholicis sive baptizatis sive non baptizatis, etiam post obtentam dispensationem ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus, sponsalia vel matrimonium contrahunt; nisi pro aliquo particulari loco aut regione aliter a S. Sede sit statutum.

§ 3.° Acatholici sive baptizati sive non baptizati, *si inter se* contrahunt, nullibi ligantur ad catholicam sponsalium vel matrimonii formam servandam.

Variationes itaque, quae vi praesentis decreti (iam inde a Paschate an. 1908 ubique valorem habentis) **circa matrimonium et sponsalia inducuntur, sunt sequentes, illasque sequenti modo explico atque declaro.**

CIRCA MATRIMONIUM

I. — **Pro valido** non amplius exigitur ut parochus sit *proprius*, sed sufficit si celebretur coram parocho quolibet. Quaestiones itaque de domicilio vel quasi domicilio quoad validitatem non amplius adesse possunt.

II. — Non amplius sufficit ut contrahentes exprimant consensum, sed pro valido exigitur ut parochus ipse prius invitatus ac rogatus de hoc consensu illos interroget. Matrimonia itaque prorsus clandestina (quae it. dicuntur *di sorpresa*) sic impediuntur. Non tamen oportet ut invitetur explicite, sed sufficit ut invitetur implicite. Enimvero ad quaesitum: « An Ordinarii et parochi nedum explicite sed « etiam implicite invitati ac rogati, dummodo tamen neque « vi neque metu gravi constricti requirant excipiantque con- « trahentium consensum, valide matrimoniis assistere possint? ». S. C. C. die 28 Martii 1908 respondit *Affirmative* (apud Acta Vol. XLI pag. 289). Et nota Red. dicit: « Quaelibet enim in- « vitatio et rogatio, dummodo absque vi et metu gravi facta, in « casu sufficit; finis enim legis fuit, ut e medio tollantur matri- « monia ex inopinatu (vulgo *di sorpresa*) inita ». Et pag. 280 dantur exempla. « Si nupturientes alicui parocho demonstra- « rent desiderium ab eo recipiendi benedictionem nuptialem; « vel si parochus ipse postularet a sponsis eorum matrimonio « interesse, et hi petitioni annuerent; vel si sponsi post- « quam cum aliquo parocho omnia tractassent quae ad ma- « trimonium comparandum spectant, his iam expletis ipsi « parocho se praesentarent, qui nulla vi nullo quemetu im- « pulsus, in tribus hisce casibus exquireret exciperetque « ipsorum consensum ».

III. — Pro valido parochus debet assistere intra limites

sui territorii. Fit quaestio an valide assisteret in ecclesia exempta (nempe Regularium)? Videtur affirmandum, quia talis ecclesia est intra limites sui territorii, etsi non in sua iurisdictione. Vide *Monitore* Vol. XXI, pag. 34.

IV. — In periculo mortis, deficiente parocho, eiusve delegato, quilibet sacerdos sufficeret.

Idem sacerdos posset etiam dispensare ab impedimentis dirimentibus si forte adessent; idque vi decreti S. Congregationis *De Sacramentis* XIV Maii 1909, quod ait: « Sanctitas sua (Pius X) declarare dignata est ac decernere, « quemlibet sacerdotem qui ad normam Art. VII decreti *Ne temere*, imminente mortis periculo, ubi parochus vel loci « Ordinarius, vel sacerdos ab alterutro delegatus haberi nequeat, coram duobus testibus matrimonio assistere valide « et licite potest, in iisdem rerum adiunctis, dispensare quoque « posse super impedimentis omnibus etiam publicis matrimonium iure ecclesiastico dirimentibus, exceptis sacro presbiteratus ordine et affinitate lineae rectae ex copula licita ». Hoc autem decreto extenditur facultas, quae aderat etiam antea, sed erat solum (quamvis etiam habitualiter) parochis delegabilis.

V. — Si alicubi (v. g. propter persecutionem) iam inde a mense sacerdotes ita deficerent, ut pro matrimonio parochos aut sacerdotes delegatos invenire impossibile esset, duo testes sufficerent.

VI. — **Pro licito** etiam, non exigitur domicilium aut (in pristino sensu) quasi-domicilium in paroecia, sed sufficere potest si alteruter contrahens iam inde a mense in illa commoretur (quidquid sit de intentione ibidem diutius permanendi). Quoad *vagos* autem licentia Episcopi exigitur.

VII. — Non amplius sufficit ut matrimonium celebratum describatur in solo libro matrimoniorum, sed etiam (ut in decreto explicatur) in libro baptizatorum notari debet.

VIII. — Infideles atque haeretici ex secta, matrimonium inter sese celebrantes, ad praedictam formam servandam nullibi tenentur.

Circa Sponsalia.

Sponsalia non amplius valent, et non amplius effectus canonicos (v. g. impedimentum publicae honestatis) producunt, si sint privata.

Sed circa sponsalia lex debetne interpretari quod illa invalidet 1° solum pro foro externo, an etiam pro interno? 2° Solum si intelligantur in sensu proprio, an etiam in improprio, nempe si essent unilateralia et incompleta?

Meo sensu lex est interpretanda ut annullet sponsalia etiam in foro interno (prout sentiunt alii quoque communiter): imo etiam (hoc tamen contra alios) si sponsalia incompleta tantummodo et unilateralia forent. Patet ex fine legislatoris; non enim videtur rationabile quod irritare voluerit sponsalia completa atque perfecta, simulque totum robur incompletis imperfectisque relinquere.

D.mi D. N. PII X NOVA LEX CIRCA CATECHISMUM.

Litterae encyclicae *Acerbo nimis*, ad omnes universi catholici orbis Antistites missae, sunt sequentis tenoris.

« Suprema Nostra auctoritate, quae sequuntur, in dioecesibus universis, observanda et exequenda constituimus districteque mandamus ».

« I. Parochi universi, ac generatim quotquot animarum curam gerunt, diebus dominicis ac festis per annum, nullo excepto, per integrum horae spatium, pueros et puellas de iis, quae quisque credere agereque debet ad salutem adipiscendam, ex catechismi libello erudiant ».

« II. Iidem, statis anni temporibus, pueros ac puellas ad sacramenta poenitentiae et confirmationis rite suscipienda praeparent, continenti per dies plures institutione ».

« III. Item, ac peculiari omnino studio, feriis omnibus Quadragesimae atque aliis, si opus erit, diebus post festa paschalia, aptis praeceptionibus et hortationibus adolescentulos et adolescentulas sic instruant, ut sancte sancta primum de altari libent ».

« IV. In omnibus et singulis paroeciis consociatio canonice instituatur, cui vulgo nomen *Congregatio doctrinae christianae*. Ea parochi, praesertim ubi sacerdotum numerus sit exiguus, adiutores in catechesi tradenda laicos habebunt, qui se huic dedant magisterio tum studio gloriae Dei tum ad sacras lucrandas indulgentias, quas Romani Pontifices largissime tribuerunt ».

« V. Maioribus in urbibus, inque iis praecipue ubi universitates studiorum, lycea, gymnasia patent, scholae religionis fundentur ad erudiendam fidei veritatibus vitaeque christianae iustitutis iuventam, quae publicas scholas celebrat, ubi religiosae rei mentio nulla iniicitur ».

« VI. Quoniam vero, hac praesertim tempestate, grandior aetas, non secus ac puerilis, religiosa eget institutione; parochi universi ceterique animarum curam gerentes, praeter consuetam homiliam de Evangelio, quae festis diebus omnibus in parochiali sacro est habenda, ea hora quam opportuniorem duxerint ad populi frequentiam, illa tantum excepta qua pueri erudiuntur, catechesim ad fideles instituant facili quidem sermone et ad captum accomodato. Qua in re Catechismo Tridentino utantur, eo utique ordine ut quadriennii vel quinquennii spatio totam materiam pertractent quae de Simbolo est, de Decalogo, de Oratione et de praeceptis Ecclesiae ».

« Haec Nos quidem, Venerabiles fratres, auctoritate apostolica constituimus et iubemus. Vestrum modo erit efficere ut, in vestra cuiusque dioecesi, nulla mora atque integre executioni mandentur; vigilare porro et pro auctoritate vestra cavere, ne quae praecipimus oblivioni dentur; vel, quod idem est, remisse oscitanterque impleantur. Quod ut reapse vitetur, illud assidue commendetis et urgeatis oportet, ut parochi ne imparati catechesis proeceptiones habeant, sed diligenti prius adhibita praeparatione; et ne loquantur humanae sapientiae verba, sed *in simplicitate*... Nolimus porro, ne ex eiusmodi simplicitatis studio persuadeat quis sibi in hoc genere tractando, nullo labore nullaque meditatione opus esse: quin immo maiorem plane, quam quodvis genus aliud, requirit. Facilius longe est reperire oratorem qui copiose dicat ac splendide, quam catechistam qui praeceptionem habeat omni ex parte laudabilem. Quamcumque igitur facilitatem cogitandi et eloquendi quis a natura sit nactus, hoc probe teneat, nunquam se de christiana doctrina ad pueros vel ad populum cum animi fructu esse dicturum, nisi multa commentatione paratum atque expeditum. Falluntur sane qui plebis imperitia ac tarditate fisi, hac in re negligentius agere se posse autumant. E contrario, quo quis rudiores nactus sit auditores, eo maiore studio ac diligentia utatur oportet, ut sublimissimas veritates, adeo a vulgari intelligentia remotas, ad obtusiorem imperitorum aciem accommodent, quibus aeque ac sapientibus, ad aeternam beatitatem adipiscendam sunt necessariae ».

Casus communiores magisque momentosi, in quibus peccata possunt non esse formalia neque imputabilia apud Deum.

Casus isti in magnas tricas coniicere solent confessarios speciatim presbyterorum, religiosorum, monialium, atque animarum piarum.

Distinguendum est, quia aliqui contingunt in personis normalibus, et aliqui e contra in personis affectis aliquo morbo, qui ex una parte modo extraordinario ad res venereas impellit, et ex alia plus vel minus lumine rationis privat.

In personis normalibus casus principales sunt duo sequentes.

Primus casus. Persona motibus carnalibus resistit prout debet, sed accidit momentum in quo, (ad modum actus primi primi, aut saltem sine plena advertentia plenoque consensu) sive vi corporis (ad modum convulsionis) dat impulsum, sive etiam manu tactum involuntarium facit; a quo (statim ac advertit) cessat.

Secundus casus. In genitalibus, sive propter herpetem, sive propter immunditiam (quae in foeminis frequentissima est), persona sentit pruritum, atque adhibet perfricationes. De re ista iam verba feci in *Theologia Morali theorico-practica* (Vol. II, n. 784); unde hic addo solum nonnulla quae, ut periculum adhuc magis minuatur, valde deserviunt. 1° Ablutiones istae non fiant si tunc commotiones carnales adsint. 2° Persona se cito expediat et rectam intentionem habeat. 3° Si agatur de viro, praeputium prope membrum digitis firmum teneat, sic enim erectionem illius impossibilem reddet; ita tamen ut possit prius pro momento praeputium ipsum retrahenre et verticem membri abluere ut *smegma* (utique valde periculosum) auferatur. Caeterum usque ad completam nedum lotionem sed etiam abstersionem erectio, ut dixi, impediri debet. — 4° Si agatur de mulieribus, oportet ut lotiones externas faciant utendo panniculo valde levi, et nunquam abstergendo per confricationes, sed tantum apponendo pannum et leviter manu illud comprimendo pluries, quia alias (scilicet confricando) augeretur organorum calor cum voluptate et periculo consensus. Vide Antonelli (*Medicina pastoralis*, Vol. I, n. 418).

Hi duo casus referuntur ad personas normales, ut dixi. Loquendo autem de personis non iam normalibus, sed aliquo morbo supra indicato affectis, casus principales sunt sequentes.

Primus casus. Extraordinarium et continuum excitamentum in partibus genitalibus, quod in masculis *satyrismus*, vel (cum quadam diversitate) *priapsimus;* in foeminis autem *ninphomania* appellatur; cum erectione et maximo appetitu sive copulae, sive manstuprationis; et quidem ita ut (quamvis non semper) ad veram atque evidentem insaniam pertingat. — His autem morbis aliquando, sub praesenti excessivae libidinis respectu, proxime accedit *phthisis pulmonaris.*

Secundus casus, est diversus a praecedenti, quia contingit etiam quod sine magno excitamento in genitalibus, atque insuper quin persona sit ullo modo rea in causa (et forte quamvis sit piissima atque scrupulosissima), subiiciatur praepotentissimis desideriis venereis, cum tali ac tanta animi et corporis agitatione (it. *smania*), ut vi (saltem ordinarie) irresistibili versetur in statu, quo durante (per non brevia intervalla), absque conscientiae remorsu innumeris actibus tam internis quam externis provocet in se libidinem et plurima turpissima perpetret.

Notanda sunt sequentia. 1° Iam certissimum est quod verae monomaniae accidere possunt etiam in personis quae in aliis rebus rationabilissime se gerunt et magna existimatione gaudent. 2° In casibus supra indicatis non semper a culpa immunes personae reputari debent; aliquando enim signa dementiae sunt certa (ut puta, si poenitens fide dignus protestetur quod tunc nullatenus cognoscit male facere, non sentit remorsum etc.), maxime vero si etiam publice procederet ad actus qui solum a mentecaptis sic fieri possunt. Aliquando e contra certa est culpabilitas. Aliquando denique (speciatim quia gradus possunt esse diversi et intervalla lucidiora intervenire valent) res est dubia, et solus Deus cognoscere poterit an adsit peccatum et hoc sit mortale. 3° Quando autem res (omnibus consideratis) haberi debet tamquam dubia, magna prudentia in confessario exigitur, ne tractet poenitentem tamquam absolute reum peccati mortalis; periculum enim esset non solum desperationis, sed aliquando etiam suicidii. Ninphomaniacae speciatim tendunt ad strangulationem, quae, afferendo mortem, vi propria carnalem quoque, ut ex facto patet, pollutionem producit (?!). Dicto modo (inquam) poenitentem non tractet, maxime quando iam magna adsint signa ad credendum quod (consideratis

circumstantiis) peccata illius neque in se neque in causa formalia fuerint. Confessarii plurimi nimis materialiter res considerant, neque reflectunt quod dantur monomaniae, et quod dum credunt poenitentem esse in statu normali, reapse semifatuum et nonomaniacum ad pedes habere possunt.

FINIS


CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
3 0311 00100 2869

WITHDRAWN

48.91

BX
1758
.B375
v.5

48391

AUTHOR ~~Berardi, Emilio~~

TITLE THEOLOGIA MORALIS THEORE-TICO-PRACTICO

DATE LOANED

~~13414~~

~~13414~~

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

00 2869